ACTA
APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

AN. ET VOL. LXXIX

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
M.DCCCC-LXXXVII

An. et rol. LXXIX 7 Ianuarii 1987 N. 1

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico - Qttà del Vaticano — *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

CONSTITUTIO APOSTOLICA

ARICENSIS

Praelatura Aricensis ad gradum dioecesis attollilur.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Qua tenemur graviter Nos divino ex consilio, ipsa pastoralis Christifidelium curatio postulat ut ea singula efficienter praestentur quae eorum ad spiritale bonum magis proficere videntur potissimumque ut novae passim per orbem dioeceses excitentur ubi loci ipsius dignitas et ecclesiasticarum civiliumque rerum prosperitas id suadent. Cum vero Praelatura territorialis Aricensis anno MCMLIX rite erecta superioribus hisce temporibus et numero catholicorum et religionis operibus magnum feliciter obtinuisset incrementum, Venerabilis Frater Raimundus Salas Valdés, Episcopus ipse Praelatus Aricensis, consentiente nimirum Episcopali Conferentia Chiliae, ab hac poposcit Apostolica Sede ut communitas Praelatitia sibi commissa ad gradum eveheretur dignitatemque dioecesis. Nos proinde, perlibenter adsensi iudicio omnino faventi Venerabilis Fratris Angeli Sodano, Archiepiscopi titulo Novacaesariensis et in civitate Chiliensi Apostolici Nuntii necnon consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Congregationis pro Episcopis praepositorum, preces eas ad Nos pie admotas dominico gregi sane profuturas censentes benigne quidem excipere decrevimus. Qua-

propter, suppleto etiam, quatenus opus est, consensu omnium quorum interest aut qui sua interesse arbitrantur, de plenitudine apostolicae Nostrae potestatis, Praelaturam territorialem *Aricensem* ad gradum et honorem dioecesis tollimus atque constituimus iisdem nempe circumscriptam finibus quibus in praesentia terminatur. Episcopalem autem sedem huius novae communitatis dioecesanae in urbe vulgo Arica appellata statuimus templumque ibi Deo in honorem Sancti Marci Evangelistae dicatum ad nomen liturgicumque statum Ecclesiae Cathedralis evehimus, cui et eius pro tempore Episcopo insignia privilegia iuraque cuncta tribuimus quibus reliquae per orbem episcopales sedes earumque Pastores communi ex iure fruuntur; at iisdem quoque oneribus et officiis obstringimus illum quibus ceteri pariter in catholico orbe Antistites Ordinarii ligantur. Dioecesim sic iam Aricensem suffraganeam constituimus Metropolitanae Ecclesiae Antofagastensis eiusque Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi pro tempore Antofagastensis subdimus. Ut autem eidem Pastori excitatae ita dioecesis proprio in regimine validum addatur adiumentum, volumus Collegium Consultorum ad iuris normam quam primum efficiatur. Congruae ac dignae sustentationi Praesulis novae dioecesis provideatur de Curiae emolumentis, fidelium stipibus necnon temporalibus bonis adhuc eandem ad Praelaturam pertinentibus. De seminarii dein dioecesani erectione necnon sacrorum alumnorum institutione servabuntur iuris communis praescripta, normis praesertim ante oculos constitutis ac regulis a Congregatione pro Institutione Catholica traditis. Selecti seminarii alumni philosophicis et theologicis disciplinis imbuendi sicut et sacerdotes altiora ad studia complenda Romam in Pontificium Collegium Pium Latinum Americanum mittantur. Clerus Praelaturae territorialis Aricensis hoc ipso decreto novae dioecesi eiusdem nominis incardinatus censetur. Quod vero ad erectae dioecesis regimen attinet, bonorum ecclesiasticorum administrationem, dioecesani sede vacante administratoris nominationem, fidelium iura atque onera aliaque id genus, sacris quae canonibus praescribuntur ipsa quam accuratissime servantor. Apostolica similiter potestate Nostra ad dioecesim novam promovemus commemoratum iam Venerabilem Fratrem Raimundum Salas Valúes, hactenus videlicet Episcopum Praelatum Aricensem. Quae omnia quo certius perficiantur pleniusque destinamus Nos fidenter Venerabilem Fratrem Angelum Sodanum, Apostolicum in Chilia Nuntium, necessarias et opportunas dum ei tribuimus facultates etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere simul iniuncto

ad eandem Congregationem pro Episcopis verum exemplar actus ipsius impletae exsecutionis remittendi. Quae postremo hic maturo quidem consilio edixerimus, suos ea effectus tam nunc quam in tempus venturum habere iubemus quibuslibet rebus haudquaquam obsistentibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die undetricesimo mensis Augusti anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo sexto Pontificatus Nostri octavo.

& AUGUSTINUS Card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

BERNARDINUS Card. GANTIN
Congr. pro Episcopis Praef.

Iosephus Del Ton, *Proton. Apost.*
Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*

Loco Eg Plumbi
In Segret. Status tab., n. 182.558.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Venerabili Servo Dei Francisco Gárate Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Iesus Christus, testis fidelis et verus, qui est principium creaturae Dei {*Apc* 3, 14), quem Pater unxit et consecravit ut mederetur contritis corde, praedicaret captivis indulgentiam et clausis apertionem (cfr. *Is* 61, 1), omnes homines invitat ut cor suum gratiae divinae studiosius aperiant : « Ecce, sto ad ostium et pulso; si quis audierit vocem meam et aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum et cenabo cum illo, et ipse mecum » (*Apc* 3, 20). Iam vero omni quidem tempore non pauci fuerunt viri et mulieres qui audientes vocem Domini, aperuerint ei ianuam et fuerint cum eo ; quorum nonnullos Ecclesia, divinis signis edocta, censuit dignos esse ut et fidelibus tamquam vitae christianae exempla proponerentur et simul honore altarium decorarentur. Inter quos adnumérandus est Franciscus Gárate, coadiutor temporalis, e Societate Iesu, qui nostra aetate Deo summe dilecto se totum tradidit, ita ut non solum peccato mortuus, sed etiam mundo renuntians, soli Deo viveret (cfr. *Perfectae caritatis,* 5). Cuius sanctitatis exemplis eo vehementius nos allici videmur cum ante aculos nostros versetur imago alicuius

Dei Famuli qui aliunde « non sane — ut Paulus VI aiebat — prodigiis inclaruit, non caelestium visis, non sanationibus, non gravitate dicendi, non facinoribus pulcherrimis atque praeclaris. E contrario, eius vitae institutum eiusmodi fuit ut... potius semper habuerit humilem cum humilibus amicissime vitam degere ... Eius etiam fides, spes, caritas ceteraeque virtutes ... in obscura hac operis cotidiani absolutione perfectioneque fulserunt, ad quam admirabili constantia semper adnisus est, numquam genio suo indulgens, aut parcens operari. Magnum sane negotium ! » (Litt. Decret, in Canoniz. Fr. Beneldis, F. S. O. : *AAS* 60 [1968] 512-513). Franciscus in pago Recarte penes Loyla (Guipúzcoa) die tertio mensis Februarii, anno MDCCCLVII natus est, secundus filius piorum coniugum Francisci Gárate et Mariae Baptista de Aranguren, qui tres filias quattuorque filios genuerunt, quorum tres Societatem Iesu sunt ingressi. Primis litterarum rudimentis domi et in schola vicini pagi Azpeitia initiatus ab anno MDCCCLXXI in Collegio Societatis Iesu Ordunensi « Nuestra Señora de la Antigua » in labores domesticos incubuit, sed divinam vocationem percipiens, die secundo Februarii anno MDCCCLXXIV noviciatum Societatis Iesu in vico Poyanne (Landes, Gallia) ingressus est, ubi, probationis biennio laudabiliter peracto, prima quoque vota religiosa simplicia, sed perpetua, nuncupavit, Annis MDCCCLXXVii-MDCCCLXXXViii Franciscus officium infirmarii in Ephebeo Sancti Iacobi apud La Guardia (Pontevedra) explevit et tanta cum cura et caritate aegrotantibus confratribus et alumnis se dedicavit, ut vererentur moderatores ne eius corporales vires grave subirent damnum. Ei proinde commiserunt munus ianitoris in Collegio Universitatis Studiorum Deustensis (Flaviobrigae), ubi ob eminentem caritatem, industriam, urbanitatem aliasque théologales, morales et religiosas virtutes omnibus fuit exemplum. Atrium quidem huius Universitatis imaginem potius frequentissimi portus ostendebat : continuus erat motus alumnorum qui more iuvenili innumera servitia a ianitore petebant atque necessariam reddebant continentem eius curam, attentionem, vigilantiam : parentes cum filiolis colloquebantur, omnis generis homines cum Patribus vel professoribus rem suam quisque tractabant; adde baiulos mercimonia vel cibaria reportantes, adde mendicos stipem efflagitantes. Sed in ea maxima turba Dei Famulus singulos amabili risu acceptabat, recedentibus vale dicebat, omnium animos opportunissimis responsis vel quietis atque urbanissimis sermonibus recreabat. Nil ergo mirum si Dei Famulus ab alumnis <(Hermano Finuras » seu <(Frater Urbanitas » appellabatur et ab omnibus

plurimi existimabatur. Qui autem fieri potuit ut, pluribus rebus intentus, Franciscus valeret nihilominus quietum et serenum praeservare animum, patientia numquam turbata? En quae ipse, hac de re a quodam superiore rogatus, respondit : « Quidquid meis viribus commode possum, id praesto ; reliqua Domino tribuantur, qui omnia potest : cuius adiutorio levia, immo suavia, omnia fiunt : optimo enim hero servimus ». Re vera ille erat vir iustus qui ex fide vivebat (cfr. *Rom* 1, 17) ; eiusque prompta et hilaris caritas non erat nisi externa manifestatio illius promptitudinis qua cordis sui ianuam aperiebat Christo pulsanti, cuius imaginem in omnibus percipiebat. Dominus igitur introivit in cor Francisci eique concessit gratiam intimae amicitiae cum Christo, insignis devotionis eucharisticae et familiaritatis quoque cum Beata Maria Virgine, Matre Dei et hominum. His suffultus praesidiis Franciscus munus ianitoris per quadraginta annos summa cum sedulitate studioque implevit donec, post brevissimum morbum, die nono mensis Septembris anno MDCCCCXXIX piissime obiit. Eius autem sanctitatis fama mirabiliter propagata, peractisque in Curia Victoriensi informativas inquisitionibus, Causae introductio apud Apostolicam Sedem signata est die vicesimo sexto, anno MDCCCCL. Processu apostolico deinde in urbe Flaviobriga rite exacto, quaestio instituta est de virtutibus heroicis Servi Dei, et quidem apud Sacram Congregationem pro Causis Sanctorum, anno MDCCCCLXXXI. Facta deinde Nobis de his omnibus fideli relatione, vota eiusdem sacrae Congregationis rata habentes, decretum super heroicitate virtutum Servi Dei apparari iussimus. Quo facto, die undecimo mensis Februarii, anno MDCCCCLXXXII sollemniter ediximus : « Constare de virtutibus theologalibus fide, spe, et caritate tum in Deum tum in proximum, nec non de cardinalibus prudentia, iustitia, temperantia et fortitudine earumque adnexis Servi Dei Francisci Gárate in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur ». Quaestio subinde institui coepta est apud eandem Sacram Congregationem pro Causis Sanctorum de miraculo ad eiusdem Venerabilis beatificationem.. Conditus enim iam erat Processus Sanctae Sedis auctoritate super mira quadam sanatione, quae, eodem Dei Servo intercedente, divinitus patrata ferebatur in favorem dominae Mariae Ugalde Caño, triginta et quinque annos natae. Quae profecto vehementibus vexata doloribus, Venerabilis Francisci Gárate viva fide speque firmissima patrocinium invocavit vespere diei duodevicesimi mensis Februarii, anno MDCCCCXLIII. Et ecce, mane diei insequentis sanata est a gravi et extensa necrosi ex adustione sinistri femoris. Super huiusce-

modi mira sanatione annis MDCCCCXLVI-MDCCCCXLVII instructus est Processus ordinaria potestate in Curia Victoriensi, quem annis MDCCCCLIII-MDCCCCLVI alter secutus est Apostolicae Sedis auctoritate in Curia Flaviobrigensi, de quorum iuridica forma et vi decretum prodiit die sexto decimo Februarii, anno MDCCCCLXII. De eodem miro autem tum medicum consilium rite disceptavit, tum Sacra Congregatio in suetis conventibus. Post quae Nos die nono mensis Maii, hoc anno, sollemniter ediximus : ((Constare de uno miraculo divinitus patrato, intercedente Ven. Francisco Gárate, videlicet de instantánea, perfecta, constantique sanatione dominae Mariae Ugalde Caño a gravi et extensa necrosi ex ustione sinistri femoris ... » ; atque diem sextum mensis Octobris proximi ad sollemnem beatificationem statuimus. Hodie ergo, per sacrum Missae in Basilica Vaticana sollemniter celebratum, praesentibus frequentissimis tum S. R. E. Cardinalibus, tum Episcopis atque sacerdotibus, tum fidelibus, formulam hanc ediximus, qua Franciscum Gárate aliosque Dei Servos in Beatorum album rettulimus : « Nos, vota Fratrum Nostrorum Angeli Suquía Goicoechea, Archiepiscopi Matritensis, Felixberti Comacho Flores, Archiepiscopi Aganiensis, Aloisii Mariae de Larrea y Legarreta, Episcopi Flaviobrigensis, nec non plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu, multorumque christifidelium explentes, de Congregationis pro Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus, ut Venerabiles Servi Dei Didacus Aloisius de San Vítores, Iosephus Maria Rubio et Franciscus Gárate, Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum die ipsorum natali : Didaci Aloisii de San Vi tores die secunda aprilis, Iosephi Mariae Rubio die secunda maii, Francisci Gárate die nona septembris, in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ». Deinde pieni gaudio novensiles Beatos invocavimus de eorumque vita ac virtutibus sermonem habuimus. Quae vero per has Litteras statuimus nunc atque in perpetuum valeant, contrariis nihil obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die vi mensis Octobris, anno MDCCCCLXXXV, Pontificatus Nostri septimo.

© AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*

Loco 8 **Sigilli**

In Secret. Status tab., n. 169.880.

II

Templum beatae Mariae Virgini sacrum caelo receptae, quod est in dioecesi CosKnensi-Colubregana, ad dignitatem Basilicae Minoris evehitur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Insitum est profecto hominibus, ut ex iis quae natura et ars praestiterint admiranda, ad ea gradiantur quae oculis quidem non videntur, poscit tamen animus ad aeterna natus. Quae tandem causa est, cur Ecclesia sancta, cuius proprium est officium homines ab occiduis ac temporalibus rebus ad immortalia inducere, semper tempia et aedifìcaverit, et arte ornaverit, et imaginibus decoraverit, et signis instruxerit ad fidelium mentes illustrandas, ad pietatem alendam, ad gloriam Dei Superumque, praesertim beatae Mariae Virginis, quantum maxime posset, augendam. Cum ergo Venerabilis Frater Ignatius Jez, Episcopus Coslinensis-Colubreganus, per litteras iam ab hac Apostolica Sede petierit ut templum B. M. V. caelo receptae, quod in sua dioecesi surgit, concathedralis titulo insigne, ad honorem Basilicae Minoris eveheretur : nam, ait, historia, religione, amplitudine, structura praestat, maxime quod recens in pristinum restitutum sit; Nos, iis comprobatis, quae Congregatio pro Cultu Divino factis olim a Nobis facultatibus, de re statuerit, admotae exspostulationi libenti animo concedimus. Placet ergo templum cuius mentionem fecimus, scilicet B. M. V. in caelum Assumptae, in dioecesi Coslinensi-Colubregana exstans, Basilicis Minoribus accenseri, cum iuribus atque privilegiis talium templorum propriis, modo servata sint quae per Decretum « De titulo Basilicae Minoris », die vi mensis Iunii factum, anno MDCCCCLXVIII, iubentur. Contrariis nihil obstantibus. Ceterum quae gessimus fausta, felicia, fortunataque sint, Christique religionis incremento conducant.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die x mensis Iunii, anno MDCCCCLXXXVI, Pontificatus Nostri octavo.

ffi AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*

Loco © Sigilli

In Secret. Status tab., n. 118.232.

III

Sinitur Episcopus Garagoënsis Imaginem B. M. V. « del Amparo de Chinavita » pretioso diademate coronare.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Semper quidem, ab usque Ecclesiae primordiis, consuevit populus christianus, suorum ductu Pastorum, sanctos caelites honorare et invocare, cum fuerint ac sint amici fidelissimi Dei, iidemque mortalium, per haec deserta vitae peregrinantium, praesidium, auxilium, tutela. Semper autem in hoc fere pietatis certamine, beata Yirgo Maria principem locum habuit, utpote Christi, adorandi Filii Dei castissima parens, et validissima apud Deum pro Christifidelibus deprecatrix. Cum ergo Venerabilis Frater Ioannes Mojica Oliveros, Episcopus Garagoënsis, in finibus Columbiae, de communi sententia cleri atque fidelium, ab hac Apostolica Sede petierit ut Imago beatae Mariae Virginis « del Amparo de Chinavita », quam in sua ipsius dioecesi grex fidelis iamdiu summa pietate colit, totaque regio honorât, nomine et auctoritate Nostra pretioso diademate redimiri posset, libenti Nos animo eidem Venerabili Fratri hanc potestatem facimus, id fore confisi, ut per hoc et tantae Virginis decus augeatur, et religio populi erga Matrem Filiumque divinum accrescat. Poterit ergo Venerabilis Frater Ioannes Mojica Oliveros sive per se, sive per alium quem ipse delegaverit, modo in ecclesiastica dignitate constitutum virum, stata ac sollemni caerimonia, Imaginem beatae Mariae Virginis ((del Amparo de Chinavita » coronare, quo die velit; sicque vota sua suique gregis complere. Contrariis nihil obstantibus. Quod sive Pastori, sive fidelium agmini bonum, felix faustumque sit.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxi mensis Iunii, anno MDCCCCLXXXVI, Pontificatus Nostri octavo.

8 AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*

Loco © Sigilli

In Secret. Status tal., n. 178.068.

IV

Imago B. M. V., quae in dioecesi Pinskensi pie colitur necnon in paroeciali templo loci vulgo « Ostrozany » asservatur, pretioso diademate redimitur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Ex historia loci ((Ostrozany », qui dioecesis Pinskensis est paroecia, certo cognoscitur clarum templum illic anno MCCCCL primum effectum esse in honorem B. M. V. necnon Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli Sanctique Martini Confessoris, posthac autem bis reiectum, cuius fortuna separari nequit sane ab Imagine aeque insigni ipsius B. M. V. iam inde a saeculo xvu ibidem asservata. Certa quaedam praeter hominum famam documenta exstant, quae testantur et invicte confirmant quam studioso et assiduo in diesque crescenti venerationis cultu id simulacrum, quod diximus, prosequi non soli Ostrozanenses incolae soliti sint, sed complures etiam fideles ex omni provincia olim Podlachiensi aliisque ex longinquis olim Regni Poloniae regionibus eousque ad tantam Matrem veluti ad Salutem infirmorum et Consolatricem afflictorum pio gratoque animo peregrinantes. Neque desiderantur illis in locis signa favorum, qui tot per annos ac praesertim belli tempore B. M. V. Ostrozanensis opportune invocatae munificam benevolentiam testari censentur. Quibus omnibus consideratis, venerabilis Frater Ladislaus Jedruszuk, Episcopus titulo Clysmatenus necnon Pinskensis Ecclesiae Administrator Apostolicus, Plenaria etiam Episcoporum Poloniae Conferentia idem in votis habente, cleri et Christifidelium vota expromens, haud ita pridem petiit ut Nostro nomine et auctoritate memoratam liceat Imaginem B. M. V. diademate coronari. Quare Ipsi, qui vehementer cupimus ut cultus B. M. V. ubique magis excitetur inter fideles magisque alatur, harum Litterarum virtute facultatem facimus ut vi et potestate Nostra Nostroque nomine eadem quam diximus Ostrozanensis Imago B. M. V. pretioso diademate coronetur, servatis de ritu ac formula praescriptis. Has denique Apostolicas Litteras Nostras nunc et in perpetuum suos effectus habere volumus, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die xxiv mensis Iulii, anno MCMLXxxvi, Pontificatus Nostri octavo.

© AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*

Loco © Sigilli
In Secret. Status tab., n. 119480.

V

Ecclesiae Beatae Mariae Virgini sub titulo a Monte Carmelo dicatae in urbe Sancta Fide in Argentina Basilicae Minoris dignitas tribuitur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Veri catholici non sunt in Ecclesia sancta Dei, quin cum Christo peculiari cultu prosequantur eius Virginem Matrem, scientes hanc et sibi esse Matrem datam a Redemptore in cruce monente : Matrem quam iuvat variis sub titulis colere et invocare, e locis ortis vel ex insignibus propriis, quae ei translaticia pietas christiana per saecula tribuit, vel e miris interventibus, quibus Ea tam multas gratias Christifidelibus impetravit. Quantum autem haec religio proficiat ad animorum salutem, qui dulci tutela et misericordia Sanctissimae Virginis fruuntur, multaque aluntur fiducia posse se, ea deprecante, caelestia beneficia omne genus accipere, cotidiana consuetudo significat. Perutile igitur est hanc venerationem vehementer fovere, etiam singularibus honoribus et loca decorando, ubi Beatissima Virgo frequenti fidelium concursu celebratur. Eam ob rem Venerabilis Frater Edgardus Gabriel Storni, archiepiscopus Sanctae Fidei in Argentina, suum communeque cleri et populi christiani votum proferens, Nos postulavit ut ecclesiam Beatae Mariae Virgini in urbe Sancta Fide dicatam sub titulo a Monte Carmelo, titulo et dignitate Basilicae Minoris exornare dignaremur. Nos autem, considerato eius ecclesiae momento et bono spiritali ex concessione manaturo, consulta probantes Congregationis pro Cultu Divino, expostulationem aeque animo admisimus. Placet ergo ecclesiae Beatae Mariae Virginis a Monte Carmelo in urbe Sancta Fide in Argentina titulum et dignitatem tribuere Basilicae Minoris, cum iuribus et privilegiis huiusmodi templorum propriis, servatis tamen iis, quae decretum « de titulo Basilicae Minoris », die vi mensis Iunii anno MCMLXVIII editum servari iubet. Quae vero statuimus, volumus nunc et in posterum firma esse, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die v mensis Augusti, anno MCMLXXXVI, Pontificatus Nostri octavo.

© AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*

Loco © Sigilli
In Secret. Status tab., n. 181.283.

VI

Beatissimus Pater imaginem B. M. V. a Mercede, in archidioecesi Calí, quae est in Columbia, veneratam Ipse coronat.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Quanta animi inclinatione feramur in Virginem Mariam, omnes quidem noverunt, cum per occasionem publice privatim, iterum iterumque ostendamus : est enim eadem, Christi Mater, seu virga illa florida lesse, ex qua per Filium redemptio nostra primam traxit originem ; at est etiam simul Mater nostra, quae non modo filios protegit, amabilis omnium Patrona, sed etiam per exempla egregia virtutis ad immortalia, ex his rebus caducis, adtrahit. Qua re, cum Venerabilis Frater Petrus Rubiano Sáenz, archiepiscopus Caliensis, in finibus Columbianae Rei publicae, suo clerique populique nomine, iam a Nobis id petiisset, ut in proximo itinere, quod in Columbiana suscepturi essemus, Imaginem B. M. Virginis de Mercede, seu, ut populus dicit : « Nuestra Señora de las Mercedes », antiquam quidem et a populo illo summe veneratam, cuius cum historia alternae gentis vices necterentur, benigne coronaremus, Nos, rati posse hanc caeremoniam pietatem erga Deum eiusque augustissimam Matrem augere, atque idcirco etiam pacem et felicitatem, quae ab ea ceu fonte manant, rem die quarto mensis Iulii, hoc hanno, sollemnissime gessimus, magna scilicet Christifidelium non solum multitudine, sed etiam gaudio. Ut autem actae rei memoria quam diutissime per saecula maneret, has Litteras Apostolicas dari iussimus, contrariis nihil obstantibus. Ceterum quod tanta est actum pietate, felix, faustum fortunatumque sit, cum sacro Caliensi Praesuli, tum eius populo Nobis carissimo.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die xx mensis Augusti, anno MDCCCCLXXXVI, Pontificatus Nostri octavo.

© AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*

Loco © Sigilli

In Secret. Status tab., n. 181.670.

VII

Summus Pontifex imaginem Beatae Mariae Virginis, sub titulo « Nuestra Señora de la Candelaria » in sanctuario « La Popa » veneratam, Ipse coronat.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Quantum Beatissima Virgo Maria universo populo catholico cara sit qualique ab eo pietate colatur nemini ignotum, maxime cum Christi Mater et nostra alicuius gentis historiam suis interventibus manifesto signat. Nihil igitur mirum si eius templa, praesertim fama illustrata, crebris Christifidelium concursibus frequentantur, tum ad amorem filiorum significandum, tum ad gratias in vitae necessitatibus petendas. Quod quidem et fidei et moribus et religioso fervori non prodesse multum non potest. Huius rei sibi conscius Venerabilis Frater Carolus Iosephus Ruiseco, archiepiscopus Carthaginiensis in Columbia, suum atque cleri et populi proferens votum, a Nobis efiflagitavit ut in itinere, quod in Columbiam essemus facturi, imaginem Beatae Mariae Virginis, sub nomine « Nuestra Señora de la Candelaria)) in sanctuario « La Popa » antiquitus et sine intermissione usque ad hoc tempus veneratam, coronare dignaremur. Nos vero, persuasum habentes eiusmodi honoris signum posse dilectionem erga Beatam Virginem Mariam augere et bona multiplicare inde oritura sive pro singulis sive pro tota illa natione, imaginem illam die sexto mensis Iulii hoc anno Nostris manibus sollemniter pretioso diademate redimiimus, coram magna fidelium multitudine gaudium suum significante. Ut huius eventus memoria perpetuaretur, de his Litteris Apostolicis dandis decrevimus, contrariis nihil obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die xx mensis Augusti, anno MCMLXXXVI, Pontificatus Nostri octavo.

& AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*

Loco © Sigilli

In Secret. Status tab., n. 181.671.

VIII

Beatae Mariae Virginis Immaculatae imago, quae in ecclesia paroeciali in oppido Malabon colitur, in Insularum Philippinarum finibus, diademate redimiri sinitur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Cum Nos sollicito studio Ipsi Beatissimam Virginem Mariam prosequimur, tum etiam, quotiescumque de gloria atque eiusdem laude agitur apud Christifideles augenda, operam esse dandam arbitramur. Satis quidem constat quo honore Virgo Maria in Insulis Philippinis habeatur quaque veneratione excolatur. Complura enim exstant templa eidem dicata atque imagines, inter quas annumeretur oportet praeclare signum illud quod in aede paroeciali in oppido Malabon asservatur, quodque fideles sub appellatione Immaculatae Conceptionis (sed ipsi fideles plerumque vernáculo verbo ((Visita » utuntur) pientissime venerantur, memoria sane tenentes eiusdem intercessione permulta evenisse prodigia. Cum igitur Venerabilis Frater Noster Iacobus S. R. E. Card. Sin, Archiepiscopus Manilensis, datis litteris die xxv mensis Iunii anno MCMLXXXVI, vota quoque Venerabilis Fratris Nostri Richardi S. R. E. Card. Vidal, Archiepiscopi Caebuani atque nonnullorum episcoporum necnon cleri populique significans, ab Apostolica hac Sede petierit, ut veneranda imago Beatae Mariae Virginis Immaculatae in templo paroeciali, quod supra memoravimus, nomine et auctoritate Nostra pretioso diademate redimiri posset, libenter quidem ei hanc potestatem facimus. De sententia igitur Congregationis pro Cultu Divino, auctoritate Nostra Apostolica, Venerabili Fratri Nostro Iacobo Sin, vel per se, vel per alium quem idoneum iudicaverit, quo die sane oportebit, eas partes committimus ut imagini Immaculatae Virginis Mariae vulgo ((Visita » nuncupatae in praefata aede parociali positae, pretiosam coronam Nostro nomine et auctoritate imponat, iuxta liturgicas normas. Ceterum Nos confidimus sacra haec sollemnia in fidelium bonum esse cessura atque in caeli Reginae dilectionem. Contrariis quibusvis non obstantibus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xvi mensis Septembris, anno MCMLXXXVI, Pontificatus Nostri octavo.

ffl AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*

Loco © Sigilli
In Secret. Status tab., n. 182.076.

ALLOCUTIONES

I

Ad eos qui conventui Romae habito, anno XL expleto a fundatione ephemeridis vulgo ZNAK cognominatae, interfuerunt coram admissos.*

Messieurs les Cardinaux,
Excellences,
Mesdames, Messieurs,
Chers amis,

1. C'est une grande joie pour moi de vous rencontrer à l'occasion du jubilé de la revue mensuelle ZNAK qui, depuis quarante ans, sert la culture chrétienne et polonaise.

Et je suis particulièrement heureux de fêter ce jubilé ici, avec des amis de ZNAK de différents pays.

En effet, à l'occasion de ce quarantième anniversaire, l'équipe de rédaction de ZNAK a voulu faire un pèlerinage à Rome. En même temps, elle a souhaité trouver une occasion de rencontre avec des représentants des milieux culturels romains, en particulier du monde universitaire. Ainsi est né le projet d'organiser un colloque sur un thème qui intéresserait les Polonais, les Italiens, les membres des organismes du Saint-Siège et d'autres personnalités des pays européens. Informé de cela, le Cardinal Paul Poupard, en tant que Président exécutif du Conseil pontifical pour la Culture, a manifesté un vif intérêt et une grande disponibilité pour réaliser cette initiative. Alors le colloque a pu avoir lieu ces derniers jours, avec notamment la participation du Cardinal Poupard, du Cardinal Joseph Ratzinger, d'éminents universitaires tels que le Professeur Tadeusz Chrzanowski, &e Cracovie, le Professeur Jacek Salij, O.P., de Varsovie, le Professeur Mkolaus Lobkowicz, d'Eichstätt.

Je salue avec joie la rédaction de ZNAK, les membres de la délégation polonaise de Cracovie, de Lublin, de Varsovie, avec le Cardinal Franciszek Macharski, Archevêque de Cracovie, qui se joint à nous ce matin, et tous les participants au colloque.

Je remercie spécialement le Cardinal Poupard de son hommage de présentation. Je remercie également tous ceux qui ont contribué à la

* Die 19 m. Iunii a. 1986.

tenue de ce colloque ; je pense notamment à l'aide apportée par l'Institut polonais de la culture chrétienne, et par l'Institut pontifical des études ecclésiastiques à Rome qui a organisé également une rencontre pour les Polonais.

2. La publication ZNAK a pris racine et s'est développée dans la culture chrétienne, grâce aux hommes qui l'ont fondée, qui en ont assuré la rédaction ou qui ont écrit des articles pour elle. Plusieurs nous ont quittés, d'autres sont venus plus tard apporter leur participation, mais l'identité fondamentale demeure la même, au milieu des conditions qui changent et occasionnent une croissance homogène.

En même temps, ZNAK a voulu être un lieu de rencontre, de dialogue, avec la noble ambition d'informer sur les nouveaux courants de pensée, en portant sur eux une appréciation, en indiquant les dangers qu'ils comportent, en cherchant les valeurs authentiques qu'ils véhiculent. En un mot, ZNAK a cherché a être très présent dans l'Eglise universelle, comme dans l'Eglise en Pologne. Cela se réalisait par la publication de textes d'auteurs éminents du monde chrétien : qu'il me sufiise de rappeler, entre autres, la fameuse lettre pastorale du Cardinal Suhard : « Essor ou déclin de l'Eglise? », les œuvres de Thomas Merton, de nombreux philosophes et théologiens ; cela comportait aussi une réflexion critique qui éclairait les changements, les expériences et les recherches intellectuelles du monde contemporain. Sur tout cela, je n'ai pas besoin de m'étendre, le Cardinal Poupard en a amplement parlé dans le discours inaugural du colloque, et il s'agit de choses familières à nos amis polonais.

3. Pour ma part, permettez-moi de m'arrêter à plusieurs noms qui me sont d'autant plus chers que c'est à Cracovie que sont nés, aussitôt après la guerre, les périodiques dont nous parlons. Nous avons précisément parmi nous, avec l'actuel rédacteur en chef, Monsieur Stephan Wilkanowicz, les deux fondateurs de la revue ZNAK : le professeur Stanislaw Stomma et le rédacteur Jerzy Turowicz. Le premier fut, en même temps que Madame Hanna Malewska, corédacteur de ZNAK durant la première période de son activité, jusqu'à sa suppression temporaire dans les années 1953-1957, pour les raisons que vous savez. Il s'est ensuite engagé dans l'activité politique en explorant la possibilité d'entente entre le gouvernement et la société, et, lorsque vint le temps de l'épreuve, il a rendu, en toute solidarité, témoignage aux valeurs qu'il a servies.

Monsieur Jerzy Turowicz était, lui, le rédacteur en chef de l'hebdomadaire ((Tygodnik Powszechny » qui a fêté lui aussi son quarantième annniversaire, l'an dernier à Rome. Il demeure un « signe » de l'identité et de l'unité du même milieu intellectuel catholique de Cracovie où s'élaboraient les deux périodiques distincts. Lui-même appuie depuis quarante ans la fondation ZNAK, en surmontant les difficultés diverses et les différents obstacles.

Quant à Hanna Malewska, elle a rejoint voilà deux ans la maison du Père. Elle a été rédactrice de ZNAK durant de nombreuses années ; sa façon d'écrire y était tout à fait remarquable. Aujourd'hui, nous évoquons avec gratitude l'héritage qu'elle nous a laissé, appréciant la profonde compréhension qu'elle avait de la vocation de l'homme, de son histoire et de la culture qu'il crée, aussi bien dans les temps lointains qu'aujourd'hui. Elle a magnifiquement décrit, entre autres, le monde de l'époque de saint Benoît, la construction des cathédrales médiévales, le drame de saint Thomas More, et celui, tout autre, de l'archevêque Thomas Cranmer, comme aussi l'histoire de ses ancêtres aux XIXe et XXe siècles.

4. Je voudrais encore souligner une double caractéristique des revues ZNAK et TYGODNIK POWSZECHNY. Par rapport aux autres périodiques de théologie, ces deux revues avaient l'originalité d'être l'œuvre de laïcs catholiques et d'être destinées à des laïcs de l'intelligentsia catholique en Pologne. Les fondateurs et les rédacteurs étaient conscients des besoins des intellectuels chrétiens en ce domaine. La foi en effet ne peut pas se passer de chercher à comprendre toujours mieux le monde dans lequel nous vivons, à répondre aux questions des hommes sur le sens de la vie présente et future et leurs rapports réciproques, questions permanentes mais qui prennent, pour chaque génération, en fonction de sa culture, une forme particulière : « Fides quaerit intellectum ». En ce sens la foi crée le besoin de la culture, pour s'incarner dans la pensée et dans l'action d'un peuple. Mais, en même temps, quand les personnes sont vraiment fidèles à leur foi, ce qui est le cas pour les responsables de ZNAK, la foi informe la culture, lui donne son empreinte, son visage, vérifie l'authenticité de ses œuvres, car elle est la réponse simple et transcendante que l'homme donne à Dieu qui se révèle lui-même : « Intellectus quaerit fidem ». C'est ce double mouvement réciproque de la pensée chrétienne qui a caractérisé la fondation ZNAK. L'Eglise a toujours besoin de cette pastorale de la pensée :

c'est à ce prix que se fera l'évangélisation non seulement des intellectuels mais du peuple chrétien qui participe à leur culture.

5. Et j'ai noté que cela a été principalement l'œuvre de laïcs : conscients de la mission qui incombe à tous les baptisés dans l'Eglise, ils se sont consacrés à ce service qualifié de leurs frères en Pologne. Ils ont réalisé ce que le Concile a dit depuis lors de l'apostolat des laïcs : « Tout ce qui compose l'ordre temporel : les biens de la vie et de la famille, la culture, les réalités économiques, les arts et les professions leur évolution et leur progrès, n'ont pas seulement valeur de moyen par rapport à la fin dernière de l'homme. Ils possèdent une valeur propre, mise en eux par Dieu lui-même ... Les laïcs doivent assumer comme leur tâche spécifique le renouvellement de l'ordre temporel » -[1] Ils doivent avoir une vision toujours plus mûre de la valeur propre de ces réalités, et s'appliquer à l'exprimer. Les collaborateurs de ZNAK l'ont fait dans des domaines aussi variés que la théologie proprement dite, la philosophie, l'art, l'histoire, la littérature, les sciences sociales. On demeure frappé par l'amplitude des horizons explorés, la richesse des thèmes, la multiplicité des propositions intellectuelles, la valeur des réponses aux interrogations modernes. J'aime y voir une expression privilégiée de l'apostolat de laïcs qui ont su allier l'humilité de la recherche à la certitude de la foi.

6. Très brièvement, je vais évoquer maintenant le double thème que votre colloque, au delà de la commémoration jubilaire de ZNAK, a voulu aborder : d'une part le dialogue des cultures et l'unité de l'Europe, et d'autre part la théologie de la libération.

Vous avez ainsi jeté un pont entre le passé et le présent, de façon à mieux envisager l'avenir. Les saints Cyrille et Méthode nous aident à comprendre la pluralité et l'unité, le droit à la différence et l'essentielle unité de l'Eglise et de l'Europe. Aujourd'hui, nous cherchons les racines chrétiennes de l'Europe et également les voies de son évangélisation, d'une nouvelle évangélisation. Nous cherchons aussi les moyens de construire ou de recomposer son unité malgré les divisions religieuses, culturelles et politiques. Ce thème est capital et j'ai eu bien des fois l'occasion de le développer : devant le Symposium des Evêques Européens, devant celui des prêtres et, le 21 avril dernier, devant le Colloque sur l'héritage chrétien de la culture européenne.

[1] *Apostolicam actuositatem,* **7.**

7. Vous avez abordé également la problématique actuelle de la libération, en rapport avec le passé, notamment avec les courants de pensée et les expériences polonaises au siècle dernier. Ce n'est pas d'aujourd'hui que date le combat de l'homme pour sa libération, pour la satisfaction de ses droits humains. Il est bon de connaître les succès et les erreurs du passé, pour préparer un avenir meilleur. Le monde contemporain ressent lui aussi le besoin d'être libéré d'un certain nombre de servitudes. Certains pays vivent douloureusement les drames d'une contrainte politique et économique, qui s'impose parfois de facon violente ou sous forme d'oppression continue. N'oublions pas non plus les bouleversements et les contraintes plus subtiles qui peuvent consister à déformer ou à blesser les pensées et les sentiments de l'homme par une sélection tendancieuse de l'information, par la manipulation du langage, par la falsification des valeurs. La récente instruction sur la liberté chrétienne et la libération a fait le point sur ces contraintes indues et sur l'objectif des chrétiens : le changement nécessaire des structures injustes, subordonné au changement de l'injustice du cœur humain.[2]

L'édification d'une culture chrétienne dans la vie et les activités sociales commence en effet par une compréhension correcte de la liberté dans ce qu'elle a de fondamental; elle inclut la liberté intérieure et la liberté extérieure orientées vers le bien. La libération est en définitive la victoire du bien sur le mal dans chaque homme et dans la vie sociale. Dans celle-ci, un tel progrès doit aboutir à une meilleure protection des droits de l'homme, y compris sa liberté, et à créer pour lui les meilleures conditions de développement. Mais la libération sociale n'est authentique et effective que si le bien l'emporte dans le cœur de tout homme. Plus le mal social est grand, plus les hommes qui le combattent doivent être meilleurs afin qu'ils puissent résister à la contagion que le mal social porte avec lui.

8. Les générations se succèdent, les hommes changent. Nous devons travailler à rendre le Christ proche d'eux pour qu'ils puissent le rencontrer; il nous faut mettre en œuvre son enseignement au regard des conditions nouvelles. ZNAK n'a cessé d'y contribuer pour sa part. Invoquons la protection des saints patrons de l'Europe, Benoît, Cyrille et Méthode, pour poursuivre l'évangélisation des esprits, édifier le Règne de Dieu, la civilisation de la vérité et de l'amour.

Je vous remercie de m'avoir donné l'occasion de célébrer avec vous le jubilé de la fondation ZNAK et je vous bénis de tout cœur.

[2] Cf. n. 75.

II

Ad quosdam Indiae episcopos, occasione oblata « ad limina » visitationis coram admissos.*

Dear Brother Bishops,

1. Not many months have passed since our heavenly Father enabled me to celebrate the Eucharist with yon and with représentatives of your respective Diocèses at Shillong. Together we listened to the word of God and shared in the breaking of bread and in prayers.[1]

As you, *the Bishops o f the North Eastern région of India,* are making your *ad Limina* visit, it is a source of profound joy for me to recali the beauty of the North-East hüls and plains, the rieh variety of your peoples' ethnie and cultural héritage, and the vitality of your local Churches. The words of Saint Paul to the Corinthians echo my sentiments : "I give thanks to God always for you because of the grâce of God which was given you in Christ Jesus".[2]

The grace of God was given you in Christ Jesus. The work of evangelization which was begun in your area only a hundred years ago, the work over which you preside today, is a gift of God to the people of your land. The word that has been preached is the word of God. The sacraments which have nourished the life of your communities are the efiicacious signs of Christ's grace at work among you. The Christian life which has steadily grown among the various ethnie groups of the région is indeed a treasured gift of God.

The men and women who have planted the seed and nourished it with care have been the faithful "servants of Christ, doing the will of God f rom the heart".[3] Today in that same field you and your collaborator are *"Cod's fellow workers".*[4] This is your privilège and your great responsibility.

2. My visit took place within a context of particular significance for the Church in North-East India. Your Diocèses are now in the sixth of a Novena of years of préparation for the célébration in 1990 of *the centenary of the establishment o f the Church in your région.* When

* Dies 20 m. Iunii a. 1986.

[1] Cf. *Acts* 2:42.

[2] *1 Cor* 1:4.

[3] *Eph* 6:6.

« *1 Cor* 3:9.

I was among you at Shillong I spoke briefly of the history of the Assam mission and of the dedicated men and women who were the apostles of the Gospel of Christ to your peoples. Again today we give thanks to God for them. Inspired by their example, may all who exercise the various degrees of responsibility in your local churches renew their résolve to carry forward in diligence and joy the work begun almost a hundred years ago.

In préparation for the centenary, each year you have issued a *Joint Pastoral Letter* on a thème of fundamental importance for the life of your communities. Thus you have written on the Church, Christian living, Evangelization, Catechesis, Christian Marriage and the Family, and most recently, on the thème of Youth. This is a subject particularly close to your hearts, since your young people play a vital role in the Church's growth in North-East India.

In thèse Pastoral Letters you have focused attention on aspects of the Church's life on which the Second Vatican Council offered authoritative teachings and valuable pastoral insights. Thus the extraordinary grace of renewal which the Council represented for the entire ecclesial body is being assimilated into the minds and hearts of the faithful; in the first place into the minds and hearts of the priests, religious and committed lay persons who labour with you in building up the Churches entrusted to you.

As your Brother in the episcopal ministry, sharing with you the responsibility of caring for the Church of God,[5] I wish to commend you for the timeliness of your initiative. As Saint Paul encouraged the eiders of the Church of Ephesus : "I commend you to God and to the word of his grace, which is able to build you up and to give you the inheritance".[6] Let us pray that the Lord of the harvest, who alone gives the growth,[7] may bless the opening of *the second* ***Century*** *of the Church's présence* among your peoples with a further flourishing of Christian life.

3. Within your communities you, the pastors, have a specific mission entrusted to you by the Lord himself : that of spreading his Church, ministering to it under his guidance and shepherding it until he comes again.[8]

[5] Cf. *Acts* 20:28.

[6] *Acts* 20:32.

[7] Cf. *1 Cor* 3:7.

[8] Cf. *Lumen Gentium,* 19.

There is one aspect of your pastoral mission about which I wish to reflect with you, and indeed with ali who have a share in the Ohurch's service to the human family. It is the question *oí the centrality and primacy of the per son* in relation to every aspect of the Church's activity.

This reflection applies first of all to the very content of evangelization. The heart of your pastoral ministry is the preaching of the Good News of salvation *in the person of Jesus Christ,* the Word made flesh. The message is not merely a theory or doctrine, however sublime. The first obligation of the apostle is to bear witness to the person of our Lord and Saviour : "that which we have seen and heard we proclaim also to you".[9]

The basic content therefore of evangelization and catechesis is not an abstract lesson for living, but the reality of the Son of God and Son of Man, our Lord Jesus Christ. In fact, "to evangelize is first of ali to bear witness in a simple and direct way *to God revealed by Jesus Christ, in the Holy Spirit:* to bear witness that in his Son God has loved the world—that in his Incarnate Word he has given being to ali things and has called men to eternai life".[10]

In the earliest days of the Church the Apostles gave pride of place to the kerygmatic announcement of the Rédemption worked *by the Death and Résurrection o f Jesus o f Nazareth:* "they were teaching the people and proclaiming *in Jesus* the résurrection f rom the dead".[11] Paul too made the person of Christ the special object of his preaching : "I decided to know nothing among you except Christ Jesus and him crucifìed".[12] The Church has never ceased to proclaim the one in whom "the fullness of God was pleased to d well".[13]

4. Today in your locai Churches you are the witnesses to Jesus Christ, the Son of the living God.[14] In the words I used when speaking to ali the Bishops of India gathered at New Delhi : "You are called to proclaim salvation, mercy and compassion in the name of God who 'so loved the world that *he gave his only Son'* ",[15]

[9] i *Jn* 1:3.
[10] *Evangelii Nuntiandi,* 26.
[11] *Acts* 4:2.
[12] *1 Cor* 2:2.
[13] *Col* 1:19.
» **Cf.** *Mt* 16:16.
[15] Address to the Bishops of India, 1 February 1986, No. 2.

In relation to catechesis you yourselves have written : "To acknowledge *Christ as the centre of catechesis* would imply that we teach about him, that whatever we say or do will have a référence to him, and above ali, that he himself is the Teacher".[16]

I wish to encourage you never to lose sight of the centrality of the person of Jesus Christ in every activity aimed at building up the Christian community. The servants of the Gospel must always be careful not to teach a message deprived of its substance or to transform the message of salvation into a mere theory of social and economie justice. The fervour and resourcefulness of your Churches dépend on the measure in which the person of our Lord remains the focal point of your lives and endeavours. The importance you give *to the Bible in the formation of your communities* offers the assurance that their prayer and spiritual life will be founded on the solid basis of the word of God. I gladly note that you have implemented various initiatives in this field.

5. I also wish to refer briefly to *the primacy of the person* in relation to the planning and exécution of programmes of evangelization and human advancement. *The object of the Church's care is the human person* made in the image of God and called to live, act and, in turn, be treated according to the supreme commandment of love.

In the concrete circumstances of your Churches, evangelization embraces many forms of service of your peoples' well-being and development—spiritual, social and material. As the Apostolic Exhortation *Evangelii Nuntiandi* points out, "between evangelization and human advancement—development and libération—there are in fact profound links".[17] These links are anthropological and theologicae The people to whom evangelization is directed live and act within particular social and economie structures, which themselves are destined to be influenced by the Gospel message of libération. Indeed, the plan of Rédemption "touches the very concrete situations of injustice to be combatted and of justice to be restored".[18] There is no doubt therefore that the Church's activity is directed to the progress and advancement of people at every level of their existence. Your own ministry embraces a multi-

[16] Joint Pastoral Letter on Catechesis in North-East India, 1984, No. 4.

[17] No. 31.

[18] *Ibid.*

tude of concerna, as manifested in the great variety of educational, charitable and social works which you promote and encourage.

The *Social Doctrine of the Church* which guides your endeavours to promote the integral development of your people is entirely built on the value of the human person and the demands of his dignity in the context of God's plan for the human family. In the Church's pastoral mission, "what matters is to evangelize man's culture and cultures ... *always taking the person as one's starting-point and always* ***Coming*** *back to the relationships of people* ***among*** *themselves and with God".*[19]

Eandem vero conversionem hanc percucurrisse constat iter prorsus singulare, cum non sane id ageretur ut catholica fides retegeretur, verum tandem repeteretur. Eam enim amiserat ille sibi profecto persuasum habens perdentem se ipsam non iam Christum sed solam Ecclesiam deserere.

Christiano namque more a matre[10] erat institutus, pia videlicet sanctaque Monica.[11] Porro eandem ob educationem fideliter semper cre-

[7] Cfr. S. Augustinus, *Serm. 93,* 4; *Serm. 213,* 7: *PL* 38, 575; 38, 1063 (deinceps ubi non nominatur expresso nomine Auctor, intellegatur S. Augustinus).

* Cfr. *De beata vita* 4: *PL* 32, 961; *Contra Acad.* 2, 2, 4-6: *PL* 32, 921-922; *Solil.* 1, 1, 1-6: *PL* 32, 869-872.

[9] *De dono persev.* 20, 53: *PL* 45, 1026.

[10] Cfr. *Confessiones 1,* 11, 17: *PL* 32 , 669.

[11] Cfr. *ibid.* 9, 8, 17-9, 13, 17: *PL* 32, 771-780.

didit Augustinus non modo Deum esse providentiamque et vitam aeternam/[2] verum Christum etiam cuius nomen, ut ait, ((in ipso adhuc laete matris ... praebiberat » .[13] Ad catholicae aliquando Ecclesiae fidem reversus, scripsit postmodum redisse sese « quasi de itinere in illam religionem, quae pueris nobis insita est, et medullitus implicata)).[14] Ipsius igitur interiorem progressionem intellegere quicumque voluerit atque rationem fortasse ultimam ingenii eius mentisque debet omnino hac proficisci a veritate.

Experrectus undevicesimo aetatis anno ad sapientiae amorem, cum Ciceronis perlegisset *Hortensium* : « Ille vero liber mutavit affectum meum et immortalitatem sapientiae concupiscebam aestu cordis incredibili)),[15] intimis iam sensibus veritatem amabat omnibusque animi viribus eam conquirebat semper. « O Veritas, Veritas, quam intime etiam tum medullae animi mei suspirabant tibi ! » .[16]

Quamquam hic autem suberat amor veritatis, in magnos tamen Augustinus procidit errores. Quorum quidem causas quaerunt docti inveniuntque tribus in partibus : in vitiata ipsa explicatione necessitudinum inter rationem intervenientium ac fidem, tamquam alterutram eligi oportet; in putata aliqua Christi et Ecclesiae discrepantia, unde persuadebant sibi quidam ut plenius quis ad Christum adhaeresceret, esse ipsam deserendam Ecclesiam ; in cupiditate se a peccati conscientia liberandi non per eius remissionem ex gratiae opere verum per humanarum partium negationem ipso in peccato.

Fuit ideo error primus affectio rationalis quaedam, qua sibi persuasit « docentibus potius quam iubentibus esse credendum » .[17] Quo porro animo Sacras Litteras evolvit seque mysteriis ipsis repelli sensit quae inibi continerentur, quippe quae demissa necesse esset fide amplecti. Suo postea populo enarrans hoc vitae tempus dixit : « Loquor vobis, aliquando deceptus, cum primo puer ad divinas Scripturas ante vellem afferre acumen discutiendi, quam pietatem quaerendi...; Ego autem miser, cum me ad volandum idoneum putarem, reliqui nidum ; et prius cecidi, quam volarem » .[18]

[12] Cfr. *ibid.* 6, 5, 8: *PL* 32, 723.

[13] *Ibid.* 3, 4, 8: *PL* 32, 686; *ibid.* 5, 14, 25: *PL* 32, 718.

[14] *Contra Acad.* 2, 2, 5: *PL* 32, 921.

[15] *Confessiones* 3, 4, 7: *PL* 32, 685.

[16] *Ibid.* 3, 6, 10: *PL* 32, 687.

[17] *De beata vita* 4: *PL* 32, 961.

[18] *Serm. 51,* 5, 6: *PL* 38, 336-337.

Incidit hoc tempore in Manichaeos, quos auscultavit estque sectatus, et eam quidem ob rationem praecipuam quod « se dicebant, terribili auctoritate separata, mera et simplici ratione eos qui se audire vellent introducturos ad Deum, et errore omni liberaturos ».[19] Tunc porro praebebat se Augustinus « apertum et sincerum verum tenere atque haurire cupientem »,[20] solius videlicet rationis virtute.

Pluribus autem studiorum traductis annis, potissimum philosophiae,[21] cum deceptam intellegeret se at Manichaeorum inductus efficacitate praedicandae propriae doctrinae usque sibi persuaderei haud reperiri in catholica Ecclesia veritatem,[22] magna correptus est animi debilitate seque proin verum umquam cogniturum desperavit: ((diu gubernacula mea repugnantia omnibus ventis in mediis fluctibus Academici tenuerunt w.[23]

Idem vero eum veritatis amor eripuit hoc ex interiore discrimine, qui numquam intra eum non vigebat. Fieri non posse perspexit ut veritatis via hominum clauderetur menti ; quam si minus detegerent, idcirco evenire quod neglegerent ac despicerent modum veritatis quaerendae.[24] Qua quidem firma roboratus sententia ipse sibi respondit : « Imo quaeramus diligentius, et non desperemus ».[25] Perrexit itaque inquirere iamque, gratia divina perductus, quam deprecando et ubertim tiendo mater impetraverat,[26] portum occupavit.

Rationem fidemque binas esse intellexit impulsiones, simul quae operari deberent ut ad veritatis cognitionem ipsum perveherent hominem,[27] earum vero utramque suum habere principatum — fidem scilicet temporarium, absolutum rationem : « Tempore auctoritas, re autem ratio prior est »;[28] pariter intellexit, ut esset fides secura, opus divina esse auctoritate illamque haud aliam haberi atque Christi ipsius, magistri maximi — de quo non Augustinus dubitaverat umquam[29] — hanc Christi

[19] *De utilitate cred.* 1,2: *PL* 42, 66.

[20] *IUd.*

[21] Cfr. *Confessiones* 5, 3, 3: *PL* 32 , 707.

[22] Cfr. *ibid.* 5, 10, 19; 5, 13, 23; 5, 14, 24: PL 32, 715; 717; 718.

[23] *De beata vita* 4: *PL* 32, 961; cfr. *Confessiones* 5, 9, 19; 5, 14, 25; 6, 1, 1: *PL* 32, 715; 718; 719.

[24] Cfr. *De utilitate credendi* 8, 20: *PL* 42, 78-79.

[25] *Confessiones* 6, 11, 18: *PL* 32, 729.

[26] Cfr. *ibid.* 3, 12, 21: *PL* 32, 694.

[27] Cfr. *Contra Acad.* 3, 20,43: *PL* 32, 957; *Confessiones* 6, 5, 7: *PL* 32, 722-723.

[28] *De ordine* 2, 9, 26 : *PL* 32, 1007.

[29] Cfr. *Confessiones* 7, 19, 25: *PL* 32, 746.

auctoritatem in Sacris recondi Litteris,[30] quas Ecclesiae catholicae confirmaret vicissim auctoritas.[31]

Auxiliantibus sic Platonicis philosophis expedivit se materiali vitae notione quam a Manichaeis sibi asciverat : « Et inde admonitus redire ad memetipsum, in travi in intima mea, duce te ... Intravi, et vidi qualicumque oculo animae meae ... supra mentem meam, lucem incommutabilem)).[32] Haec nempe incommutabilis lux interminatos ipsi reseravit fines spiritus et Dei.

De gravi autem quaestione super malo, ubi plurimum discruciabatur,[33] cognovit primum interrogandum esse non iam unde illud esset sed quid,[34] percepitque non quasi substantiam aliquam esse malum verum boni privationem : « quaecumque sunt, bona sunt. Malumque illud quod quaerebam unde esset, non est substantia ».[35] Deum propterea omnia fecisse collegit nec quidquam esse substantiae quod ab ipso non esset factum.[36]

Ex propriae autem vitae experientia instructus[37] comprehendit id quod experimentum fuit decretorium : originem nempe ducere peccatum de hominis voluntate — voluntate libera quidem et debili : « ego eram qui volebam, ego qui nolebam ; ego, ego eram ».[38]

Asseverare hoc tempore quamquam poterat pervenisse se, non ita tamen res se habebat; novi videlicet erroris tendiculis implicabatur. Pro concesso enim sumebat suis se posse viribus solis beatificantem ad veritatis comprehensionem pervadere. A qua tandem opinione eum aliquid dimovit quod infeliciter est expertus.[39] Aliud hinc esse intellexit metam conspicere, attingere eam aliud.[40] Necessarias ergo ut vires praesto haberet viamque ipsam, arripuit « avidissime », inquit, <(venerabilem stilum Spiritus tui, et prae caeteris apostolum Paulum ».[41] Magistrum exinde Christum in Paulinis epistulis repperit, Verbum

[30] Cfr. *ibid.* 6, 5, 7; 6, 11, 19; 7, 7, 11: *PL* 32, 723; 729; 739.
[31] Cfr. *ibid.* 7, 7, 11: *PL* 32, 739.
[32] *Ibid.* 7, 10, 16: *PL* 32, 742.
[33] Cfr. *ibid.* 7, 1, 1; 7, 7, 11: *PL* 32, 733; 739.
[34] Cfr. *ibid.* 7, 5, 7: *PL* 32, 736.
[35] *Ibid.* 7, 13, 19: *PL* 32, 743.
[36] Cfr. *ibid.* 7, 12, 18: *PL* 32, 743.
[37] Cfr. *ibid.* 7, 3, 5: *PL* 32, 735.
[38] *Ibid.* 8, 10, 22: *PL* 32, 759; Cfr. *ibid.* 8, 5, 10-11: *PL* 32, 753-754.
[39] Cfr. *ibid.* 7, 17, 23: *PL* 32, 744-745.
[40] Cfr. *ibid.* 7, 21, 26: *PL* 32, 749.
[41] *Ibid.* 7, 21, 27: *PL* 32, 747.

incarnatum, unicum inter Deum hominesque Mediatorem. Suo tunc in proprio fulgore se ipsi aperuit « philosophiae facies » :[42] philosophia nempe Pauli erat quae Christum uti caput habet *Dei virtutem et Dei sapientiam (1 Cor* 1, 24) quaeque alia pariter capita habet : fidem et humilitatem et gratiam ; haec « philosophia », quae sapientia simul et gratia est, per quam fieri non solum potest ut patriam quis cognoscat, verum eam etiam attingat.[43]

Detecto ita Christo Redemptore animoque ei addicto in portum revenit Augustinus catholicae fidei ad fidemque ipsam ad quam institutus erat a matre : « Audieram enim ego adhuc puer de vita aeterna nobis promissa per humilitatem Domini Dei nostri descendentis ad superbiam nostram w.[44] Omnes errores amor in veritatem divina nutritus gratia superavit.

Verumtamen via necdum erat terminata. Vetus enim in Augustini mente renascebatur propositum : esse scilicet totum sapientiae tradendi, cum eam aliquando comperisset, omnem nempe abiciendi spem terrenam ut illam consequeretur.[45] Iam nihil proferre valebat excusationis : nam exoptata adeo vehementer veritas iam erat certa.[46] Dubitabat nihilominus causasque conquirebat cur id facere non oporteret decernere.[47] Robusta vincula erant quae terrestres eum ligabant ad spes : honores et quaestus et nuptiae ;[48] praesertim vero nuptiae pro acquisitis interea moribus.[49]

Hoc ita sentiebat non quod sibi interdiceretur ne coniugium iniret — perbene id noverat Augustinus[50] — sed quia catholicus esse nollet christianus nisi illo pacto videlicet, repudiando etiam optimo familiae proposito tantum expetito seque « tota » mente devovendo Sapientiae amori cultuique. Illud in consilium capiendum, quod intimis ipsius conveniebat optatis, at altius insitis disseritiebat consuetudinibus, exemplum ipsum invitabat eum Antonii aliorumque monachorum qui in occidente etiam orbis parte increbrescebant quosque casu quodam

[42] *Contra Acad.* 2, 2, 6: *PL* 32, 922.
[43] Cfr. *Confessiones* 7, 21, 27: *PL* 32, 748.
[44] *Ibid.* 1, 11, 17: *PL* 32, 669.
[45] Cfr. *ibid.* 6, 11, 18; 8, 7, 17: *PL* 32, 729 ; 757.
[46] Cfr. *ibid.* 8, 5, 11-12: *PL* 32, 754.
[47] Cfr. *ibid.* 6, 12, 21: *PL* 32, 730.
[48] Cfr. *ibid.* 6, 6, 9: *PL* 32, 723.
[49] Cfr. *ibid.* 6, 15, 25: *PL* 32, 732.
[50] Cfr. *ibid.* 8, 1, 2: *PL* 32, 749.

cognoverat.[51] Erubescens nimis percontabatur : « Tu non poteris quod isti, quod istae? » .[52] Profunda hinc et crucians exorta est contentio quam divina rursus gratia laetum perduxit ad finem.[53]

Enarrans matri suae Augustinus serenum animosumque consilium : « Inde ad matrem ingredimur, indicamus ; gaudet. Narramus quemadmodum gestum sit; exsultat et triumphat; et benedicebat tibi, *qui potens est ultra quam petimus aut intelligimus facere (Eph* 3, 20), quia tanto amplius sibi a te concessum de me videbat, quam petere solebat miserabilibus flebilibusque gemitibus. Convertisti enim me ad te, ut nec uxorem quaererem nec aliquam spem saeculi huius w.[54]

Hoc ipso ex temporis momento nova coepit Augustino ipsi vita: scholasticum itaque annum absolvit — cum vindemiales instarent feriae[55] — in solitudinemque Cassiciaci se recepit[56] ac feriis peractis docendi deposuit officium[57] et Mediolanum ineunte anno trecentesimo octogesimo septimo remigravit, ubi inter catechumenos inscribendum se curavit et nocte Sabbati Sancti, die vicesimo tertio — quarto mensis Aprilis, ab episcopo Ambrosio est sacro fonte expiatus, cuius de contionibus tantum dudum didicerat : « Baptizati sumus, et fugit a nobis sollicitudo vitae praeteritae. Nec satiabar illis diebus dulcedine mirabili, considerare altitudinem consilii tui super salutem generis humani ». Atque altissimam testatus iam animi permotionem addit : « Quantum Aevi in hymnis et canticis, suave sonantis Ecclesiae tuae vocibus commotus acriter ! » .[58]

Percepto autem rite baptismo unum iam concupiscebat illud Augustinus — idoneum videlicet detegere locum ubi cum sodalibus una ipse ad « sanctum propositum » Domino serviendi vivere valeret.[59] Quem in Africano oppido Tagaste reperit, suo in natali oppido, quo matre apud Ostia Tiberina vita defuncta[60] nonnullisque Romae traductis mensibus in monastici motus investigatione[61] denique tandem advenit. Illuc

[51] Cfr. *ibid.* 8, 6, 13-15: *PL* 32, 755-756.

[52] *Ibid.* 8, 11, 27: *PL* 32, 761.

[53] Cfr. *ibid.* 8, 7, 16-12, 29 : *PL* 32, 756-762.

[54] *Ibid.* 8, 12, 30: *PL* 32, 762-763.

[55] Cfr. *ibid.* 9, 2, 2-4: *PL* 32, 763.

[56] Cfr. *ibid.* 9, 4, 7-12: *PL* 32, 766-769.

[57] Cfr. *ibid.* 9, 5, 13: *PL* 32, 769.

[58] *Ibid.* 9, 6, 14 : *PL* 32, 769.

[59] Cfr. *ibid.* 9, 6, 14: *PL* 32, 769.

[60] Cfr. *ibid.* 9, 12, 28 s. : *PL* 32, 775 s.

[61] Cfr. *De mor. Eccl. cath.* 1, 33, 70 : *PL* 32, 1340.

nempe appulsus « a se iam alienatis curis saecularibus, cum iis qui eidem adhaerebant, Deo vivebat, ieiuniis, orationibus, bonisque operibus, in lege Domini meditans die ac nocte ». Flagrans ille veritatis amator vitam devovere studebat suam asceticae disciplinae et contemplationi et mentis ingeniique apostolatui. Idem enim primus vitae narrator sic addit : « Et de iis quae sibi Deus cogitanti atque oranti intellecta revelabat ; et praesentes et absentes sermonibus ac libris docebat ».[62] Complures in oppido Tagaste conscripsit libros, haud aliter ac Romae fecerat et Mediolani et in loco Cassiciaco.

Tribus dein post annis Hipponem Regium se contulit, locum pariter inquisiturus coenobium ubi conderet necnon amicum conventurus quem ad monasticam se vitam allicere posse confidebat ; at sacerdotium invitus pro ea re accepit.[63] Prius vero nequaquam deserens propositum, impetravit sibi ut excitare liceret *monasterium laicorum*, quod incoluit et unde permulti tum presbyteri tum episcopi ipsi in omnem profecti sunt Africani.[64] Creatus dein quinque post annos et ipse episcopus domum suam in *monasterium clericorum* transfiguravit. Speciem namque illam ac notionem, suae conversionis tempore conceptam, animo non deposuit umquam nec sacerdos neque uti episcopus. Quin immo regulam deduxit, *ad servos Dei*, tantas quae partes egit agitque etiamnunc in vita religiosa occidentali.[65]

# # #

Diutius aliquanto in rationibus praecipuis quibusdam sumus commorati ipsius Augustini conversionis utpote quae alias tot utiles pariant doctrinas non credentibus modo, verum universis etiam bonae voluntatis hominibus : quam nempe facile a via sit abscedere vitae quamque contra difficile veritatis iterum reperire semitam. Praeterea nos etiam mira haec adiuvat conversio ut subsequentem eius comprehendamus vitam : is enim monachus et sacerdos et episcopus semper se praebet magnum illum virum gratia fulminatum : « Sagittaveras tu cor nostrum caritate tua, et gestabamus verba tua transfixa visceribus ».[66] At potissimum nos iuvat mentem ad ipsius expeditius perspiciendam quae adeo universalis fuit et alta ut christianae doctrinae officium quoddam persolvat incom-

[62] Possidius, *Vita 8. Augustini* 3, 1: *PL* 32, 36.
[63] Cfr. *Serm. 355,* 2: *PL* 39, 1569.
[64] Cfr. Possidius, *Vita S. Augustini* 11, 2: *PL* 32, 42.
[65] Cfr. L. Verheijen, *La règle de saint Augustin,* Paris 1967, I-II.
[66] *Confessiones* 9, 2, 3: *PL* 32, 764; cfr. *ibid.* 10, 6, 8: *PL* 32, 782.

parandum simul et periturum numquam ; quin immo ut haud sine maxime causa nominare illum valeamus Europae christianae patrem.

Occulta eius indefatigabilis inquisitionis vis eadem profecto erat qua per totum conversionis tramitem erat ille pariter directus : veritatis scilicet amor. Ipsemet item ait : « Quid enim fortius desiderat anima quam veritatem?)).[67] Atque in sublimioris cuiusdam theologicae mysticaeque contemplationis monumento, quod sua potius ex aliqua interiore necessitate deduxit quam exteriores ullas ob necessitates, meminit huius Augustinus amoris ac scribit : « rapimur amore indagandae veritatis w.[68] Et tunc quidem investigationis argumentum erat mysterium Trinitatis augustum Christique etiam mysterium Patris revelationis, qui est ((scientia ac sapientia » hominis : hinc permagnum est opus enatum *De Trinitate.*

Studii autem illius progressio, quod perpetuus amor alebat, binas simul percurrebat vias : altioris nempe perscrutationis catholicae fidei atque defensionis ipsius eos adversus omnes qui aut illam denegabant uti Manichaei paganique aut perperam explicabant uti Donatistae Pelagiani Ariani. Difficulter quis viae committere se potest quasi per mare Augustinianae cogitationis ; eoque difficilius — si quidem omnino fieri potest — breviter eam perstringere. Liceat tamen Nobis in plurimorum utilitatem quasdam commemorare illuminatas huius summi ingenii conceptiones.

Reliquas ante cunctas ea quaestio exstat quae iuvenem eum velut forcipe detinebat in quamque deinceps omnem convertit mentis virtutem animique commotionem : de necessitudinis id est natura rationem inter ac fidem ; quae quaestio numquam non persistit, nec hodie minus quam antehac, cuius ex solutione iter ipsum pendet totius cogitationis humanae. Sed perpexa sane est quaestio, cum id inibi agatur ut salvus quis et incolumis per extrema duo transeat, fidem excludit. Vires itaque ingenii operisque etiam pastoralis Augustini eo intendebantur ut, quoniam nulli « dubium est gemino pondere nos impelli ad discendum)),[69] comprobaret idem duplex pondus communiter operari debere.

Fidem omnino is audiebat ; rationem vero haud minus efferebat, cum proprium utrique principatum ascriberet vel tempus vel ipsum pondus.[70] Omnibus enim illud edixit : *crede ut intelligas,* at repetivit

[67] *Tractatus in Io* 26, 5: *PL* 35, 1609.
[45] *De Trinitate* 1, 5, 8: *PL* 42, 825.
« *Contra Acad.* 3, 20, 43: *PL* 32, 957.
[70] Cfr. *De ordine* 2, 9, 26: *PL* 32, 1007.

aequabiliter illud : *intellige ut credas?*[71] Opus perennis sane commoditatis scripsit de utilitate credendi[72] docuitque fidem medicamentum esse idoneum ad spiritus oculum sanandum,[73] invictam virtutem ad omnes maximeque debiles ab errore prohibendus,[74] nidum quendam in quo pinnae sumuntur altos ad animi volatus,[75] semitam brevem quae efficit ut cito, certo universoque errore amoto, veritates cognoscantur ad sapientiam homines perducentes.[76] Defendit vero numquam carere fidem ratione, quandoquidem demonstret ratio ipsa « cui sit credendum)).[77] ((Habet namque fides oculos suos, quibus quodammodo videt verum esse, quod nondum videt » .[78] Quapropter « nullus quippe credit aliquid, nisi prius cogitaverit esse credendum », quoniam « ipsum credere nihil aliud est, quam cum assensione cogitare ... fides si non cogitetur, nulla est *v.*[79]

Sermo autem de fidei oculis defluit tandem in orationem de ipsa credibilitate, in qua saepius Augustinus versatur cuiusque etiam causas depromit ut confirmet paene illam conscientiam, qua ipsemet ad catholicam fidem prius reverterat. Integrum placet locum exscribi : « In catholica enim Ecclesia, ut omittam sincerissimam sapientiam ... ut ergo hanc omittam sapientiam (Hoc ipsum quod Augustino validissimum videbatur argumentum, ab adversariis non erat receptum) ... multa sunt alia quae in eius gremio me iustissime teneant. Tenet consensio populorum atque gentium ; tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, caritate aucta, vetustate firmata; tenet ab ipsa sede Petri apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad praesentem episcopatum successio sacerdotum ; tenet postremo ipsum Catholicae nomen, quod non sine causa inter tam multas haereses sic ista Ecclesia sola obtinuit » .[80]

In opere ingenti *De Civitate Dei,* quod apologeticum simul est et dogmaticum, de ratione fideque quaestio iam transit in fidem animique

[71] Cfr. *Serm. J,S,* 9: *PL* 38, 258.

[72] Cfr. *De utilitate credendi: PL* 42, 65-92.

[73] Cfr. *Confessiones* 6, 4, 6: *PL* 32, 722; *De serm. Domini in monte,* 2, 3, 14: *PL* 34, 1275.

[74] Cfr. *Epist. 118,* 5, 32: *PL* 33, 447.

[75] Cfr. *Serm. 51,* 5, 6 : *PL* 38, 337.

[76] Cfr. *De quantitate animae* 7, 12: *PL* 32, 1941-1042.

[77] *De vera relig.* 24, 45: *PL* 34, 1041-1042.

[78] *Epist. 120,* 2, 8: *PL* 33, 456.

[79] *De praed. sanctorum* 2, 5: *PL* 44, 962-963.

[80] *Contra ep. Man.* 4, 5: *PL* 42, 175.

culturam. Qui tanto opere enixus est ut conderet ac proveheret christianam humanitatem, resolvit Augustinus difficultatem tribus permagnis enucleandis argumentis, quae nempe sunt : fida doctrinae christianae explanatio, redemptio paganae culturae iis in rebus, quae restitui poterant quaeque in philosophiae provincia haud erant paucae, constans demonstratio subiacentium christianae doctrinae elementorum veritatis perennieque utilitatis, quae inter paganam humanitatem emergebant, sed quae per ipsa christiana praecepta salutariter consummabantur atque honestabantur.[81] Haud iniuria opus *De Civitate Dei* plurimum lectitatum Media Aetate est dignumque etiamnum est quod tamquam exemplar pervolutetur et invitamentum simul quo inquiratur altiore ratione in christiani nominis congressionem cum populorum culturis. Pretium ideo operae est locum Augustinianum magni quidem hac de re ponderis proferre: «Coelestis civitas ... ex omnibus gentibus cives evocat ... non curans quidquid in moribus, legibus, institutisque diversum est; ... nihil eorum rescindens, nec destruens, imo etiam servans ac sequens : quod licet diversum in diversis nationibus, ad unum tamen eumdemque finem terrenae pacis intenditur, si religionem qua unus summus et verus Deus colendus docetur, non impedit » .[82]

Alia nominum duorum iunctura excellens, quam sine intermissione est Augustinus ipse perscrutatus, scilicet est Deus-homo. Liberatus enim ille — quem ad modum superius est narratum — rerum materialium studio, quo ne Dei accuratam ascisceret sibi notionem proindeque rectam etiam hominis conceptionem impediebatur, hoc in binomio magna locavit investigationis suae argumenta[83] eaque semper ponderavit simul : hominem cum cogitaret Deum, Deus cogitans hominem, qui eius est imago.

In *Confessionibus* duplex haec ponitur interrogatio : « Quid mihi es? ... Quid tibi sum ipse?».[84] Quibus ut rite respondeat, omnes suas vires impendit deliberandi omnemque fatigationem apostolatus sui insomnem. Penitus enim persuaserat sibi f ando Deum exprimi nequire ; ita profecto clamavit : « Quod mirum si non comprehendis? Si enim comprehendis, non est Deus».[85] Quocirca ((non ... parva est inchoatio cognitionis Dei, si antequam possimus nosse quid sit, incipiamus iam

[81] Cfr. ex. causa *De civitate Dei* 2, 29, 1-2: *PL* 41, 77-78.

* *Ibid.* 19, 17: *PL* 41, 646.

[83] Cfr. *Solil.* 1, 2, 7: *PL* 32, 872.

[M] *Confessiones* 1, 5, 5: *PL* 32, 663.

[85] *Serm. 117,* 5: *PL* 38, 673.

nosse quid non sit w.[86] Necesse ideo eniti est « ut sic intelligamus Deum, si possumus, quantum possumus, sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine indigentia creatorem » sicque omnes per rerum ordines, quos Aristoteles recensuerat.[87]

Quantumvis transcendens sit et ineffabile ipsum numen divinum, ex sua tamen hominis conscientia profectus, qui sese noverit et esse et cognoscere et diligere, necnon ex Sacris Litteris roboratus, quae Deum nobis praebent Esse ipsum supremum *(Ex* 3, 14), Sapientiam summam *(Sap* passim) Amoremque primum *(1 Io* 4, 8), collustrat Augustinus triplicem hanc Dei notionem : ipsius Esse nempe, unde omnia quae sunt per creationem ex nihilo progrediuntur, Veritatis, unde hominum illuminatur mens ut veritatem certo cognoscere valeat, Amoris, unde procedit et quo etiam omnis verus amor recedit. Etenim, uti crebrius ipse iterat, est Deus « et causa subsistendi, et ratio intelligendi, et ordo vivendi »[88] vel, ut alia utamur percelebri pariter formula, « causa constitutae universitatis, et lux percipiendae veritatis, et fons bibendae felicitatis ».[89]

Maxime vero Augustini agitabatur ingenium, cum Dei commorationem in homine expenderet, quae intima quidem est atque arcana prorsus. Deum porro comperit « internum aeternum »j[90] secretissimum et praesentissimum :[91] quoniam abest, homo eum conquirit ; quia vero adest, cognoscit eum invenitque. Adest enim Deus tamquam ((substantia creatrix mundi »,[92] illustrans veritas,[93] amor ipse qui attollit,[94] interior sane quam quae homini sunt intima altiorque etiam quae inibi sunt altissima. Tempus enim commemorans ante conversionem suam, sic alloquitur Deum : « Ubi ergo mihi tunc eras, et quam longe? Et longe peregrinabar abs te ... Tu autem eras interior intimo meo, et superior summo meo »;[95] «Mecum eras, et tecum non eram».[96] Quin immo instat : « tu eras ante me ; ego autem et a me discesseram, nec

[86] *Epist. 120,* 3, 13: *PL* 33, 459.

[87] *De Trinitate* 5, 1, 2: *PL* 42, 912; cfr. *Confessiones* 4, 16, 28: *PL* 32, T04.

[88] *De civitate Dei* 8, 4: *PL* 41, 228.

[89] *Ibid.* 8, 10, 2: *PL* 41, 235.

[90] *Confessiones %* 4, 10: *PL* 32, 768.

[91] Cfr. *ibid.* 1, 4, 4: *PL* 32, 662.

[92] *Epist. 187,* 4, 14: *PL* 33, 837.

[93] Cfr. *De magistro* 11, 38-14, 46: *PL* 32, 1215-1220.

[94] Cfr. *Confessiones* 13, 9, 10: *PL* 32, 848-849.

[95] *Ibid.* 3, 6, 11: *PL* 32, 687-688.

[96] *Ibid.* 10, 27, 38: *PL* 32, 795.

me inveniebam; quanto minus te?».[97] Quisquis ideo semet non invenit ipsum, nec detegit Deum, cum intimis Deus sit in singulis nobis.

Se ideo nisi ad Deum ordinatum comprehendere homo nequit. Quam eminentem profecto veritatem inexhausta quadam ingenii ubertate explicavit Augustinus, dum hominis cum Deo ipso necessitudinem coniunctionis perscrutabatur eamque dein modis quam maxime variis et efficacibus declarabat. Ipsum considerat hominem veluti contentionem quandam ad Deum. Notissima porro eius sunt omnibus dicta: « fecisti nos ad te, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te ».[98] Eum praeterea videt tamquam potestatem aliquam qua ille ad visionem usque Dei directam tolli possit: finitum quod attingit infinitum. In opere enim *De Trinitate* sic scribit: « Eo quippe ipso imago eius est, quo eius capax est, eiusque particeps esse potest ».[99] Facultas haec « in anima hominis, id est rationali sive intellectuali ... immortaliter immortalitati eius est insita », ac propterea praestantiae eius documentum: « quia summae naturae capax est, et esse particeps potest; magna natura est ».[100] Contemplatur insuper illum uti illud esse, cui opus Deo ipso est, quando beatitatis eget, quam uno invenire potest in Deo. ((In tanta excellentia creata est (natura humana), ut licet ipsa sit mutabilis, inhaerendo tamen incommutabili bono, id est summo Deo, beatitudinem consequatur, nec expleat indigentiam suam nisi utique beata sit, eique explendae non sufficiat nisi Deus ».[101]

Quod autem ita ratio necessitudinis constituta est inter hominem ac Deum, idcirco vehementer hortatur Augustinus homines interiorem ad vitam. « In te ipsum redi; in interiore homine habitat veritas; et si tuam naturam mutabilem inveneris, transcende et teipsum »,[102] ut Deus reperiatur, fons videlicet lucis, unde mentes illustrantur. Praeter veritatem porro in homine interiore arcana illa latet amandi potestas, quae veluti pondus — qua celebri utitur Augustinus similitudine[103] — eum attollit extra se ad alios potissimumque ad Alterum, nempe Deum. Amoris immo idem pondus hominem reddit suapte natura socialem;[104] sic « nihil ... est quam hoc genus ... tam sociale natura ».[105]

[97] *Ibid.* 5, 2, 2: *PL* 32, 707.
[98] *Ibid.* *1,1,1:* *PL* 32, 661.
[99] *De Trinitate* 14, 8, 11: *PL* 42, 1044.
[100] *Ibid.* 14, *4, 6:* *PL* 42, 1040.
[101] *De civitate Dei* 12, 1, 3: *PL* 41, 349.
[102] *De vera relig.* 39, 72: *PL* 34, 154.
[103] Cfr. *Confessiones 13,* 9, 10: *PL* 32, 848-849.
[104] Cfr. *De bono coniugali 1, 1:* *PL* 40, 373.
[105] *De civitate Dei 12,* 27: *PL 41,* 376.

Interior vero hominis pars ubi immensi colliguntur veritatis amorisque thesauri, « grande profundum »[106] praebet, quod non desinit doctor noster rimari umquam de quoque umquam mirari. At hoc loco addatur oportet ei qui de semet ipso cogitet atque de hominum historia comparere hominem ut « problema » magnum vel, sicut ait Augustinus, id quod est « magna quaestio » .[107] Nimis enim multae sunt quaestiones ipsae, quae eum circumsistunt : quaestio mortis ac partitionis intimae, quam intra se patitur, necnon inaequalitatis insanabilis inter id quod est et id quod cupit; quaestiones, quae omnes principalem ad illam unam rediguntur, consistentem scilicet ipsius in excellentia simul et incredibili miseria. Hisce in quaestionibus, super quibus Concilium Vaticanum II fusius uberiusque disceptavit, sibi cum propositum esset pertractare « hominis mysterium » ,[108] summo elaboravit Augustinus studio totamque mentis suae aciem adhibuit ut ipsius detegeret veritatem, quae saepius sese pertristem demonstrat : si enim constat genus nullum quam hominum natura tam esse sociale, similiter patet — ut auctor scripti *De Civitate Dei* eloquitur ipsa eadem institutus historia — illud : « Nihil ... est quam hoc genus tam discordiosum vitio)) ;[109] verum etiam ut solutionem eiusdem conquireret exponeretque. Quod vero attinet ad solutionem, invenit Augustinus dumtaxat unam, quae ipsi paulo ante conversionem eluxit : Christum nempe hominis Redemptorem. Ad quam ipsimet responsionem necesse esse senseramus animos et oculos Christifidelium Ecclesiae necnon omnium bonae voluntatis hominum dirigere primis in Litteris Nostris Encyclicis, nominatim quidem « Redemptor hominis » inscriptis, perlibenter quidem Nostram in vocem concludentes universam traditionem christianam.

Ingrediens autem hanc quaestionem Augustini mens, quamvis philosophica demum maneat, magis tamen theologica fit atque gemina illa appellatio — Christi atque Ecclesiae — quam negaverat ante deindeque iuventutis aetate rursus agnovit quasi — incipit explanare latiorem illam coniunctionem Deum inter et hominem.

Christus atque Ecclesia probe quidem dici possunt totius caput cogitationis theologicae apud episcopum Hipponensem; quin animo addi huc potest idem fuisse ipsius philosophicae disciplinae caput, cum

[106] *Confessiones* 4, 14, 22: *PL* 32, 702.

[107] *Ibid.* 4, 4, 9c *PL* 32, 697.

[108] Const. past. *Gaudium et spes* de Ecclesia in mundo huius temporis, n. 10; cfr. nn. 12-18.

[109] *De civitate Dei* 12, 27: *PL* 41, 376.

sui temporis philosophos obiurgaret quod « sine homine Christo » essent philosophati.[110] Seiungi autem Ecclesia nequit a Christo. Conversionis siquidem tempore agnovit accepitque laetus et gratus divinae Providentiae legem, qua « totum culmen auctoritatis lumenque rationis in illo uno salutari nomine atque in una eius Ecclesia, recreando atque reformando humano generi, constitutum est » .[111]

Sine ulla ipse dubitatione egit in scriptione magna *De Trinitate* necnon suis in sermonibus fuse exindeque de Trinitatis mysterio viamque simul venturae stravit theologiae. Asseveranter aequalitatem ac distinctionem affirmavit Personarum divinarum, quas etiam relationum ipsarum doctrina explanavit : Deus « quod habet, hoc est, excepto quod relative quaeque persona ad alteram dicitur » .[112] Spiritus Sancti praeterea enodavit theologiam, qui a Patre procedit et Filio, verum « principaliter » a Patre quoniam « totius divinitatis, vel, si melius dicitur, deitatis, principium Pater est » ,[113] isque Filio dedit gignendo ut etiam de illo Donum commune procederet[114] tamquam Amor ipse, proindeque non generatur.[115] Ut vero « garrulis ratiocinatoribus » redderet aliquando responsum,[116] explicationem exposuit Trinitatis « psychologicam », eius scilicet imaginem quaerens in memoria et intellegentia et caritate hominis et sic augustissimum fidei pervestigavit mysterium simulque altissimam rerum creatarum indolem qualis animus est hominum perpendit.

De Trinitate autem cum loquitur, in Christum tamen Patris revelatorem in opusque salutis fixos semper oculos dirigit. Ex quo enim perceperat paulo ante conversionem rationes ipsius Verbi Incarnati mysterii,[117] non inde desiit umquam interius perscrutari illud suasque notiones formulis quibusdam ita plenis testificari et efficientibus ut Calcedonensem veluti praenuntiarent doctrinam. Hoc esto earum significantius aliquod exemplum excerptum postremo de quodam opere eius : «fidelis ... in eo veram naturam credit et confitetur humanam, id est nostram, quamvis singulariter suscipiente Deo Verbo, in unicum Filium

[110] *De Trinitate* 13, 19, 24: *PL* 42, 1034.

[111] *Epist. 118,* 5, 33: *PL* 33, 448.

[112] *De civitate Dei* 11, 10, 1: *PL* 41, 325.

[113] *De Trinitate* 4, 20, 29: *PL* 42, 908.

[114] Cfr. *ibid.* 15, 17, 29: *PL* 42, 1081.

[115] Cfr. *ibid.* 15, 27, 50: *PL* 42,1097; *ibid.* 1, 5, 8: *PL* 42, 824-825 ; 9, 12, 18: *PL* 42, 970-971.

[116] *Ibid.* 1, 2, 4: *PL* 42, 822.

[117] Cfr. *Confessiones* 7, 19, 25: *PL* 32, 746.

Dei sublimatane ita ut qui suscepit et quod suscepit una esset in Trinitate persona. Neque enim homine assumpto quaternitas facta est, sed Trinitas mansit, assumptione illa ineffabiliter faciente personae unius in Deo et homine veritatem. Quoniam non Deum tantum dicimus Christum ... nec hominem tantum ... nec ita hominem, ut aliquid minus habeat quod ad humanam certum est pertinere naturam ... sic dicimus Christum Deum verum, natum de Deo Patre ... eundemque hominem verum, natum de homine matre ... nec eius humanitatem qua minor est Patre, minuere aliquid eius humanitatem qua aequalis est Patri ... Hoc autem utrumque unus est Christus ».[118] Aut aliquanto brevius : « Idem Deus qui homo, et qui Deus idem homo : non confusione naturae, sed unitate personae»,[119] «unam ... in utraque natura personam».[120]

Hoc cum solido prospectu unitatis personae in Christo, qui praedicatur « totus Deus et totus homo »,[121] amplissimam theologiae historiaeque provinciam Augustinus perlustrai. Si quando aspectus ipsius aquilinus in Christum Patris incidit Verbum, non minus hominem effert ille Christum. Immo vero confirmat vehementer, dempto homine Christo, nec ullam iam mediationem esse nec reconciliationem, sicut nec iustificationem ullam nec resurrectionem aut ullam condicionem civitatis in Ecclesia, cuius caput ipse sit Christus.[122] Quae ad argumenta crebrius revolvitur ille copioseque ea persequitur tum ut fidei reddat rationem, quam triginta et duos natus annos denuo obtinuit, tum ut necessitatibus satis faciat ipsius Pelagianae disputationis.

Unicus inter iustum immortalemque Deum mediator atque homines mortales peccatoresque est Christus, homo-Deus,[123] quandoquidem et mortalis est simul et iustus[124] ideoque libertatis via universa ac salutis. Quam extra viam, quae « numquam generi defuit humano, nemo liberatus est, nemo liberatur, nemo liberabitur ».[125]

Christi mediatio in redemptionis impletur opere, quod non solo constat iustitiae exemplo, verum in primis reconciliationis sacrificio,

[118] *De dono persev.* 24, 67: *PL* 45, 1033-1034.
[119] *Serm. 186,* 1, 1: *PL* 38, 999.
[120] *Serm. 294,* 9: *PL* 38, 1340.
[121] *Serm. 293,* 7: *PL* 38, 1332.
[122] Cfr. *Tractatus in Io* 66, 2: *PL* 35, 1810-1811.
[123] Cfr. *Serm. 47,* 12-20: *PL* 38, 308-312.
[124] Cfr. *Confessiones* 10, 42, 68: *PL* 32, 808.
[125] *De civitate Dei* 10, 32, 2: *PL* 41, 315.

quod verissimum[126] fuit et liberrimum[127] et perfectissimum.[128] Ut notam vero suam propriam habet Christi redemptio universalitatem, quae peccati exinde commonstrat etiam universalitatem. Repetit in hanc sententiam verba Sancti Pauli exponitque Augustinus: *si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt (2 Cor* 5, 14), ob peccatum scilicet mortui: « in horum ergo duorum hominum causa proprie fides christiana consistit », [129] « unus et unus: unus ad mortem, unus ad vitam».[130] Quapropter ((omnis... homo Adam; sicut in his qui crediderunt omnis homo Christus)).[131]

Hanc repudiare doctrinam, Augustini quidem iudicio, idem est ac facere ut « evacuetur crux Christi » *(1 Cor* 1, 17). Ne vero hoc aliquando contingeret, dixit plurima scripsitque de peccati universalitate, haud doctrina praetermissa originalis peccati; « quod catholica fides credit antiquitus)).[132] Docet enim « Iesum Christum non aliam ob causam in carne venisse ... nisi ut ... omnes ... vivificaret, salvos faceret, liberaret, redimerei, illuminaret, qui prius fuissent in peccatorum morte, languoribus, servitute, captivitate, tenebris ... Consequens erit ut ad istam Christi dispensationem ... pertinere non possint, qui vita, salute, liberatione, redemptione, illuminatione non indigent ».[133]

Christus namque qua hominum mediator ac redemptor, unicus caput est Ecclesiae. Una sola persona sunt mystica, totus nempe Christus, ipse Christus atque Ecclesia. Vehementer proin affirmat: « Christus facti sumus. Si enim"caput ille, nos membra; totus homo, ille et nos)).[134] De Christo sic universo doctrina haec in deliciis est episcopo Hipponensi atque ipsius ecclesiologicae theologiae pars una ex fecundissimis.

Alia porro principalis eminet veritas de Spiritu Sancto, corporis mystici anima: « Quod autem est anima corpori hominis, hoc est Spiritus sanctus corpori Christi, quod est Ecclesia)) ;[135] praeterea de Spiritu Sancto communitatis principio, qua inter se fideles coniungit et cum ipsa Trinitate. « Quod ergo commune est Patri et Filio, per hoc

[126] *De Trinitate* 4, 13, 17: *PL* 42, 899.
[127] *Ibid.* 4, 13, 16: *PL* 42, 898.
[128] *Ibid.* 4, 14, 19: *PL* 42, 901.
[129] *De gratia Christi et de pece. orig.* 2, 24, 28: *PL* 44, 398.
[130] *Serm. 151,* 5: *PL* 38, 817.
[131] *Enarr. in ps.* 70, d. 2, 1: *PL* 36, 891.
[132] *De nupt. et concup.* 2, 12, 25: *PL* 44, 450-451.
[133] *De pece. mer. et rem.* 1, 26, 39: *PL* 44, 131.
[134] *Tractatus in Io* 21, 8: *PL* 35, 1568.
[135] *Serm. 267,* 4: *PL* 38, 1231.

nos voluerunt habere communionem et inter nos et secum, et per illud donum nos colligere in unum quod ambo habent unum, hoc est, per Spiritum sanctum Deum et donum Dei ».[136] Qua de causa inibi eloquitur : « Ideo societas unitatis Ecclesia Dei, extra quam non fit ipsa remissio peccatorum, tamquam proprium est opus Spiritus sancti, Patre sane et Filio cooperantibus, quia societas est quodam modo Patris et Filii ipse Spiritus sanctus ».[137]

Ecclesiam Christi corpus a Spirituque sancto, qui Christi est Spiritus, animatam Augustinus contemplatus pluribus modis notionem enucleavit, in qua perquam libenter recens quoque elaboravit diu Concilium, quae est : Ecclesia communio.[138] Tribus quidem diversis at consentientibus viis agit de ea; prout est communio sacramentorum vel institutionalis res a Christo in Apostolorum fundamentis condita,[139] de qua disceptans cum Donatistis fusissime edisserit cuiusque unitatem et universalitatem defendit apostolicitatem et sanctitatem,[140] dum pariter ostendit medium eius locum Sedem esse Petri, « in qua semper apostolicae cathedrae viguit principatus » ;[141] tum communio sanctorum vel spiritalis res, quae iustos ab Abele cunctos consociat usque ad saeculorum consummationem ;[142] tum communio beatorum vel eschatologica res, quae omnes illos congregat, qui salutem sunt assecuti, Ecclesiam scilicet « non habentem maculam aut rugam » *(Eph* 5, 27).[143]

Aliud dein celebratum in Augustiniana ecclesiologia argumentum fuit de Ecclesia matre et magistra. Plures hac de re scripsit Augustinus paginas, quae et alta abundant doctrina et animos funditus permovent, quoniam illud argumentum ipsius uti conversi christiani experientiam tangebat necnon theologi institutionem. Rediens nempe ad fidem offendit ille iam non oppositam Christo Ecclesiam, quem ad modum adductus erat ut crederei,[144] verum Ecclesiam, quae Christum patefaciebat, « mater Christianorum verissima »,[145] eratque revelatae veritatis auctoritas.[146]

[136] *Serm. 71,* 12, 18: *PL* 38, 454.

[137] *Serm. 71,* 20, 33: *PL* 38, 463.

[138] Cfr. Const. dogm. *Lumen gentium* de Ecclesia, 13-14; 21 etc.

[139] Cfr. *De civitate Dei* 1, 35; 18, 50: *PL* 41, 46; 612.

[140] Cfr. ex causa *De unitate Ecclesiae: PL* 43, 391-446.

[141] *Epist. 43,7: PL* 33, 163.

[142] Cfr. *De civitate Dei* 18, 51: *PL* 41, 613.

[143] Cfr. *Retract.* 2, 18: *PL* 32, 637.

[144] Cfr. *Confessiones* 6, 11, 18: *PL* 32, 728-729.

[145] *De mor. Eccl. Cath.* 1, 30, 62: *PL* 32, 1336.

[146] Cfr. *Confessiones 7, 7,* 11: *PL* 32, 739.

Mater Ecclesia est quae christianos parturit:[147] « Duo parentes nos genuerunt ad mortem, duo parentes nos genuerunt ad vitam. Parentes qui nos genuerunt ad mortem, Adam est et Eva; parentes qui nos genuerunt ad vitam, Christus est et Ecclesia».[148] Ecclesia mater est quae propter eos affligitur, qui a iustitia recedunt, potissimum vero qui ipsius laedunt unitatem;[149] columba est quae clamat et gemit ut suas sub alas omnes remigrent aut appropinquent;[150] dimostratio universalis Dei paternitatis est ipsam per caritatem, qua est « aliis blanda, aliis severa, nulli inimica, omnibus mater ».[151]

Mater quidem est Ecclesia, atqui etiam haud secus ac Maria ipsa, virgo: ob caritatis ardorem mater, virgo ob fidei integritatem, quam custodit defendit tradit.[152] Huic porro virginali maternitati cohaerescit illius munus tamquam magistrae, quod Christo obsequens Ecclesia implet. Ea de causa Augustinus Ecclesiam respicit veluti Scripturarum auctoritatem[153] testaturque in ea se mansurum securum quidquid se difficultatis obiecerit,[154] aliosque instanter hortatur idem ut faciant: « Itaquae, ut saepe dixi, et vehementer inculco, qualescumque nos simus, securi estis, qui Deum Patrem et eius Ecclesiam matrem habetis ».[155] Qua etiam ex firma sententia erumpit vehemens cohortatio ut Deum ament atque Ecclesiam, illum omnino uti Patrem, uti matrem hanc.[156] Alius fere nemo tanta amoris affectione locutus de Ecclesia est tantaque animi commotione quanta Augustinus ipse. Hic perpaucos revera locos exhibuimus eius rei testes, sufficientes tamen ut altitudo et pulchritudo perspiciatur doctrinae alicuius, quae non satis umquam pervestigabitur, potissimum sub ipsius caritatis ratione, qua incitatur Ecclesia opera deversantis in ea Sancti Spiritus. « Habemus autem Spiritum sanctum », inquit, « si amamus Ecclesiam: amamus autem, si in eius compage et caritate consistimus ».[157]

Profecto infinitum est vel summa per capita diversas theologiae

[147] Cfr. *Epist. 48, 2: PL* 33, 188.
[148] *Serm. 22,* 10: *PL* 38, 154.
[149] Cfr. ex. causa *Psalmus contra partem Donati, epilogus: PL* 43, 31-32.
[150] Cfr. *Tractatus in Io* 6, 15: *PL* 35, 1432.
[151] *De cateen, rud.* 15, 23: *PL* 40, 328.
[152] Cfr. *Serm. 188,* 4: *PL* 38, 1004.
[153] Cfr. *Confessiones* 7, 7, 11: *PL* 32, 739.
[154] Cfr. *De bapt.* 3, 2, 2: *PL* 43, 139-140.
[155] *Contra litt. Petii.* 3, 9, 10: *PL* 43, 353.
[156] Cfr. *Enarr. in ps. 88,* d. 2, 14: *PL* 37, 1140.
[157] *Tractatus in Io* 32, 8: *PL* 35, 1646.

Augustinianae breviter perstringere partes. Aliud tamen decet grave quidem, immo principale quoddam, pertractare argumentum cum eius conversione coniunctum, libertatis scilicet et gratiae. Perinde ac supra meminimus, accidit in pervigilio ferme conversionis ut conscius sibi fieret tum necessitatis in homine de propriis respondendi actibus tum necessitatis simul gratiarum unici mediatoris,[158] cuius nempe expertus vim esset ipso momento extremi sui consilii. Id quod eloquenter sane confirmat octavus *Confessionum* liber.[159] Solitariae postmodum deliberationes necnon controversiae deinceps toleratae ab eo, nominatim cum Manichaeis ac Pelagianis asseclis, occasionem ipsi praebuerunt altius in quaestionis huius singulas rationes inquirendi atque summam aliquam proponendi, licet magna cum animi verecundia propter rei arcanam omnino indolem.

Libertatem semper defendit fundamentum aliquod esse totius christianae de homine scientiae. Quin et hoc contendit adversus veteres iisdem sacris addictos et sodales,[160], contra astrologorum fixas regulas, quibus et ille aliquando fuerat obnoxius,[161] in persuasionem omnia fato regi.[162] Etiam asseruit libertatem ac rerum praescientiam inter se certe posse conciliari,[163] perinde ac libertas divinaeque gratiae adiutorium similiter iam possent. « Neque enim voluntatis arbitrium ideo tollitur, quia iuvatur ; sed ideo iuvatur, quia non tollitur ».[164] Ceterum notissimum iam pridem illud celebratur Augustini pronuntiatum : « Qui ergo fecit te sine te, non te iustificat sine te. Ergo fecit nescientem, iustificat volentem ».[165]

Quicumque autem in dubium hanc revocabat conciliationem contrariumve asseverabat, longum ei locorum biblicorum numerum suppeditat, comprobabat utramque ad divinam revelationem pertinere — libertatem et gratiam —, necesse propterea esse binas firmiter teneri veritates.[166] Earum vero conciliationem altiore modo introspicere diffi-

[158] Cfr. *Confessiones* 8, 10, 22; 7, 18, 24: *PL* 32, 759-745.

[159] Cfr. ex. causa *ibid.* 8, 9, 21; 8, 12, 29: *PL* 32, 758-759 ; 762.

[160] Cfr. *De libero arb.* 3, 1, 3: *PL* 32, 1272; *De duabus animabus* 10, 14: *PL* 42, 104-105.

[161] Cfr. *Confessiones* 4, 3, 4: *PL* 32, 694-695.

[162] Cfr. *De civitate Dei* 5, 8: *PL* 41, 148.

[163] Cfr. *De libero arb.* 3, 4, 10-11: *PL* 32, 1276; *De civitate Dei* 5, 9, 1-4: *PL* 41, 148-152.

[164] *Epist. 151*, 2, 10-: *PL* 33, 677.

[165] *Serm. 169*, 11, 13: *PL* 38, 923.

[166] Cfr. *De gratia et lib. arb.* 2, 2-11, 23: *PL* 44, 882-895.

cillimum sane quiddam est, quod comprehendere non multi valent[167] quodque pluribus animi parere potest angustias,[168] cum in libertate ipsa tuenda facile quis negare videatur gratiam ac vicissim.[169] Ipsas ideo conciliari posse credendum potius est, sicut et duo pernecessaria Christi officia conciliari creditur, unde et haec et illa ordine pendeat. Nam salvator quidem et iudex simul est Christus. Nunc vero : « Si igitur non est Dei gratia, quomodo salvat mundum? et si non est liberum arbitrium, quomodo iudicat mundum? » .[170]

Aliunde tamen necessitatem Augustinus extollit gratiae ipsius, quae eodem est tempore precationis necessitas. Eis enim quotquot dixerunt non talia Deum mandare, quae fieri nequeant proindeque haud esse gratiam ipsam necessariam, respondet ille : « Non igitur Deus impossibilia iubet; sed iubendo admonet et facere quod possis et petere quod non possis)),[171] hominem immo ut possit adiuvat qui « non deserit si non deseratur » .[172]

Doctrina autem de gratiae divinae necessitate transit deinde in doctrinam de orationis necessitate, cui tantopere Augustinus insistit,[173] cum — uti is scribit — « Constet alia Deum, danda etiam non orantibus, sicut initium fidei; alia nonnisi orantibus praeparasse, sicut usque in finem perseverantiam)).[174]

Idcirco quidem est gratia necessaria, qua óbices submoveantur, quibus voluntas impeditur ipsa quominus et malum fugiat et faciat bonum. Qui duo numerantur óbices : <(ignorantia et infirmitas » ,[175] maxime autem haec altera ; nam <(cum id quod agendum et quo nitendum est coeperit non latere, nisi etiam delectet et ametur, non agitur, non suscipitur, non bene vivitur » .[176] Habet Augustinus gratiam hanc adiutricem « inspirationem dilectionis, ut cognita sancto amore faciamus ea ... quae facienda noverimus » .[177]

[167] Cfr. *Epist.* ***214,*** 6: *PL* 33, 970.

[168] Cfr. *De pece. mer. et rem.* 2, 18, 28: *PL* 44, 124-125.

[169] Cfr. *De gratia Christi et de pece. orig.* 47, 52: *PL* 44, 383-384.

[170] *Epist.* 214, 2: *PL* 33, 969.

[171] *De natura et gratia* 43, 50: *PL* 44, 271; cfr. Conc. Oecum. Trid. *Decretum de iustificatione,* cap. XI: *DS* 1536.

[172] *De natura et gratia* 26, 29: *PL* 44, 261.

[173] Cfr. *Epist. 130:* *PL* 33, 494-507.

[174] *De dono persev.* 16, 39: *PL* 45, 1017.

[175] *De pece. mer. et rem.* 2, 17, 26: *PL* 44, 167.

[176] *De spiritu et littera* 3, 5: *PL* 44, 203.

[177] *Contra duas epp. Pel.* 4, 5, U: *PL* 44, 617.

Ut quis ideo ex libertate ipsa respiret, obstacula ei sunt bina devincenda illa ignorantiae et infirmitatis. Reminisci hic attinet necessitatis gratiae defensionem apud Augustinum esse ipsius christianae libertatis tutelam. A verbis enim Christi profectus : *Si ergo Filius vos liberaverit, vere liberi eritis (Io* 8, 36), sese eiusdem libertatis vindicem praestitit atque praeconem, quippe quae a veritate seiungi non posset neque ab amore. Veritas, amor, libertas : tria sunt haec magna profecto bona, quae Augustini rapiunt animum ingeniumque multipliciter exercent. Super haec bona plurimam intellegentiae lucem ille effudit.

Ut aliquanto diutius immoremur hoc in postremo bono, libertatis nempe, animadverti decet omnibus ipsius ex formis describere eum atque extollere libertatem. Effert enim libertatem ab errore, dum contra erroris libertas ab eo nuncupatur « peior mors animae »,[178] per fidei donum quae veritati animam subdit.[179] Et sic quidem usque ad extremam illam sane neque deficientem umquam libertatem, « maiorem » videlicet, quae est « non posse peccare » ac « non posse mori »,[180] quod immortalitatem ipsam significat plenamque iustitiam. Quas binas inter libertates, quibus initium salutis designatur et terminus, reliquas omnes Augustinus praedicans illuminat : libertatem a peccato, quod iustificationis est opus, ab inordinatis passionibus libertatem, quod gratiae est opus, quae intellectum collustrat viresque voluntati tribuit, unde haec adversus malum invicta reddatur, perinde atque in conversione is ipse erat expertus, cum dura servitute[181] esset ereptus, libertatem a tempore ipso, quod devoramus nos nosque devorat,[182] quatenus sinit nos amor aeternitate affectos vivere.[183]

De iustificatione autem, cuius inenarrabiles Augustinus patefecit divitias — gratiae vitam divinam,[184] Spiritus sancti inhabitationem,[185] « dedicationem »[186] — distinctionem magni quidem ponderis proponit inter peccatorum remissionem, quae « plena ac tota » est « plena ac perfecta », et interiorem renovationem, quae usque progreditur com-

[178] *Epist.* 105, 2, 10: *PL* 33, 400.

[179] Cfr. *De libero arb.* 2, 13, 37: *PL* 32, 1261.

[180] *De corrept. et gratia* 12, 33: *PL* 44, 936.

[181] Cfr. *Confessiones* 8, 5, 10; 8, 9, 21: *PL* 32, 753; 758-759.

[182] Cfr. *ibid.* 9, 4, 10: *PL* 32, 768.

[183] Cfr. *De vera relig.* 10, 19: *PL* 34, 131.

[184] Cfr. *Enarr. in ps. 70,* d. 2, 3: *PL* 36, 893.

[185] Cfr. *Epist. 187: PL* 33, 832-848.

[186] *Enarr. in ps. 49,* 2: *PL* 36, 565.

plebiturque omnino post resurrectionem dumtaxat, cum particeps factus erit homo immutabilitatis divinae.[187]

Gratiam vero, qua corroboratur voluntas, dicere non cessat operari per amorem ideoque invictam efficere voluntatem contra malum, haud tamen nolendi sublata facultate. Etenim Sancti Ioannis explicans verba in Evangelio: *Nemo potest venire ad me nisi Pater... traxerit eum* (*Io* 6, 44); addit: ((Noli te cogitare invitum trahi: trahitur animus et amore)).[188] Atqui amor, ait ille etiam, agit « liberali suavitate »;[189] quapropter « praeceptum quippe liber facit, qui libens facit »:[190] « Lex itaque libertatis, lex caritatis est ».[191]

Nec minus profecto aere est instansque Augustini magisterium de libertate a tempore, quam Christus, verbum aeternum, advenit nobis concessurus cum per incarnationem tempus est ingressus: <(O Verbum ante tempora, per quod facta sunt tempora », exclamat ipse, « natum et in tempore, cum sit vita aeterna, vocans temporales, faciens aeternos ».[192] Ceteroqui doctorem nostrum constat temporis arcanum sedulissime pervestigasse[193] sensisseque et dixisse tempus omnino transcendí oportere ut vere quis exsisteret. « Ut ergo et tu sis, transcende tempus. Sed quis transcendet viribus suis? Levet illuc ille qui Patri dixit: "Volo ut ubi ego sum, et ipsi sint mecum" (*Io* 17, 24) ».[194]

Quam modo sic attigimus, christiana libertas conspicitur atque perpenditur in Ecclesia, Civitate Dei, quae illius nempe ostendit effectus et, divina sustentante gratia, communicat, quantum quidem potest, eosdem cum ceteris hominibus universis. Nam super « socialem » amorem condita est, qui omnes complectitur homines eosque consociare in iustitia cupit ac pace; contra ac civitas iniquorum, quae dividit inter seque opponit aliis alios, quandoquidem super « privatum » est condita amorem.[195]

Hoc autem loco proferri aliquot par est pacis ipsius definitiones, ab Augustino pro rebus excussas, quibus ea notio applicatur. Inde scilicet profectus quod « pax hominum, ordinata concordia », definit

[187] Cfr. *De pecc. mer. et rem.* 2, 7, 9: *PL* 44, 156-157; *Serm. 166,* 4: *PL* 38, 909.
[188] *Tractatus in Io* 26, 25: *PL* 35, 1607-1609.
[189] *Contra Iulianum* 3, 112: *PL* 45, 1296.
[190] *De gratia Christi et de pecc. orig.* 1, 13, 14: *PL* 44, 368.
[191] *Epist. 161,* 6, 19: *PL* 33, 740.
[192] *Enarr. in ps. 101,* d. 2, 10: *PL* 37, 1311-1312.
[193] Cfr. *Confessiones,* liber 11: *PL* 32, 809-826.
[194] *Tractatus in Io* 38, 10: *PL* 35, 1680.
[195] *De Gen. ad Litt. 11,* 15, 20: *PL* 34, 437.

alia quaedam pacis genera, uti sunt : « pax domus, ordinata imperandi atque oboediendi concordia cohabitantium », similiter pax civitatis terrestris atque « pax coelestis civitatis, ordinatissima et concordissima societas fruendi Deo et invicem in Deo », deinde « pax omnium rerum, tranquillitas ordinis » ac tandem ordo ipse qui « est parium dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio » .[196]

Pro pace illa laborat et ad illam pacem « suspirat peregrinatio populi tui ab exitu usque ad reditum » .[197]

Brevis haec doctrinarum Augustinianarum summa quibusdam careret necessariis prorsus partibus suis, si nulla hic spiritalis ipsius magisterii mentio moveretur, quod, arctis sane vinculis cum philosophica ac theologica eius doctrina coniunctum, nequaquam minus est alterutra locuples. Eevolvamur denuo ad conversionem oportet unde hic Noster originem duxit sermo. Illo namque tempore totum sese decrevit optimae formae devovere perfectionis christianae. Cui proposito non tantum fidelis semper perstitit sed omnibus etiam viribus suis servivit, cum viam ipsius aliis quoque hominibus commonstraret. Ex suis experimentis hausit et Sacra Scriptura, quae cunctis primum pietatis est alimentum.

Homo fuit orationis, quin immo facile quis eum orationem factum esse dixerit; recordari sufficiat de celeberrimis *Confessionibus* sub litterarum forma Deo datarum conscriptis. Et incredibili quadam perseverantia omnibus repetivit orationis necessitatem : ((Ideo in hoc agone magis nos Deus voluit orationibus certare, quam viribus » ;[198] eius proinde naturam indolemque descripsit, adeo simplicem attamen tam perplexam,[199] interiorem videlicet rationem, secundum quam potuit ille cum desiderio ipso aequare orationem : « Ipsum enim desiderium tuum, oratio tua est : et si continuum desiderium, continua oratio » ;[200] effert praeterea socialem illius utilitatem — ((qui sunt modum vocati, pro eis ut vocentur oremus. Fortasse enim sic praedestinati sunt ut nostris orationibus concedantur, et accipiant eandem gratiam »[201] — necnon eius necessariam omnino coniunctionem cum Christo ((qui et oret pro nobis, et oret in nobis, et oretur a nobis. Orat pro nobis, ut sacerdos

[196] *De civitate Dei* 19, 13: *PL* 41, 840.
[197] *Confessiones* 9, 13, 37: *PL* 32, 780.
[198] *Contra Iulianum* 6, 15: *PL* 45, 1535.
[199] Cfr. *De serm. Domini in monte* 2, 5, 14: *PL* 34, 1236.
[200] *Enarr. in ps. 37,* 14: *PL* 36, 404.
[201] *De dono persev.* 22, 60: *PL* 45, 1029.

noster ; orat in nobis, ut caput nostrum ; oratur a nobis, ut Deus noster. Agnoscamus ergo et in illo voces nostras, et voces eius in nobis ».[202]

Progrediente vero diligentia percucurrit Augustinus gradus singulos ascensionum interiorum earumque integrum enodavit curriculum omnibus destinatum, quod quidem curriculum amplum et ordinatum plurima complectitur : animi motum ad contemplationem, purificationem, constantiam et serenitatem, progressionem in lucem in luceque commorationem,[203] caritatis gradus incipientis ac progressae, impensae ac perfectae,[204] Spiritus Sancti munera cum beatitudinibus copulata,[205] orationis dominicae petitiones,[206] Christi ipsius exempla.[207]

Porro evangelicae beatitudines si quasi quaedam supernaturalia adiuncta gignunt, in quibus christianus versetur oportet, Spiritus Sancti dona afferunt supernaturalem gratiae factum, qui eadem illa adiuncta permittit ut omnino exsistant ; orationis dominicae partes, vel ipsa in universum oratio, quae ad illas denique redigitur petitiones, necessarium inferunt nutrimentum ; Christi exemplum proponit sane imitandum cunctis tamquam optimam omnium formam ; animam totius efficit caritas fontemque irradiationis vimque spiritalis vitae arcanam. Laudi proin non mediocri episcopo Hipponensi vertitur quod ad caritatem ipse omnem doctrinam rettulit omnemque pariter christianam vitam. « Haec est autem vera dilectio, ut inhaerentes veritati iuste vivamus ».[208]

Illuc enim Sacra Scriptura perducit, quae tota « Christum narrat, et dilectionem monet w,[209] theologia etiam, quae inibi suum reperit finem,[210] philosophia,[211] paedagogia,[212] immo etiam politica disciplina.[213] Perfectionis christianae essentiam ac normam in caritate collocavit,[214]

[202] *Enarr. in ps. 85,* 1: *PL* 37, 1081.

[203] Cfr. *De quantitate animae* 33, 73-76: *PL* 32, 1075-1077.

[204] Cfr. *De natura et gratia* 70, 84: *PL* 44, 290.

[205] Cfr. *De serm. Domini in monte* 1, 1, 3-4: *PL* 34, 1231-1232; *De doctr. Christ.* 2, 7, 9-11: *PL* 34, 39-40.

[206] Cfr. *De serm. Domini in monte* 2, 11, 38: *PL* 34, 1286.

[207] Cfr. *De sancta virginitate* 28, 28: *PL* 40, 411.

[208] *De Trinitate* 8, 7, 10: *PL* 42, 956.

[209] *De Catech. rudibus* 4, 8: *PL* 40, 315.

[210] Cfr. *De Trinitate* 14, 10, 13: *PL* 42, 1047.

[211] Cfr. *Epist 137,* 5, 17: *PL* 38, 524.

[212] Cfr. *De catech. rudibus* 12, 17: *PL* 40, 323.

[213] Cfr. *Epist. 137,* 5, 17; 138, 2, 15: *PL* 38, 524; 531-532.

[214] Cfr. *De natura et gratia* 70, 84: *PL* 44, 290.

quod primum est Spiritus Sancti munus[215] ac res, ex qua maius esse potest nemo,[216] bonum ipsum quocum omnia possidentur bona et sine quo nihil prorsus reliqua proficiunt bona universa : « Ipsam habeto, et cuncta habebis : quia sine illa nihil proderit, quidquid habere potueris ».[217]

Eiusdem dein caritatis huius divitias explicat inexhaustas : facilia reddit quotquot difficilia sunt,[218] nova, quae sunt consueta ;[219] progressum autem ad summum Bonum inexpugnabilem facit, quoniam hisce in terris non est caritas plena umquam ;[220] ab omni ipsa liberat studio, quod non Deus est ;[221] segregari nequit ab humilitate — « ubi humilitas, ibi caritas » ;[222] essentialis nucleus cuiusque est virtutis — aliud enim nihil virtus est quam ordo amoris[223] — ac Dei donum. Hoc autem ultimum praeceptum de dono Dei vere decretorium est utpote quod notiones vitae, hinc naturalem christianam illinc, discernit ac dividit. « Unde est in hominibus caritas Dei et proximi, nisi ex ipso Deo? Nam si non ex Deo, sed hominibus, vicerunt Pelagiani : si autem ex Deo, vicimus Pelagianos }).[224]

Oboriebatur in Augustino ex ipsa caritate, sollicita illa aviditas divinarum rerum contemplandarum, quae est sapientiae propria.[225] Porro altissimas ipse vicissim rationes contemplationis saepius est expertus, non modo celebrem illam Ostiis[226] verum alias etiam. « Et saepe istud facio » — de sua loquitur consuetudine Scripturas meditandi ne instantibus opprimatur occupationibus — ((Hoc me delectat, et ab actionibus necessitatis quantum relaxari possum, ad istam voluptatem refugio ... Et aliquando intromittis me in effectum multum inusitatum introrsus ad nescio quam dulcedinem, quae si perficiatur in me, nescio quid erit quod vita ista non erit A.[227] Si ad Theologicum

[215] Cfr. *Tractatus in Io* 87, 1: *PL* 35, 1852.
[216] Cfr. *Tractatus in ep. Io* 7, 8; 10, 7: *PL* 35, 1441; 1470-1471.
[217] *Tractatus in Io* 32, 8: *PL* 35, 1646.
[218] Cfr. *De bono viduitatis* 21, 26: *PL* 40, 447.
[219] Cfr. *De catech. rudibus* 12, 17: *PL* 40, 323.
[220] Cfr. *Serm. 169,* 18: *PL* 38, 926; *De perf. iust. hom.: PL* 44, 291-318.
[221] Cfr. *Enarr. in ps. 58,* 10: *PL* 36, 666-667.
[222] *Tractatus in ep. Io,* prol. : *PL* 35, 1977.
[223] Cfr. *De civitate Dei* 15, 22: *PL* 41, 467.
[224] *De gratia et lib. arb.* 18, 37: *PL* 44, 903-904.
[225] Cfr. *De Trinitate* 12, 15, 25: *PL* 42, 1012.
[226] Cfr. *Confessiones* 9, 10, 24: *PL* 32, 774.
[227] *Ibid.* 10, 40, 65: *PL* 32, 807.

Augustini acumen ac psychologicum necnon singularem ad eius scriptoris facultatem haec adduntur aliquando experimenta, intellegitur quomodo tanta ipse subtilitate mysticas descripserit ascensiones, ut haud unus illum nuncupare principem potuerit mysticorum.

Cum contemplationis in eo amor dominaretur, episcopatus tamen <(sarcinam » suscepit Augustinus aliosque idem ut facerent admonuit, unde sic demisso animo redderetur responsio arcessenti Ecclesiae matri ;[228] at exemplis simul et scriptis suis docuit quo pacto inter pastoralis operis negotia gustus orationis contemplationisque posset etiam asservari. Tanti igitur est totam huius rei summam huc adducere, ceteroqui iam celebratissimam, quae apud scriptionem *De Civitate Dei* invenitur. ((Otium sanctum quaerit caritas veritatis : negotium iustum suscipit necessitas caritatis. Quam sarcinam si nullus imponit, percipiendae atque intuendae vacandum est veritati : si autem imponitur, suscipienda est propter caritatis necessitatem : sed nec sic omni modo veritatis delectatio deseranda est, ne subtrahatur illa suavitas, et opprimât ista necessitas w.[229] Promeretur exposita ita altissima sententia prolixam intentamque considerationem. Quod multo fit facilius et efficacius, si Augustinus respicitur ipse, a quo splendidum adeo exhibetur exemplum, qua scilicet via binae illae instituti christiani rationes ac partes — oratio et actio — specie profecto repugnantes inter se concilientur.

*

Pastorali quoque episcopi huius industriae commentationem tribuere peculiarem sane hic attinebit, quem nemo inter pastores Ecclesiae maximos numerare dubitabit. Quae quidem opera eius pariter ex conversione profluxit, quoniam ipsum Deo uni serviendi propositum eodem manaverat ex fonte. « Iam te solum amo ... tibi soli servire paratus sum)).[230] Deinceps autem cum ad navitatem pastoralem idem illud ministerium intellexisset esse producendum, nihil eam cunctatus est amplecti ; animo igitur demisso trepidoque et aegro ut tamen Deo obsequeretur atque Ecclesiae, subiit onus.[231]

Huius vero pastoralis actionis campi tres erant, qui veluti parium intervallorum circuli usque amplificabantur : Ecclesia ipsa Hipponensis

[228] Cfr. *Epist.* 48, 1: *PL* 33, 188.
[229] *De civitate Dei* 19, 19: *PL* 41, 647.
[230] *Solil.* 1, 1, 5: *PL* 32, 872.
[231] Cfr. *Serm. 335,* 2: *PL* 39, 1569.

haud sane magna at inquieta et egena, Ecclesia Africana inter catholicos ac Donatistas misere discissa, Ecclesia universa a paganis oppugnata et a Manichaeis motibusque haereticis conturbata.

Servus is Ecclesiae in his omnibus esse sibi videbatur, quin immo « servus Christi, et per ipsum servus servorum ipsius »,[232] dum ex eodem principio consectaria cuncta etiam audacissima deducebat, verbi gratia suam ut vitam pro fidelibus ipsam profundere vellet.[233] A Domino enim virtutem flagitabat ita eos diligendi ut pro ipsis ad monendum esset promptus et paratus « aut effectu, aut affectu ».[234] Iam sibi pridem nempe persuaserat, quicumque populo ipsi praefectus hac animi careret affectione, potiusquam episcopum, terriculis persimilem esse ex palea inter vineam erectis.[235] Salvum semet esse non vult absque fidelibus[236] atque quodlibet paratus est ad perferendum damnum, modo in veritatis errantes viam revocaret.[237] Extremi vero discriminis tempore, invadentibus scilicet Vandalis, sacerdotes graviter admonet ut inter fideles permaneant imminente etiam vitae periculo ;[238] aliis id est verbis : quem ad modum deservierit Christus ipse fidelibus, episcopos vult ac sacerdotes illis famulari. « In quo ergo praepositus episcopus servus est, videamus. In quo et ipse Dominus ».[239] Quod ipsius fuit semper agendi consilium.

Sua porro in dioecesi, unde nisi rebus coactus plane necessariis non récessif umquam,[240] adsiduus maxime in singulis episcopi boni muneribus elaborabat : in praedicatione — quippe et sabbato et die Dominico contionabatur saepiusque totam per hebdomadam,[241] in catechetica institutione,[242] in sic dicta « audientia episcopi » totum interdum per diem ut et comedere intermitteret,[243] in pauperum curatione,[244] ipso in clero

[232] *Epist. 217: PL* 33, 978.
[233] Cfr. *Epist. 91, 10: PL* 33, 317-318.
[234] *Miscellanea Ag.,* I, 404.
[235] *Ibid.* 568.
[236] Cfr. *Serm. 17,* 2: *PL* 38, 125.
[237] Cfr. *Serm. 1$, 7,* 14: *PL* 38, 278.
[238] Cfr. *Epist. 128,* 3: *PL* 33, 489.
[239] *Miscellanea Ag.,* I, 565.
[240] Cfr. *Epist. 122,* 1: *PL* 33, 470.
[241] Cfr. *Miscellanea Ag. I,* 353: *Tractatus in Io,* 19-22: *PL* 35, 1543-1582.
[242] Cfr. *De catech. rudibus: PL* 40, 309 s.
[243] Cfr. Possidius, *Vita S. Augustini* 19, 2, 5: *PL* 32, 57.
[244] Cfr. *ibid.* 24, 14-25: *PL* 32 , 53-54; *Serm. 25,* 8: *PL* 38, 170; *Epist. 122,* 2: *PL* 33, 471-472.

instruendo,[245] in religiosorum sodalium gubernatione, plures quorum ad presbyteratum vocati sunt atque episcopatum,[246] necnon monasteriorum ipsarum « sanctimonialium ».[247] Moriens tandem « clerum sufficientissimum, et monasteria virorum ac feminarum, continentibus cum suis praepositis plena, Ecclesiae dimisit, una cum bibliothecis ».[248]

Nulla item fatigatione aut lassitudine tardatus pro Ecclesia Africana quoque sese impendit : quoties aliquo erat ad praedicandum arcessitus, suam praestabat operam :[249] crebris porro regionis illius intererat conciliis cum impedirent itineris eum difficultates, ubi docte quidem sapienterque sedulo vehementerque incumbebat in Donatistarum reconciliandum discidium, quo in duas Ecclesia distrahebatur partes. Maxima haec fuit ipsius defatigatio ac propter felicem aliquando impetratum rei finem laudatio maxima. Innumerabilibus enim scriptis historiam illuminavit ac doctrinam Donatistarum, catholicorum vero magisterium protulit de sacramentorum Ecclesiaeque indole; oecumenicam episcoporum congressionem tum catholicorum tum Donatistarum provexit, quam ipsemet praesens animavit in quaque suasit et perfecit ut reconciliationis submoverentur impedimenta cuncta, cum inter alia id etiam effectum esset ut sese episcopi catholici et Donatistae ipso abdicarent episcopatu ;[250] eiusdem dein congressus decreta pervulgavit[251] ac felicissime cursum incohavit et opus confirmandae pacis.[252] Ad mortem usque vexatus e manibus olim « circumcellionum » Donatistarum evasit quod eorum dux erraverat de via.[253]

Tot praeterea in universae Ecclesiae utilitatem opera contexuit, tot conscripsit epistulas, tot etiam sustinuit controversias. Manichaei et Pelagiani Ariani et pagani omnes continebantur pastoralibus eius curis ad catholicam tuendam fidem. Noctu interdiuque operatus indefatigabilis ipse est.[254] Postremis vitae annis dictabat adhuc alterum nocte opus, et alterum die, cum ei vacuum erat.[255] Iam vero septuagesimum

[245] Cfr. *Serm. 885,* 2: *PL* 39, 1569-1570; *Epist. 65: PL* 33, 234-235.

[246] Cfr. Possidius, *Vita 8. Augustini* 11, 1: *PL* 32, 42.

[247] Cfr. *Epist. 211,* 1-4: *PL* 33, 958-965.

[248] Possidius, *Vita 8. Augustini* 31, 8: *PL* 32, 64.

[249] Cfr. *Retract., prot.* 2: *PL* 32, 584.

[250] Cfr. *Epist. 128,* 3: *PL* 33, 489; *De gestis cum Emerito* 7: *PL* 43, 702-703.

[251] Cfr. *Post collationem contra Donatistas : PL* 43, 651-690.

[252] Cfr. Possidius, *Vita S. Augustini* 9-14 : *PL* 32, 40-45.

[253] Cfr. *ibid.* 12, 1-2: PL 32, 43.

[254] Cfr. *ibid.* 24, 11: « . . . in *die laborans et in nocte lucubrans »: PL* 32, 54.

[255] Cfr. *Epist. 224,* 2: *PL* 33, 1001-1002.

agens et sextum annum tria infecta reliquit moriens scripta, quae eloquentissimum omnium quidem sunt documentum et testimonium immensae eius navitatis inque Ecclesiam incomparabilis caritatis.

* * #

Hoc e singulari prorsus viro, prius volumus nos quam scribendi faciamus finem, quaerere ipse quid aetatis nostrae dicere possit hominibus. Complura reapse esse arbitramur, quae tum exemplis suis valeat nos tum praeceptis docere.

Veritatem conquirenti praecipit ille ne se eam aliquando reperturum desperet. Id exemplo illuminat — pluribus enim impensis sedulo annis denuo ipsam detexit — necnon scriptoria sua industria, cuius rationem causamque primis in litteris praestituit post conversionem exaratis. ((Reducendi mihi videntur homines ... in spem reperiendae veritatis *v.*[256] Monet ideo ut inquiratur veritas « pie, caste ac diligenter »[257] ut omnis devincatur tum dubitatio per reditum in hominem ipsum interiorem ubi verum deversatur,[258] tum studium materialium, quo impeditur mens ne coniunctionem sui ipsius cum rebus intellegibilibus percipiat,[259] tum nimia rationis fiducia, quae adiutricem nempe fidei operam detrectans ita sese disponit ut hominis « mysterium » haudquaquam comprehendat.[260]

Theologis autem, merito qui fidei altius perscrutari contendunt doctrinam, interminatum vere patrimonium commendat opinionum suarum, etiamnunc maxima ex parte validarum, at potissimum theologicam ipsam viam, ad quam inconcusse ipse adhaesit fidelis. Quem scimus theologiae agendae modum secum simul intulisse plenum quoddam obsequium erga fidei auctoritatem, quae una scilicet suam ob originem, Christi ipsius auctoritatem,[261] se quidem per Sacras Litteras ostentat et Traditionem et Ecclesiam ; intulisse flagrantem pariter propriae fidei perspiciendae cupidinem — « Intellectum vero valde ama »[262] aliis mandat ad seque applicat[263] —; aerem intulisse etiam mysterii ipsius sensum — « melior est enim », inclamat, « fidelis igno-

[254] *Epist. 1,1: PL* 33, 61.

[257] *De quantitate animae,* 14, 24: *PL* 32, 1049; cfr. *De vera relig.* 10, 20: *PL* 34, 131.

[258] Cfr. *De vera relig.* 39, 72: *PL* 34-154.

[259] Cfr. *Retract.* 1, 8, 2: *PL* 32; 594; 1, 4, 4: *PL* 32, 590.

[260] Cfr. *Epist. 118,* 5, 33: *PL* 33, 448.

[261] Cfr. *Contra Acad.* 3, 20, 43: *PL* 32, 957.

[262] *Epist. 120,* 3, 13: *PL* 33, 458.

[263] Cfr. *De Trinitate* 1, 5, 8: *PL* 42, 825.

ranfia, quam temeraria scientia »[264] — atque firmatam in animo sententiam : venire a Deo christianam doctrinam ideoque unicam habere proprietatem, quae non modo omnibus conservari partibus deberet — haec illa est « virginitas » fidei, de qua is loquebatur — verum etiam uti regula praefulgere ad philosophica diiudicanda placita sibi consentienti^ aut dissentientia.[265]

Quantum dein Litteras Sacras dilexerit Augustinus, nulli non pridem exploratum est, quarum divinum extollit ortum[266] et falli nesciam indolem,[267] altitudinem ipsam inexhaustasque divitias,[268] ac denique quantum iis studuerit. Studet tamen et vult ut studeatur integris illis Scripturis utque vera earum cogitata, vel dicente illo « cor »,[269] splendido perfundantur lumine, etiam si opus fuerit concordia ipsarum inter se ostendenda.[270] Haec principia omnino primaria existimat ad Scripturam Sacram intellegendam. In Ecclesia idcirco perlegit eam, habita simul traditionis ipsius ratione, naturam[271] cuius et obligandi vim[272] vehementer inculcat, pernota eius vox est : « Ego vero Evangelio non crederem, nisi me catholicae Ecclesiae commoveret auctoritas ».[273]

Exortis autem in disputationibus de Sacrae Scripturae interpretatione disceptandum censet « cum sancta humilitate, cum pace catholica, cum caritate christiana »,[274] donec veritas ipsa colligatur, quam ((in cathedra unitatis ... posuit »[275] Deus. Tunc enim manifesto constabit haud coortam esse controversiam nequiquam, quoniam ex ea sane « discendi exsistit occasio »[276] tactique etiam progressus sunt ad fidei intellegentiam.

Ut pauca similiter alia doctrinae Augustinianae elementa pro huius aetatis hominibus subministremus, animadverti velimus duplex eum argumentum investigantibus et mediantibus proponere, in quo mens versetur humana : Deum nempe atque hominem. Percontatur semet

[264] *Serm. 27,* 4: *PL* 38, 179.
[265] Cfr. *De doctrina Christ.* 2, 40, 60: *PL* 34, 55; *De civitate Dei* 8, 9: *PL* 41, 233.
[266] Cfr. *Enarr. in ps.* 90, d. 2, 1: *PL* 37, 1159-1160.
[267] Cfr. *Epist. 28,* 3, 3: *PL* 33, 112; 82, 1, 3: *PL* 33, 277.
[268] Cfr. *Epist. 137,* 1, 3: *PL* 33, 516.
[269] *De doctrina Christ.* 4, 5, 7: *PL* 34, 91-92.
[270] Cfr. *De perf. iust. hom.* 17, 38: *PL* 44, 311-312.
[271] Cfr. *De baptismo* 4, 24, 31: *PL* 43, 174-175.
[272] Cfr. *Contra Iulianum* 6, 6-11: *PL* 45, 1510-1521."
[273] *Contra ep. Man.* 5, 6: *PL* 42, 176; cfr. *C. Faustum* 28, 2: *PL 42,* 485-486.
[274] *De baptismo* 2, 3, 4: *PL* 43, 129.
[275] *Epist. 105,* 16: *PL* 33, 403.
[276] *De civitate Dei* 16, 2, 1: *PL* 41, 477.

ipse : « Quid ergo scire vis », respondetque vicissim : « Deum et animam scire cupio » Nihilne plus? Nihil omnino.[277] Et pertristi coram spectaculo maiorum in orbe, commonet pariter ut quis bona tandem vietura esse confidat, illam videlicet Civitatem victuram, « ubi victoria, veritas : ubi dignitas, sanctitas ; ubi pax, felicitas ; ubi vita, aeternitas ».[278]

Homines praeterea disciplinarum artiumque studiosos cohortatur ut creatis in rebus vestigium Dei conquirant[279] in ipsaque universitatis rerum consonantia reperiant « semina » ibidem quae Deus insevit.[280] Quibus autem hominibus creditae populorum fortunae et sortes sunt, suadet vehementer pacem ut illi diligant imprimis[281] provehantque non quidem dimicatione, verum pacificis modis, quandoquidem — ut scribit scientissime « maioris est gloriae ipsa bella verbo occidere quam homines ferro, et acquirere vel obtinere pacem pace, non bello ».[282]

Aliquid demum huius Nostri sermonis merito dicare iuvenibus volumus, quos et Augustinus ante conversionem magister ipse plurimum amaverit[283] ac pastor pariter postea.[284] Iis ergo commemorat inculcatque triplex illud magnum sibi in deliciis nomen : veritatis, amoris, libertatis, quae tria simul bona arcte cohaerent. Ad pulchritudinem porro incitat eos magni aestimandam, cuius fuit ille amantissimus ;[285] neque corporum dumtaxat venustatem, quae facere potest ut decor animi in oblivionem ipse abeat,[286] nec solam artis[287] sed virtutis etiam formositatem interiorem[288] at aeternam potissimum Dei ipsius pulchritudinem dicit, unde corporum et artis et virtutum omnis proficiscitur pulchritudo ; Deus namque ab eo habetur « pulchritudo pulchrorum omnium »,[289] « in quo et a quo et per quem bona et pulchra sunt, quae bona et pulchra sunt omnia ».[290] Annorum memor conversionem suam antecedentium, dolet acerbe sero se dilexisse hanc pulchritudinem, quae

[277] *Solil.* 1, 2, 7; *PL* 32, 872.
[278] *De civitate Dei* 2, 29, 2: *PL* 41, 78.
[279] Cfr. *De diversis quaestionibus* 83, q. 46, 2: *PL* 40 , 29-31.
[280] Cfr. *De Gen. ad litt.* 5, 23, 44-45; 6, 6, 17-6, 12, 20: *PL* 34, 337-338; 346-347.
[281] Cfr. *Epist. 189,* 6: *PL* 33, 856.
[282] *Epist. 229,* 2: *PL* 33, 1020.
[283] Cfr. *Confessiones* 6, 7, 11-12: *PL* 32, 725; *De ordine* 1, 10, 30: *PL* 32, 991.
[284] Cfr. *Epist. 26;* 118; 243 ; 266: *PL* 33, 103-107 ; 431-449; 1054-1059; 1089-1091.
[285] Cfr. *Confessiones* 4, 13, 20: *PL* 32, 701.
[286] Cfr. *ibid.* 10, 8, 15: *PL* 32, 785-786.
[287] Cfr. *ibid.* 10, 34, 53: *PL* 32, 801.
[288] Cfr. *Epist. 120,* 4, 20; *PL* 33, 462.
[289] Cfr. *Confessiones* 3, 6, 10 : *PL* 32, 687.
[290] *Solil.* 1, 1, 3: *PL* 32, 870.

« tam antiqua et tam nova » nominatur,[291] admonetque ne hac in re sese imitentur, sed pulchritudine semper ipsa et ante omnia colenda interiorem iuventutis splendorem in eo item usque conservent.[292]

* * *

Conversionem ita Sancti Augustini concelebrare iuvit capitulatimque transire huius incomparandi prorsus viri doctrinas, cuius quodam modo omnes tam in Ecclesia quam in orbe ipso occidentali nos filios esse discipulosque sentimus. Vere denuo exque animo exoptare Nos testamur illius ut magisterium investigatum etiam subtilius longe late cognoscatur studiumque eiusdem pastorale imitando ubique repetatur, quo tanti magistri ministrique sacri doctrina vel felicius posthac in Ecclesia atque inter homines vigere pergat ac florere, unde et fides proficiat et cultus ipse humanus.

Centenarius decies et sexties annus ab Augustini conversione copiam perquam exhibet opportunam studia ipsa Augustiniana duplicandi necnon erga Sanctum confirmandi pietatem. - Nominatim vero religiosos ipsos Ordines, eius gloriantes nomine ac patrocinio simul virorum simul mulierum eiusque quoquo pacto sectantes regulam, maximopere Nos in Christo hunc ad finem et propositum concitamus hortati ut oblata illa usi penitus occasione redintegrent multiplex Sancti Augustini exemplar sapientiae et sanctimoniae ac studiosius quam alias umquam disseminent.

Variis quidem coeptis ac sollemnibus hanc ob causam passim institutis animo gratulanti beneque precanti ex longinquo intererimus, quibus singulis supplices supernum advocamus praesidium atque ipsius Virginis Mariae, quam Ecclesiae Matrem Hipponensis pastor extulit,[293] adiutorium praesens, auspice Benedictione Apostolica, quam hisce cum Litteris amantissime profecto dilargimur.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die xxvin mensis Augusti, in memoria Sancti Augustini, episcopi et Ecclesiae doctoris, anno MCMLXXXVI, Pontificatus Nostri octavo.

IOANNES PAULUS PP. II

[291] *Confessiones* 10, 27, 38: *PL* 32, 795.
[292] Cfr. *Epist. 120,* 4, 20: *PL* 33, 462.
[293] Cfr. *De sancta virginitate,* 6, 6: *PL* 40, 339.

CONSTITUTIO APOSTOLICA

TUNDURUENSIS - MASANIENSIS

Quibusdam locis a dioecesi Nachingveaënsi distractis nova Ecclesia Tunduruensis-Masasiensis in Tanzania conditur.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Cogitantes de Ecclesia Nachingveaënsi deque haud facili actione pastorali pro omnibus fidelibus intra eiusmodi dioecesanos fines degentibus, non dubitamus quin preces sint audiendae quae Sanctae huic Sedi ad hoc adhibitae sunt, ut, salvis paroeciis « Ndanda » et « Chigugu » in civili regione « Masasi » quidem sitis, ex reliquis locis regionis nunc nominatae omnibusque illis alterius regionis « Tunduru » propriis, quae omnia hucusque ad memoratam dioecesim pertinuerunt, nova illic dioecesis instituatur. Ipsi igitur, qui ubique pro munere Nostro maxime evangelizationis opus adiuvare cupimus, ex sententia Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Congregationis pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide negotiis praepositorum hodie ad Nos relata, quam de opportunitate rei perpensam ratam habemus, cumque autem in votis etiam res sit quorum interest, vi et potestate Nostra Apostolica harumque Litterarum virtute haec decernimus, quae sequuntur, atque iubemus. A dioecesi Nachingveaënsi nunc loca, quae civili regione « Tunduru » continentur, separamus, pariterque, exceptis paroeciis « Ndanda » et « Chigugu », reliqua civilis regionis ((Masasi » loca; iisque simul sumptis novam dioecesim condimus nomine *Tunduruensem-Masasiensem* eamque tum Ecclesiae Dar-es-Salaamensi suffraganeam constituimus tum eidem quam diximus Congregationi de Propaganda Fide iure subicimus, simul atque statuimus ut novae dioecesis sedes episcopalis in urbe collocetur vulgo Tunduru; ipsi autem templo ibidem aedificando Cathedralis templi gradus sane ac dignitas

erit. Concedimus unoque tempore hortamur ut, ob loci temporisque adiuncta, pro Canonicorum capitulo ibi ad statutum ius consultores dioecesani electi adhibeantur. Has Litteras Apostolicas nunc et in posterum ratas esse volumus, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die septimo decimo mensis Octobris, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo sexto, Pontificatus Nostri nono.

83 AUGUSTINUS Card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

IOSEPHUS Card. TOMKO
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Angelus Lanzoni, *Proton. Apost.*
Hyginus Quadraroli, *Proton. Apost. s.n.*

Loco 89 Plumbi
In Secret. Status tab., n. 186.883.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Beatorum honores Venerabili Petro Friedhofen deferuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi» *(Matth* 25, 34). Suavia haec verba Filius hominis iis est dicturus, qui in sua cuiusque terrestri vita, et viderint Eum in pauperibus, et in egenis miserisque Ei adfuerint : nam his loquetur illis qui talia gesserint : « Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis » *(ib.* 25, 40). Mandatum enim diligendi proximi, quam arcte cum amore Dei coniunctum, neque unis verbis exercendum, sed opere et veritate (cf. *I Io* 3, 18), est praeceptum longe princeps in iis quae Christus asseclis iussit : « Mandatum novum do vobis : ut diligatis invicem, sicut ego dilexi vos» *(Io* 13, 34). Nimirum inter illos qui, Dei gratia fulti, hoc Domini praeceptum pie sancteque servarunt, est sane Venerabilis Dei Servus Petrus Friedhofen adnumerandus, qui tamquam bonus Samaritanus (cf. *Luc* 10, 30-35) in omnes quos doloris sarcina premeret, ita inclinavi, ut summa et cura, et sollicitudine — obsequio, dixerimus ut est mos Sanctorum proprius, — suavem divini

amoris dulcedinem cum iis communicaverit, ac Redemptoris luce eos collustraverit. Ortus est autem Venerabilis hic vir Weitersburgae, ad Confluentes, anno MDCCCXIX, die quinta et vicesima mensis Februarii, Petro Friedhofen et Anna Maria Klug parentibus, pauperibus quidem, sed piis ; qui, tristi morte occupati, mature puerum orphanum pauper - rimumque reliquerunt. Anno autem MDCCCXXXII, mense Aprili, primum puer Eucharistiam sumpsit. Deinde, die decimo mensis Mai insequentis anni, est sacramento Confirmationis ad vitae certamina roboratus. Ceterum, scholis elementariis ab anno MDCCCXXXIV ad MDCCCXXXVII frequentatis, caminorum purgandorum tirocinium posuit, cum Iacobo fratre eius natu maiore eam artem exercens. Ita forte factum est, ut inde ab infantia in Filii Dei similitudinem cotidianum victum per durum laborem quaereret. Cum autem duo de vicesimum annum ageret, socius fratris factus est : socius videlicet laboris et illius familiae sustentandae. Neque tamen operosa illa ars, quam, vix credas, in rem sacram verterat, impediebat quin animi pietatem summo studio coleret, in Deum, virtutem, orationem, proximorumque salutem totus intendens. Religiosorum praeterea officiorum diligentissimus, in divinis Scripturis diu immorari solebat ; Mariam, castissimam Christi Matrem, filii more venerabatur, cuius laudes in caminis abstergendis canebat : quin et coaequales in id hortabatur. Anno MDCCCXLII vir est creatus caminis totius municipii purgandis in nativo pago Vallendar; at, valetudinis causa eo se munere anno MDCCCXLV abdicavit. Cum tamen ad interiorem vitam inclinaret ingenio suo, coenobium Congregationis Sanctissimi Redemptoris, quod Wittern esset, in Hollandia, petiit, ibique Religiosae vitae suavitatem, brevi quamvis haustu, fruitus est. Neque tamen ad id vitae genus se vocari cognovit. Post vero fratris mortem, misericordia motus onus in se suscepit alendae illius viduae ac puerorum, quorum tutor a Municipio publice designatus est. Ea occasione praeterea in munus caminorum purgandorum fratri successit in pago Ahrweiler. Quia tamen suscepta liberaliter onera graviora erant, quam ut ea sustinere posset, anno MDCCCL, se iis muneribus abdicavit. Cum autem is esset Venerabilis Vir, quem missio Ecclesiae universalis haud leviter tangeret, et cura atque sollicitudo proximorum urgeret, idcirco iam inde a puero facultatem nullam omittebat, ut pastorales sacerdotum curas participans, iuvenes ad frequentem usum Evangelii impellerei, et ad alta christianae perfectionis erigeret. Ad eum finem, consiliis initis cum Parocho Vallendariensi, iuvenum manum se circum coegit, qui eadem ac ille sentirent, atque serio pollicerentur se ad sanctitatem

tendere velle, atque Dei gloriam conversionemque peccatorum persequi : per christianarum nempe virtutum exercitium, quales erant ; humilitas, castitas, oboedientia ; per sacramenta, praeterea, Confessionis et Eucharistiae; per singularem erga Dei Matrem pietatem, ac in Sanctum Aloisium Gonzaga religionem. Eo consilio nata est Societas a S. Aloisio, quae, Petro auctore atque ductore, per ceteras etiam regiones manavit, probante iuridice Episcopo Trevirensi. Post autem varia Sodalitatis illius discrimina, interioresque difficultates, provido piissimi sacerdotis Antonii Iosephi Liehs usus consilio, tandem intellexit quo Deus vocaret ; atque id vitae cepit institutum, ut non modo valde austere, more Sanctorum viveret, sed etiam ut paene tota die ac nocte Mariae laudes caneret, vivacemque caritatem exerceret, maxime in aegrotos. Factum est ergo ut, divinae Providentiae fisus, atque beatissimae Matris Dei patrocinio fultus; assidua insuper prece recreatus; ac Moderatorum ecclesiasticorum voluntatibus ad amussim parens, nonnisi post graves aerumnas, tribulationes, incommoda, casusque varios, Congregationem Fratrum a Misericordia conderet, sub tutela Mariae Auxiliatricis. Quae profecto Sodalitas, anno MDCCCLII Confitentibus ab Episcopo Villelmo Arnoldi canonice constituta est, atque eo respiciebat ut in aegrorum curationem sodales intenderent. Interim autem Venerabilis vir, una cum duobus sodalibus, die festo Annuntiationis beatae Mariae Virginis, anno MDCCCLI, religiosam vestem induerat; atque die quarto decimo mensis Martii proximi anni, se Deo toto pectore dedicabat, sollemnia vota per sacerdotem Philippum De Lorenzi nuncupando; qui, legatus ab Episcopo, assidua sollicitudine Dei Servo adstitit ab ortu Instituti ad maturitatem. Ceterum hoc, anno MDCCCCXXVI est ab Ecclesia probatum sigillo suo. A die vero religiosae professionis ad usque vitae occasum, Venerabilis vir Congregationi suae sapienter prudenterque praefuit. Et ea quidem, brevi, opitulante Deo, ad alias etiam urbes fines protulit. Nimirum ille, ut erat ad Evangelii iussa simplex, humani apparatus opumque inops, ad id summe contendit, ut regnum Dei eiusque gloriam quaereret, ea semper consilia sequens, quae egenis ac pauperibus prodessent magnopere. Per id autem egregium etiam documentum dedit perfectae imitationis Christi, qui « non venit ministrari, sed ministrare » *(Matth* 20, 28), atque sibi factum habet, quod in egentium utilitatem impenderimus. Cum autem nullo se loco numeraret, robur inceptorum efficiendorum aliunde hausit : ab intime scilicet consuetudine cum Deo, cuius nutibus obsequebatur in omnibus ; ab eximia pietate erga caelestem Patrem, Eucharistiam, atque Christi

Matrem; sed maxime a Crucifixo. Praeterea, tametsi venerabilis vir interiore luce fruebatur, semper tamen prudentium hominum consilia petere consuescebat ac sequi, quorum iudicio proposita, cogitationes, ac paene motus animi committebat aequissimo animo. Dolores, nimirum, paupertas, difficultates quae eius vitam comitata sunt a prima usque infantia ceu lucem umbra, eum vallarunt ac munierunt; quem et proclivem effecerunt in aliorum necessitates, et benignum semper ac liberalem, si quis erravisset devius, aut incertus esset animi, et abstinentem rerum humanarum, et divinae gratiae fidentem. Ceterum, in assidua oratione ac prece nisus, rerum malignitates vici t religiosae vocationi obstantes, eosque obdurans, dum caelitus auxilium mitteretur, aut divino instinctu confirmaretur. Robur autem omne ex iis Christi verbis Petrus sumebat : « Et omnia quaecumque petieritis in oratione credentes accipietis» *(Matth* 21, 22). « Quae, aiebat, talia sunt quibus ego fidam totus, in quibusque consistam, cum tota Scriptura moneat ut Deo credamus. Quare ei qui credit, omnia promissa sunt ». Ceterum, in recto proposito perseveravit sese omnibus omnia faciendi, proiiciendi in virtutibus cum christianorum tum etiam religiosorum propriis, ad mortem usque progrediens. Sed heu mors iam iam inminens eum praestolabatur in via ; quae eum et Confitentibus rapuit, die uno et vicesimo mensis Decembris, anno MDCCCLX. Neque letum non praesagiit ac futura non ante sensit, qui paucis ante diebus scripserat : « O possim in Christi Natali canere cum Angelis in caelo : Gloria in excelsis Deo. Deo enim omnia possibilia sunt ». Qua re se quam diligentissime ornaverat ad Dei conspectum, quem summe amaverat, cuique libero ac puro corde servierat ; atque sacramenta pie exceperat, filiorum precibus suffultus, a quibus in beneficii loco petierat ut cantiunculam « Amar Maria » canerent, qua maxime delectaretur : eandem precem, videlicet, quam ipse tunc cantare consuevisset, cum, iuvenis, in vitae vero, caminos mundabat, aequalibus demirantibus. Dei servo iusta funebria celebrata sunt, quibus, quamvis aspera circum saeviret hiems, frequentissima populi magistratuumque turba interfuerunt. Neque eius virtutum laus atque memoriam perierunt, cuius fama diu tenuit. Quam ob rem, Curia episcopalis Trevirensis, anno MDCCCCXXVII, beatificationis processus initium fecit. Post ergo res diligentissime apud archiva indagatas et vestigatas, Officium Historicum-Hagiographicum Congregationis pro Causis Sanctorum scriptum, seu *Positionem super vita et virtutibus* Venerabilis Servi Dei, apparavit. Deinde, nempe ad iuris normam, apud eandem Congregationem de virtutibus eius rite disputa-

tum est; quas heroas fuisse die quarto et vicesimo mensis Septembris, anno iubilaeo MDCCCCLXXXIII, Ipsi declaravimus. Tandem, mira sanatione Ioannis Hain, Venerabilis Petri Friedhofen intercessioni attributa, iusta diligentia excussa, a Nobisque die quarto decimo mensis Decembris, anno MDCCCCLXXXIV, probata; explorato item de solida signorum fama constare, iter ad Servi Dei beatificationem tuto patuit, quam die tertia et vicesima mensis Iunii, hoc anno, fieri statuimus, una cum Venerabilis Servi Dei Benedicti Menni beatificatione. Hodie ergo, Romae, in Basilica Vaticana referta fidelibus, maxime e Germania, inter sacrum st^tam formulam sollemni caerimonia pronuntiavimus, quae est : « Nos, vota fratrum nostrorum Angeli Suquía Goicoechea, Archiepiscopi Matritensis, Hermanni Iosephi Spital, Episcopi Trevirensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu, multorumque christifidelium explentes, de Congregationis pro Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus, ut Venerabiles Servi Dei Benedictus Menni et Petrus Friedhofen, Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum die ipsorum natali : Benedicti Menni die vicesima quarta aprilis, Petri Friedhofen die vicesima prima decembris, in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ». Novorum inde beatorum laudibus pontificali sermone habitis, Deoque per illos invocato, christianae plebi eos seu sincera exemplaria virtutum proposuimus. Quod profecto faustum, felix fortunatumque sit. Ea vero quae gessimus in perpetuum valeant, contrariis nihil obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxni mensis Iunii, anno MDCCCCLXXXV, Pontificatus Nostri septimo.

ffi AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*

Loco © Sigilli

In Secret. Status tab., n. 164.761.

II

Templum Beatae Mariae Virginis, vulgo «Madonna di Campagna» nuncupatae, in dioecesi Veronensi, ad Basilicae Minoris dignitatem evehitur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Cum de Dei gloria optimi maximi agitur, vel de Sanctorum eius honore (potissimum autem de beatae Mariae Virginis, Christi Matris castissimae), semper quidem petentibus Venerabilibus Fratribus Episcopis concedere consuevimus : sunt enim sive Deus, rerum creator et rector, sive caelicolae illi non modo exemplaria virtutum, in quae respiciamus, sed etiam praesidia, quibus confidamus in hoc terrestri itinere ad patriam beatam et immortalem ; ubi enim discrimina mille instant, ibi magna etiam auxilia prostent oportet. Qua re, cum Venerabilis Frater Iosephus Amari, Episcopus Veronensis, suo suorumque tum cleri tum fidelium nomine, iam a Nobis id petierit ut templum beatae Mariae Virginis quam populus « Madonna di Campagna » cognominai, in sua dioecesi, Basilicis Minoribus annumeraretur, Nos eius aedis tum antiquitate considerata, tum forma elegantissima, tum sacra supellectili, quam custodit, tum maxime fidelium pietate sacerdotumque cura animorum, aeque admotis precibus concedimus, certa spe fore ut cum templi dignitate etiam Christi fidelium amor erga Deum et Virginem in pectoribus crescat : non tam enim templum ipsum, quantumvis venerabile, Dei gloriam canit nomenque celebrat, sed conscii fidelium animi imbuti pietate. Quae cum ita sint, id probantes quod Congregatio pro Cultu Divino de re censuerit factis olim a Nobis potestatibus, facultate Nostra apostolica Venerabilis Fratris Episcopi Veronensis libenter postulata facientes, templum de quo sermo factus est, Dei Matri dicatum sub titulo ((Madonna di Campagna » Basilicis Minoribus accensemus, cum iuribus talium templorum propriis et liturgicis concessionibus, modo ea servata sint, quae iuxta decretum « De titulo Basilicae Minoris » die vi Iunii, anno MDCCCCLXVIII factum, servanda sunt. Contrariis nihil obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxix mensis Septembris, anno MDCCCCLXXXVI, Pontificatus Nostri octavo.

83 AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*

Loco © Sigilli

In Secret. Status tab., n. 182.263.

III

S. Ioseph, Sponsus B. M. V., et S. Clara Assisiensis confirmantur Patroni dioecesis S. Iosephi in California, principalis alter, altera secundaria.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Sanctos caelites a christifidelibus honorari, atque sincera pietate invocari, non modo aequum, sed etiam utile esse, omnibus in Christum credentibus persuasum est : namque illi ob singularem virtutem, qua praestiterint, iam non solum amicissimi Dei facti sunt, cuius laudes perpetuo canunt, sed etiam potentes ipsius misericordiae intercessores, cum nihil caelestis Pater abneget iis, qui Eum tota vita dilexerint. Ceterum, id semper Ecclesia et credidit et docuit, suoque exemplo firmavit. Qua re, cum clerus populusque dioecesis S. Iosephi in California singulari pietate erga S. Iosephum, beatae Mariae Virginis Sponsum, Sanctamque Claram Assisiensem niteant, atque idcirco eos tamquam Patronos propriae dioecesis delegerint, alterum nempe principalem, secundariam alteram, ut dici consuevit, atque Episcopus id rite probaverit ; cumque a Nobis sacer idem Antistes haec omnia confirmari poposcerit, ad normam Instructionis « De Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis », n. 30; Nos, rati quidem e Nostra confirmatione nonnisi bona manare posse (honor enim Sanctorum in Deum tandem refundi ac recidere), libenti animo admotis precibus concedimus. Iis ergo probatis, quae Congregatio pro Cultu Divino de re statuerit, factis olim a Nobis facultatibus, placet sive S. Iosephum Sponsum B. M. V. Patronum principem apud Deum confirmari dioecesis S. Iosephi in California, sive S. Claram Assisiensem Patronam secundariam eiusdem Sedis haberi, cum iuribus et liturgicis privilegiis iuxta rubricas consequentibus, contrariis nimirum non obstantibus. Ceterum quae gessimus ut Deo Sanctisque eius laudi, dioecesi vero beneficio cedant, beata Maria Virgo a Filio postulet.

Datum Bomae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xv mensis Novembris, anno MDCCCCLXXXVI, Pontificatus Nostri nono.

88 AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*

Loco **Iji** Sigilli

In Secret. Status tab., n. 185.291.

IV

Beata Maria Virgo titulo « Auxiliadora de los Cristianos » nuncupata, Patrona apud Deum dioecesis de Punta Arenas in Chilia confirmatur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Cum fideles Ecclesiae de Punta Arenas in Chilia Beatam Mariam Virginem titulo ((Auxiliadora de los Cristianos » invocatam peculiari quidem cultu prosequerentur tamquam suam Matrem, Magistram et Reginam, Venerabilis Frater Thomas González Morales, Episcopus eiusdem dioecesis, communia cleri populique vota excipiens, electionem Beatae Mariae Virginis sub memorato titulo in Patronam apud Deum Ecclesiae suae rite probavit atque, datis litteris die v mensis Augusti hoc anno, petivit ut electio et approbatio huiusmodi ad normam « Instructionis de Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis », n. 30, ab hac Apostolica Sede confirmarentur. Nos igitur, istius cupientes preces audire Pastoris, comprobatis iis, quae Congregatio pro Cultu Divino, factis a Nobis facultatibus, hac in re egit, Apostolica Nostra potestate, harum Litterarum virtute perpetuumque in modum Beatam Mariam Virginem titulo « Auxiliadora de los Cristianos » invocatam Patronam apud Deum dioecesis de Punta Arenas confirmamus, cum omnibus iuribus et liturgicis privilegiis iuxta rubricas consequentibus. Contrariis nihil obstantibus. Ceterum volumus ut hae Litterae Nostrae religiose serventur suosque effectus sive nunc sive in posterum habeant.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xv mensis Novembris, anno MCMLXXXVI, Pontificatus Nostri nono.

83 AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*

Loco © Sigilli

In Secret. Status tab., n. 185.503.

HOMILIA

In Petriana basilica habita, ob decretos Beato Iosepho Mariae Tornasi Sanctorum caelitum honores.*

1. ((Il Signore è il mio pastore ».[1] La Chiesa ripete queste parole costantemente.

Le ripete oggi — in questa domenica d'ottobre — con spirito di particolare gratitudine e di spirituale entusiasmo.

Sì. Il Signore è il mio pastore. La verità di queste parole è riconfermata specialmente, quando alla Chiesa è dato di costatare l'opera della santità nella vita dei suoi figli e delle sue figlie.

L'opera della santità, opera di Dio stesso, opera di Cristo, eterno Pastore, opera dello Spirito Santo che agisce nell'uomo.

L'opera della santità : opera dell'uomo dedito a Dio, obbediente alla grazia. « Gloria Dei vivens homo ».

2. Proprio oggi è dato alla Chiesa, e particolarmente a questa Sede Apostolica, di confermare ancora una volta la santità dell'uomo, la quale è l'opera suprema di Dio nell'universo creato. È il dono più pieno.

Questa santità si è manifestata nella vita e nelle opere di Giuseppe Maria Tornasi, proclamato Beato da Pio VII nel 1803.

Adesso, le ulteriori testimonianze con cui Dio ha voluto illustrare questo suo servo, inducono ad annoverarlo nell'albo dei Santi.

I motivi di convenienza pastorale per questa Canonizzazione sono numerosi. Quello principale può essere dato dall'importanza che la figura di san Giuseppe Maria riveste nel campo del culto liturgico, che largamente promosse con la sua vita e i suoi scritti scientifici. La testimonianza del nuovo santo cade particolarmente opportuna ai nostri giorni, a vent'anni dal Concilio Vaticano II, che tanto incremento ha dato al rinnovamento della vita liturgica. Il Santo che oggi proclamiamo ci aiuta a comprendere e a realizzare questo rinnovamento nel senso giusto.

Compiendo l'atto della Canonizzazione, possiamo ripetere con San Paolo : ((investiti di questo ministero per la misericordia che ci è stata usata, non ci perdiamo d'animo ; al contrario rifiutando le dissi-

* Die 12 m. Octobris a. 1986.

[1] *Sai* 22 [23], 1.

mulazioni vergognose, senza comportarci con astuzia né falsificando la parola di Dio, ma annunziando apertamente la verità, ci presentiamo davanti a ogni coscienza, al cospetto di Dio ».[2]

3. Giuseppe Maria Tornasi ha risposto nella sua vita all'eterna chiamata del divino Pastore, secondo le parole del profeta Ezechiele proclamate nell'odierna Liturgia.

— Titulari episcopali Ecclesiae Maronanensi, R. P. Georgium E. Rueger, e clero dioecesis Vigorniensis, curionem paroeciae Sancti Petri, quem deputavit Auxiliarem Exc.mi P. D. Timothei J. Harrington, Episcopi Vigorniensis.

die 17 Ianuarii. — Cathedrali Ecclesiae Sanctae Rosae in California, Exc.mum P. D. Ioannem Steinbock, hactenus Episcopum tit. Midilensem.

die 20 Ianuarii. — Cathedrali Ecclesiae Cadurcensi Exc.mum P. D. Mauritium Gaidon, hactenus Episcopum titularem Sebargensem.

die 27 Ianuarii. — Cathedrali Ecclesiae Sancti Ludovici Potosiensis Exc.mum P. D. Arturum A. Szymanski Ramírez, hactenus Episcopum Tampicensem.

29 Ianuarii. — Titulari episcopali Ecclesiae Suristensi, R. D. Villelmum E. Franklin, e clero archidioecesis Dubuquensis, curionem paroeciae Sancti Eduardi in oppido vulgo Waterloo, quem deputavit Auxiliarem Exc.mi P. D. Danielis W. Kucera, O. S. B., Archiepiscopi Dubuquensis.

die 5 Februarii. — Cathedrali Ecclesiae Desmoinensi, Exc.mum P. D. Villelmum H. Bullock, hactenus Episcopum tit. Natchetensem.

die 6 Februarii. — Coadiutorem Patensem, Exc.mum P. D. Iosephum Bel vinum do Nascimento, hactenus Episcopum Itumbiarensem.

die 13 Februarii. — Titulari episcopali Ecclesiae Segiensi R. D. Hectorem Gutiérrez Pabón, e clero archidioecesis Bogotensis, quem deputavit Auxiliarem archidioecesis Caliensis.

— Cathedrali Ecclesiae Dianensi-Policastrensi R. D. Brunonem Schettino, hactenus paroeciae B. M. V. Decoris Carmeli in dioecesi Nolana parochum.

— Cathedrali Ecclesiae Conversanensi-Monopoli tanae Exc.mum P. D. Dominicum Padovano, hactenus Episcopum titularem Mazacensem.

— Cathedrali Ecclesiae Lucerinae-Troianae R. D. Raphaelem Castielli, e clero eiusdem dioecesis presbyterum.

CONGREGATIO PRO CAUSIS SANCTORUM

DECRETA

I

DERTOSEN.

Canonizationis Ven. Servi Dei Emmanuelis Domingo y Sol, Sacerdotis Fundatoris Societatis Sacerdotum Dioecesanorum a S. Corde Iesu (1836-1909).

SUPER DUBIO

An et de quo miraculo constet, in casu et ad effectum de quo agitur.

Ortus Dertosae in Hispania, die 1 mensis Aprilis anno 1836, Emmanuel Domingo y Sol multis sacris ministeriis implendis se impendit totum, ac praesertim in condendam regendamque Societatem sacerdotum dioecesanorum, eo quidem fine ut eiusdem sodales ad episcoporum nutum adlaborarent. Hinc factum est ut eidem Societati clericorum

seminaria moderanda concederentur. Eundem autem Famulum Dei heroicas exercuisse virtutes, videlicet théologales Fidem, Spem et Caritatem cum in Deum tum in proximum, necnon cardinales Prudentiam, Iustitiam, Temperantiam et Fortitudinem, eisque socias et adnexas, Paulus Papa VI die 4 mensis Maii a. 1970 sollemniter edixit.

Porro, ad altarium honores eidem Venerabili Servo Dei rite decernendos unum requiritur miraculum a Deo patratum per eiusdem Dei Famuli intercessionem. Hinc sollertes Causae actores miram sanationem domini Raphaelis de la Rosa Vega, civis Venetiolani, 65 annorum, Apostolicae Sedis ad cognoscendum exhibuerunt. Is namque, die 3 mensis Octobris anno 1972, a gravi pneumopathia bilaterali, deprecatore eodem Venerabili Emmanuele Domingo y Sol plene convaluit.

Hac super mira sanatione adornatus est aa. 1974-1975 apud Curiam ecclesiasticam Caracensem apostolicus processus, cuius quidem forma et iuridica vis agnitae sunt per decretum diei 23 mensis Iulii a. 1976.

Exinde agi coepta est apud Congregationem pro Causis Sanctorum disceptatio iure praescripta de eadem mira sanatione, et primum, die 5 Martii anno hoc decurrente 1986, in sessione Consultae Medicae eiusdem Congregationis exitu quidem propitio, nempe contigisse eandem sanationem praeter naturae artisque medicae leges. Deinde est secutum examen seu discussio in Congressu Peculiari Patrum Consultorum, moderante Rev.mo Domino Antonio Petti, die 27 mensis Iunii eodem anno; et tandem, die 21 sequentis mensis Octobris, in Congregatione Ordinaria Cardinalium et Episcoporum, Ponente Em.mo Cardinali Mario Aloisio Ciappi. Et utroque in Coetu, Consultorum scilicet et Cardinalium, suffragia fuerunt affirmantia praedictae sanationis praeternaturalitatem.

De hisce omnibus facta est per subscriptum Cardinalem Praefectum relatio Summo Pontifici Ioanni Paulo II, qui vota Congregationis excipiens, mandavit ut Decretum super praefata sanatione rite appararetur.

Quod cum esset factum, accitis hodierno die Cardinalibus infrascripto Praefecto atque Mario Aloisio Ciappi, Causae ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit : *Constare de uno miraculo a Deo, intercedente Venerabili Servo Dei Emmanuele Domingo*

y Sol, patrato, scilicet de rapidissima, perfecta ac ***stabili*** *sanatione domini Raphaelis de la Rosa Vega a « grave pneumopatia bilaterale subacuta emorragica in paziente con pregresso infarto miocardico ed enfisema polmonare, probabilmente favorita dalla somministrazione di farmaco anticoagulante »*.

Hoc autem Decretum in vulgus edi et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 10 Novembris A. D. 1986.

PETRUS Card. PALAZZINI, *Praefectus*

L. © S.

® Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

II

MEDIOLANEN.

Canonizationis Ven. Servi Dei Andreae Caroli Ferrari, Archiepiscopi Mediolanensis, S. R. **E. Cardinalis.**

SUPER DUBIO

An et de quo miraculo constet, in casu et ad effectum de quo agitur.

Ven. Servus Dei Andreas Carolus Ferrari in finibus dioeceseos Parmensis die 13 Augusti anno 1850 natus, ad sacerdotalem ordinem promotus, maioris seminarii rectorem egit atque theologiae magistrum aliisque muneribus eadem in dioecesi est functus, antequam ad sedes episcopales primum Guastallensem deinde Comensem electus sit. A Leone Papa XIII S. R. E. cardinalis creatus, Ecclesiae Mediolanensi archiepiscopus datus est. Novensilis totius Lombardiae praesul metropolitanus, in venerandi decessoris sui Caroli Borromaei mores se formavit, cuius et nomen sibi imposuit et praesentiam instauravit. Eum autem heroicas coluisse virtutes Paulus Papa VI die 1 mensis Februarii a. 1975 sollemniter declaravit.

Porro, ut eidem Venerabili honores Beatorum Caelitum rite decernerentur, Causae actores unam sanationem ad iuris normam divi-

nitus per eiusdem intercessionem effectam selegerunt eamque Apostolicae Sedi ad cognoscendum exhibuerunt. Agitur quippe de sanatione dominae Olivae Dragoni Mantovani, septuaginta et tres annos natae, civis Italicae sed in urbe Sancti Pauli in Brasilia commorantis. Ipsa etenim, post viginti et quinque annos acerrimis affecta doloribus, invocato ferventibus precibus caelesti patrocinio Venerabilis Andreae Caroli Ferrari, mense Iulii anni 1967 perfecte et stabili modo in instanti con valuit a forma quadam arthroseos vertebralis, osteoporosi extensae coniunctae.

Cum super eiusmodi autem mira sanatione processus apostolica auctoritate instrui haud potuerit ob rationes in supplici libello expositas, supplicatum fuit a Causae actoribus Summo Pontifici pro dispensatione ab eodem processu construendo, ita ut, in casu, sufficerent documenta scripta de asserta sanatione atque ad ulteriora procedi posset; nempe, si Consultae Medicae sodalium opinio circa sanationis praeternaturalitatem affirmativa fuisset, ad suetas disceptationes theologicas deveniretur. Quod quidem ita evenit : sententia medicorum propitia cum esset, die 15 mensis Ianuarii anno hoc 1986 edita, deventum est ad theologorum discussionem; et quidem primum, die 13 Iunii eodem anno, in Congressu Particulari Patrum Consultorum, moderante Rev.mo D.no Antonio Petti, Fidei Promotore Generali; et deinde, die 1 subsequentis mensis Iulii, in Ordinaria Congregatione Patrum Cardinalium et Episcoporum, in Vaticanis aedibus coadunata, ponente seu relatore Em.mo ac Rev.mo cardinali Silvio Oddi. Et in utroque Coetu, dubio proposito num constaret de miraculo responsum est datum affirmativum.

De praemissis omnibus certior factus per subscriptum cardinalem Praefectum, Summus Pontifex Ioannes Paulus II vota Congregationis pro Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut de praedicta mira sanatione Decretum rite appararetur.

Quod cum factum esset, hodierna die, accitis ad se cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a secretis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater edixit : *Constare de uno miraculo a Deo patrato, deprecatore Ven. Servo Dei Andrea Carolo Ferrari, videlicet de instantánea, perfecta ac stabili sanatione dominae Olivae Dragoni Mantovani a specie*

quadam arthrosis vertebralis valde dolorosae, osteoporosi generali coniunctae.

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc Decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 10 Novembris A. D. 1986.

PETRUS Card. PALAZZINI, *Praefectus*

L. © S.

& Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Udienza Ufficiale per la presentazione delle Lettere Credenziali:

Giovedì, 8 Gennaio 1987, S. E. il Signor FRANK SHAKESPEARE, Ambasciatore degli Stati Uniti d'America presso la Santa Sede.

Venerdì, 9 Gennaio 1987, S. E. il Signor Simon B. ARAP BULLUT, Ambasciatore del Kenya presso la Santa Sede.

Lunedì, 2 Febbraio 1987, S. E. il Signor EFRAIN REYES DULUC, Ambasciatore della Repubblica Dominicana presso la Santa Sede.

Il Santo Padre ha ricevuto in Udienza :

Lunedì, 12 Gennaio 1987, S. E. il Signor FERNANDO LEÓN DE VIVERO, Presidente della Camera dei Deputati del Perù.

Martedì, 13 Gennaio 1987, S. E. il Generale WOJCIECH JARUZELSKI, Presidente del Consiglio di Stato della Repubblica Popolare di Polonia.

Sabato, 17 Gennaio 1987, Sua Maestà HUSSEIN IBN TALLAL, Re di Giordania.

Sabato, 24 Gennaio 1987, S. E. il Signor JEAN-LOUIS TSIMHIS, Ministro degli Affari Esteri della Repubblica Centroafricana.

Lunedì, 26 Gennaio 1987, S. E. il Signor BRIAN MULRONEY, Primo Ministro del Canada.

Martedì, 27 gennaio 1987, nel Palazzo Apostolico Vaticano si è riunita, alla presenza del Santo Padre, la Congregazione per le Cause dei Santi.

Giovedì, 29 gennaio 1987, nel Palazzo Apostolico Vaticano, il Santo Padre ha presieduto una riunione degli E.mi Signori Cardinali Capi dei Dicasteri della Curia Romana.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Breve Apostolico il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

17 gennaio 1987. S. E. mons. Luigi Conti, Arcivescovo tit. di Graziana, *Nunzio Apostolico in Ecuador.*

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

12 gennaio 1987. P. Marcello Zago, Superiore generale degli Oblati di Maria Immacolata, ed il sac. Buetubela Balembo, *Consultori del Segretariato per i non Cristiani.*

21 » » Il dott. Alberto Savastano e il dott. Francesco Silvano, *Consultori della Prefettura per gli Affari Economici della Santa Sede.*

22 » » P. Michael Louis Fitzgerald, P. B., *Segretario del Segretariato per i non Cristiani.*

24 » » L'E.mo Signor Cardinale Andrzej Maria Deskur, *Presidente della Pontificia Accademia dell'Immacolata Concezione.*

» » » Mons. Diarmuid Martin, Sottosegretario della Pontificia Commissione « Iustitia et Pax », *Consultore del Pontificio Consiglio per la Famiglia.*

26 » » Mons. Egidio Turnaturi, *Capo della Cancelleria del Tribunale della Rota Romana.*

NECROLOGIO

4 gennaio 1987. Mons. Paul F. Anderson, Vescovo emerito di Duluth, *(Stati Uniti d'America).*

9 » » Mons. José de Jesús Martínez Vargas, Vescovo emerito di Armenia *(Colombia).*

12 » » Mons. Victor Frederick Foley, Arcivescovo tit. di Gortina.

14 » » Mons. Tobias Wunganayi Chiginya, Vescovo di Gweru *(Zimbabwe).*

15 » » Card. Aníbal Muñoz Duque, del titolo di San Bartolomeo all'Isola.

16 » » Mons. Marino Bergonzini, Vescovo emerito di Faenza-Modigliana *(Italia).*

19 » » Mons. Agnellus Andrew, Vescovo tit. di Numana.

20 » » Mons. Charles P. Greco, Vescovo emerito di Alexandria *(Stati Uniti d'America).*

1 febbraio » Mons. Denis William Hanrahan, Vescovo di Christchurch *(Nuova Zelanda).*

An. et vol. LXXIX 5 Marta 1987 N. 3

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: **Palazzo Apostolico - Città dei Vaticano** — *Administratio:* **Libreria Editrice Vaticana**

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

LITTERAE DECRETALES

Beata **ioanna Delanoue seu « a Cruce » Sancta esse decernitur et definitur.**

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

((Amores duo in hac vita, ut ait sanctus Augustinus, secum in omni tentatione luctantur, amor saeculi et amor Dei; et horum duorum qui vicerit, illuc amantem tamquam pondere trahit » *(Serm.* 344, 1 ; *PL* 39, 1512). Hunc agonem in animi penetralibus etiam multi Sancti Caelites, cum in terris conversabantur, sunt experti; qui tamen, divina gratia suffulti, se tandem Deo plane dederunt eiusque dilectione sunt penitus infiammati. Horum in numero habenda est Ioanna Delanoue, quae devicta quadam saeculi cupiditate, se Deo, unice amato, mancipavit atque caritatis operibus de eo gloriosum coram hominibus testimonium reddidit. Ea nata est die xviu mensis Iunii anno MDCLXVI Salmurii, in urbe regionis ac dioecesis Andegavensis in Gallia, filia parentum piorum honestorumque, qui modicam mercaturam exercendo magnae familiae alendae — quippe quae duodecim natos complecteretur — consulebant simulque annitebantur ut prolem in timore Domini educarent. Ioanna videbatur fratres suos antecellere ingenii acumine et operositate, eo contendens ut negotiatio proficeret. Puella, vix dum Deum cognoscere valuit, pietatis officiis alacris insistebat et cupidines frangere et corpusculum voluntarie castigare satagebat. Verumtamen cum

aetatem puellarem ageret atque etiam postea, cum esset adulescens et iuvenis, vitiis quibusdam seu defectibus non caruit. Facile enim, nimio zelo accensa, aliorum, etiam matris, lapsus reprehendit. Matre anno MDCXCiii defuncta — pater iam pridem obierat mortem — Ioanna impensius vacare coepit negotiationi, cupida cum esset lucri faciendi. Quaestus desiderium coniunxit cum avaritia ita ut misericordiae officia neglegeret et, summa urgente caritate annonae, etiam panem recusaret egenis. Tum temporis tentationum fluctibus est asperius agitata; accesserunt conscientiae scrupuli, quibus vehementer premebatur. Quibus ex angustiis se expedire non valuit, cum sacerdote, Ianseniana haeresi infecto, ut confessario uteretur. Novum deinde confessarium adiit, sacerdotem pietatis fama illustrem, qui eius spiritualem moderationem suscepit ea condicione ne diebus festis amplius negotiationi vacaret. Quodam autem die mulier, aetate provecta, nomine Francisca Souchet, piae peregrinationis causa Salmurium venit ut imaginem Dominae Nostrae, « des Ardilliers » appellatam ibique excultam, veneraretur. Ei igitur pauperi feminae Ioanna prius hospitium denegavit, sed postea eam domum libenter excepit. Haec, quasi Dei nomine, sic locuta est ad Ioannam : « Is (Spiritus Sanctus) iussit me haec tibi dicere : da id quod possides, ne coneris res acervare, sed pauper sequere pauperem Iesum ! » Statim, quasi luce divinitus infusa, Ioanna vitam constituit omnino mutare; et revera soli Deo iam inhaesit et ad indigentes relevandos se totam applicuit. Tradidit nepti procurationem tabernae, quidquid possidebat in miseros erogavit, nudos vestibus suis operuit, esurientes abunde recreavit : ut paucis dicamus, omnes egenos, quorum multi erant in vicinia, sine ullo discrimine est solata. Francisca Souchet, antequam discederet, dixit mente praesaga fore ut Ioanna « mater pauperum » vocaretur. Iesum in miseris quibusvis illa videre solebat ; quapropter non exspectavit ut ii ad se venirent, sed, ardens caritate, eos conquisivit. Acerbis cruciatibus se afflixit, veluti ieiuniis, noctibus insomnibus. Indigentes vero, qui eius officiis caritatis fruebantur, iam nimii numero erant. Intellexit ergo Christi famula sociam operam sibi necessariam esse atque, superno lumine radiante, cognovit hanc viam vitae sibi percurrendam et Congregationem religiosam sibi esse instituendam. Anno MDCCiii primae sodales ei se aggregarunt; et paucos post annos episcopus Andegavensis constitutiones novae familiae Deo devotae, quae Congregatio S. Annae a Providentia est appellata, approbavit. Tunc legifera mater nomen assumpsit Ioannae a Cruce ; ac revera in ((regia via Sanctae Crucis » intrepida processit. Cum eleemosynas

large egenis tribueret, et, quoniam propria subsidia non sufficiebant, alios quam plurimos impellerei ut stipem erogarent, in quorundam civium invidiam incidit et simultatem. Tot autem calumnias, con vicia, persecutiones, Salvatoris exemplo, patientissime tulit neque iis adducta est ut a sancto descisceret incepto. Cum ergo, ut dictum est, numerus miserorum, quibus Ioanna effusa cum caritate serviebat, in dies augesceret, neque domus, ubi habitabat cum egenis, eos capere posset, alias constituit aedes, quo sescentos illorum exciperet. Congregatio autem ab eo condita effloruit, quae cum e vivis discederet, quindecim domos complectebatur. Inter angustias et vexationes Deus servam suam fidelem non dereliquit : precibus enim et consiliis adiuvabatur tum praedictae Franciscae Souchet, tum sancti Ludovici Grignion de Montfort, qui eo tempore adhuc vitam agebat in terra. Ioanna Congregationem suam eximia cum benignitate, flagranti studio salutis alienae, praesertim vero exemplo conversationis suae, qua ceteris praelucebat ad virtutem, frugifere rexit. Anno demum MDCCXXXVI, die xvn mensis Augusti, postquam vehementem morbum patientissime pertulit, iam caelo matura, ad caelestem Sponsum evolavit. Ad exanimum corpus, cuius in vultu adhuc suavis sollecitudo de pauperibus relucere videbatur, multitudo fidelium se effudit, dictitans ((sanctam mortuam esse ». Res turbatae in Gallia in causa fuerunt cur processus de piissima virgine, quae etiam cum viveret sanctitatis fama erat illustris, Beatorum coetui ascribenda, mature institui non posset. Quod factum est anno MDCCCLXXXVIII in curia Andegavensi. Qui ad finem feliciter perductus, ad Sacram tum Rituum Congregationem anno MDCCCXC est transmissus; die vero x mensis Decembris anno MDCCCXCVIII Leo Pp. XIII, Decessor Noster, adhibitis sibi precibus obsecundans, commissionem introductionis causae die II mensis Decembris anno MDCCCXCVIII manu propria obsignavit. Apostolicis deinde processibus institutis omnibusque rebus ad iuris normam exquisitis, Pius XI, item Decessor Noster, die xiv mensis Iunii anno MCMXXIX lato decreto pronuntiavit Ioannam Delanoue, seu a Cruce, virtutes théologales, morales ceterasque heroum in modum coluisse. Deinde exercita est quaestio de miraculis, quae, Famula Dei intercedente, a Deo patrata esse ferebantur. De quibus postquam est rite disceptatum, Pius XII rec. mem. die xvi mensis Iunii anno MCMXXXX de tribus edixit constare. His igitur cunctis absolutis idem Summus Pontifex die i mensis Ianuarii anno MCMXXXXII sanxit tuto procedi posse ad sollemnem Venerabilis Famulae Dei Ioannae Delanoue beatificationem; cuius sollemnia in Vaticana Basilica egregio cultu


sunt celebrata die ix mensis Novembris anno MCMXXXXVII. Post decretos Beatorum Caelitum honores, veneratio erga illam confirmabatur atque eiusdem deprecatione nova signa impetrata esse dicebantur, immo ipso beatificationis die sanatio quaedam evenit, quae divino miraculo tribuenda esse videbatur. Quapropter die VII mensis Ianuarii anno MCMLI causa canonizationis est aperta ac deinde ab actoribus una proposita sanatio, quae miraculi notas prae se ferre putabatur : scilicet Augustus Gouraud, agricola sexaginta annorum, gravi laboravit phlébite, quae in peius vertebat, remediis artis salutaris incassum cedentibus. Die VIII mensis Novembris anno MCMXXXXVII, postquam auxilium Beatae Ioannae est invocatum, statim ille e gravi morbo est recreatus. In quam sanationem est rite inquisitum eamque Collegium medicorum, a Sacra Rituum Congregatione coactum, affirmavit praeter naturae vires et leges contigisse. Re in suetis coetibus eiusdem Congregationis pertractata, Nos die xxxi mensis Ianuarii anno MCMLXXXI ediximus constare de uno miraculo, Beata Ioanna Delanoue intercedente, patrato a Deo, nimirum de instantánea, perfecta et constanti sanatione domini Augusti Gouraud a gravi *trombophlebitide postoperatoria* artus dexteri, cum statu saeptico. Actores vero lege alterius miraculi proponendi, Nos, omnibus mature perpensis, exemimus. Universis igitur rebus expeditis, in sollemni Consistorio, die xxiv mensis Maii anno MCMLXXXII celebrato, statuimus ut Beata Ioanna Delanoue, una cum Beata Margarita Bourgeoys, die xxxi mensis Octobris eodem anno Sancta palam renuntiaretur. Hoc igitur faustissimo die in Basilica Vaticana, coram S. R. B. Cardinalibus et Romanae Curiae aliisque e regionibus Praesulibus non paucis, necnon sacrorum ministris, religiosorum ac religiosarum multitudine et laicorum coetu, Nos precibus concessimus Venerabilis Fratris Nostri Petri S. R. E. Cardinalis **Palazzina** Congregationis pro Causis Sanctorum Praefecti, flagitantis ut Beata Ioanna Delanoue, una cum Beata Margarita Bourgeoys, a Nobis in Sanctorum album referretur. Quam ob rem, cunctis Caelitibus prius in adiutorium advocatis divinoque implorato Spiritu, Nos pro munere supremi Ecclesiae universalis Pastoris Christique in terris Vicarii, haec tandem pronuntiavimus verba : ((Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, Beatam Margaritam Bourgeoys et Beatam Ioannam Delanoue Sanctas

esse decernimus et definimus, ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes eas in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recoli debere. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti ». Quibus vocibus prolatis, item praecepimus ut hae conficerentur Litterae Decretales. Postquam vero gratias Deo una cum astantibus egimus et sermonem habuimus de novarum Sanctarum vita et virtutibus, earum auxilium primi invocavimus atque sacris operari in earundem honorem perreximus. Quapropter omnibus, quae investiganda et ponderanda fuerunt, accuratissime peractis, ea quae supra gesta commemoravimus, iam toti Ecclesiae patefacimus, mandantes ut harum Litterarum exemplis, etiam typis impressis, manu tamen alicuius tabellam subscriptis sigilloque obsignatis, eadem prorsus fides habeatur, quae his ipsis tribueretur, si quando deinde exhiberentur.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XXXI mensis Octobris anno MCMLXXXII, Pontificatus nostri quarto.

EGO IOANNES PAULUS
Catholicae Ecclesiae Episcopus

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*



In Secret. Status tab., n. 162.568.

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

BANIENSIS

Seiunctis quibusdam territoriis ab archidioecesi Sancti Dominici, nova dioecesis Baniensis nuncupata erigitur.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Spirituali Christifidelium bono in Republica Dominiciana viventium prospicere studentes Venerabiles Fratres Nostri sodales videlicet Conferentiae Episcopalis eiusdem nationis una mente voceque poposcerunt hac ab Apostolica Sede ut latissimis archidioecesis Sancti Dominici finibus imminutis nova inde exeitaretur dioecesana communitas. Nos ipsi vicissim iudicio adsensi Venerabilis Fratris Blasci Francisci Collaço, archiepiscopi titulo Octavensis in Re Publica nempe Dominiciana Apostolici Nuntii partibus fungentis preces ita ad Nos delatas suscipere decrevimus benigneque propositam rem efficiendam censuimus in totius illic Catholicae Ecclesiae commoditatem prosperitatemque. Quapropter consensu, quatenus opus forte sit, suppleto tam eorum quorum revera interest quam qui id sua interesse existimaverint, de Apostolicae potestatis Nostrae plenitudine haec singula constituimus fierique rite iubemus. Ab ipsa archidioecesi Sancti Dominici seiungimus omnem terram civilium provinciarum quibus nomina sunt publica *P er avia* et *San Cristóbal* ex qua novam efficimus dioecesim in posterum tempus *Baniensem* nuncupandam, iisdem quidem finibus locisque circumscriptam quibus adhuc memoratae provinciae civiles ipsae terminantur. Episcopalem dein huius novae dioecesis sedem defigimus in urbe quae vulgo *Bani* appellatur ubi templum simul paroeciale Deo sacratum ad honorem Beatissimae Mariae Virginis communiter ab incolis <x Nuestra Señora de Regla)) vocitatae ad gradum provehimus ac dignitatem Ecclesiae ipsius Cathedralis cui insignia privilegia honoresque tribuimus quibus reliquae per orbem catholicum cathedrales aedes pariter fruuntur necnon Baniensi pro tempore Praesuli Ordinario loci honores insignia et

privilegia concedimus iisdemque oneribus et officiis eum obligamus, quibus ceteri Episcopi Ordinarii afficiuntur. Hanc tum dioecesim novam suffraganeam subdimus ipsi Archidioecesi Sancti Dominici eiusque Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi Sancti Dominici pro tempore subicimus. Ne vero pastori novae huius constitutae ecclesiae in cotidiano ipsius regimine validum desit auxilium, volumus Consultorum Collegium iuris ad normam ibidem quam primum institui. Congruae et dignae sustentationi Episcopi sic excitatae dioecesis providebitur de Curiae ipsius emolumentis, christifidelium oblationibus et portione illi obtingente ex partitione bonorum ad regulam canonis 122 Codicis Iuris Canonici perficienda quae hucusque ad episcopalem mensam Sancti Dominici pertinuerunt. De seminarii deinde dioecesani constitutione necnon sacrorum alumnorum institutione ad sacerdotium praescripta erunt perquam diligenter adservanda iuris hac de re communis, normis potissimum ac regulis ante oculos constitutis quas Congregatio pro Institutione Catholica edidit. Selecti autem seminarii discipuli philosophicis et theologicis disciplinis imbuendi tum etiam ipsi iam sacerdotes ad studia complenda Romam rite mittantur in Pontificium Collegium Pium Latinum Americanum. Quod vero ad novae spectat dioecesis gubernationem, bonorum ecclesiasticorum administrationem, electionem dioecesani Administratoris sede vacante, ad fidelium dein iura et onera aliaque plura id genus, examussim servantor quae sacri iam canones singillatim praestituunt. Cum primum Beniensis dioecesis erectio erit ad effectum congruenter deducta, eo ipso sacerdotes Ecclesiae illi censebuntur adscripti in cuius finibus ecclesiasticum retinent officium; reliqui autem sacerdotes seminariorumque tirones illi manebunt Ecclesiae incardinati vel incardinabuntur in cuius loco legitimum habent domicilium. Acta proinde ac documenta quae erectae dioecesis clericos et fideles et bona temporaria respiciunt, a Curia Sancti Dominici ad tabularium suo tempore condendum apud Curiam Baniensem religiose transvehantur. Quae universa ut quam rectissime impleantur, destinamus Nos fidenter commemoratum supra Venerabilem Fratrem Blascum Franciscum Collaço vel ipso a sede absente negotiorum Sanctae Sedis reapse administrum cui necessarias et opportunas tribuimus facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo hic agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, officio simul iniuncto ad Congregationem pro Episcopis germanum exemplar actus ipsius executionis aliquando peractae remittendi. Postremo mandamus ut quae hic singula cunctaque statuerimus accuratissime fiant

atque has litteras Apostolicas tam nunc quam postmodum ratas et efficaces esse volumus contrariis quibuslibet rebus haudquaquam obstantibus.

Datum Romae, apud **S.** Petrum, die octavo mensis Novembris, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo sexto, Pontificatus Nostri nono.

83 AUGUSTINUS Card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

93 BERNARDINUS Card. GANTIN
Congr. pro Episcopis Praef.

Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*
Angelus Lanzoni, *Proton. Apost.*

Loco £g Plumbi
In Secret. Status tab., n. 187.208.

II

GBARNGANAE

Quibusdam locis ab Ecclesia Monroviensi distractis nova dioecesis Gbarngana conditur in Liberia.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

De Monroviensi cogitantes archidioecesi longe quidem lateque patenti, deque evangelizationis opere in singulis eius partibus fovendo curam agentes, censemus postulationi concedendum esse, quam pronuper Venerabiles Fratres Nostri S. R. E. Cardinales Congregationis pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide negotiis praepositi ad Nos detulerunt, id nunc iudicantes bene fieri, si nova dioecesis in memorata Africae regione condatur. Re igitur rite perpensa, iis quoque consentientibus quorum interest, hisce Litteris ex probata Congregationis quam diximus sententia hodie recepta exque Apostolica potestate Nostra haec, quae sequuntur, iubentes statuimus. Ab archidioecesi Monroviensi integram seiungimus plagam « Lofa County », cuius finibus et « Nimba County » et « Bong County » continentur, eademque civilibus finibus triplicis illius « County » propriis definita novam dioecesim condimus nomine *Qbarnganam,* quam Metropolitanae Monroviensi archidioecesi suffraganeam constituimus, simul decernentes ut episcopalis

novae dioecesis cathedra in ipsa urbe Gbarnga sedem habeat ad templum Sancti Spiritus. Simul praeterea mandatum venerabili Fratri Romaeo Panciroli damus, Archiepiscopo titulo Nobensi atque Apostolico in Liberia Pro-Nuntio, ut quae hisce ipsis Litteris iure sanximus, ea curet exsequenda, debitis facultatibus ei factis, una cum libertate idem officium delegandi ad alium virum ecclesiastica dignitate insignitum, addito onere videndi ut certa peractae exsecutionis litterarum exempla eidem Congregationi pro Gentium Evangelizatione diligenter mittantur. Quod reliquum est, has Litteras nunc volumus et in posterum ratas esse, contrariis quibuslibet haud obstantibus.

Datum Romae, die septimo decimo mensis Novembris, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo sexto, Pontificatus Nostri nono.

© AUGUSTINUS Card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

IOSEPHUS Card. TOMKO
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*
Angelus Lanzoni, *Proton. Apost.*

Loco 83 Plumbi
In Secret. Status tab., n. 187.908.

III

MBINGENSIS

Detractis nonnullis territoriis a dioecesi Songeana, in Tanzania, nova constituitur dioecesis « Mbingensis » appellanda.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Id proprium semper fuit huius apostolicae Sedis, ut Ecclesiarum fines atque condiciones populorum necessitatibus, quoad fieri posset, aptaret. Saepenumero enim, nimis lati circumscriptionum ecclesiasticarum limites, aut male cohaerentes regiones inter se, aut magna populorum frequentia, magis incommodo sunt Praesulibus, quam illorum industriam et studia proferendae religionis aiunt adiuvant. Quam ob rem, cum expostulatum sit a Nobis ut, separato territorio vulgo Mbinga a dioecesi Songeana, inde nova conderetur dioecesis, Nos con-

silio ante petito a Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus Congregationi pro Gentium Evangelizatione praepositis, re qua oporteret consideratione reputata, haec apostolica potestate statuimus. A dioecesi Songeana, cuius mentionem fecimus, territorium civilis districtus « Mbinga » separamus, quo novam dioecesim condimus Mbingensem nomine, archidioecesi metropolitanae Dar-es-Salaamensi suffraganeam, atque iurisdictioni Congregationis De Propaganda Fide obnoxiam. Huius autem Sedem in urbe Mbinga ponimus, Cathedra episcopalis auctoritatis in templo ibidem exstanti collocata, quod ad dignitatem cathedralis templi evehimus. Indulgemus etiam ut loco Canonicorum Consultores dioecesani deligantur, qui Episcopo assint consilio, opera. Cetera vero omnia iure Canonico temperentur. Ceterum, quae per has Litteras iussimus, Venerabilis Frater Ioannes Vincentius Moreni exsequenda curabit, Archiepiscopus titulo Turrensis in Mauritania, idemque Pronuntius Apostolicus in Tanzania, vel quem ipse legaverit, modo virum in ecclesiastica dignitate constitutum. Qui vero rem confecerit, documenta exarari faciet atque sinceris exemplis ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione cito mittet. Contrariis nihil obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die altera et vicesima mensis Decembris, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo sexto, Pontificatus Nostri nono.

& AUGUSTINUS Card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

IOSEPHUS Card. TOMKO
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*
Angelus Lanzoni, *Proton. Apost.*

Loco £ß Plumbi

In Secret. Status tab., n. 188.6S9.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Venerabili Servae Dei Mariae Teresiae a Iesu Gerhardinger Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Iustorum semita quasi lux splendens procedit et crescit usque ad perfectam diem » *(Prov* 4, 18). Eiusmodi esse videtur eorum vita, qui in audito verbo divino non acquieverunt, sed omnibus suis viribus illud fecerunt (cf. *Iac* 1, 22) ; quin etiam, Christo humiliter et obsequenter accepto, facti sunt ipsi lux mundi (cf. *Mt* 5, 14) ob intimam cum eo coniunctionem et eximiam erga evangelica praecepta fidelitatem atque eorum operum bonitatem. Iustum existimamus in horum numerum Venerabilem Servam Dei Mariam Teresiam a Iesu Gerhardinger referri, quae difficilibus temporibus ardore enituit gloriam Dei provehendi et Christi lumen fundendi, praesertim per novas proles iuvenesque mulieres, quas ad bona vitae et familiae, ad cognitionem et testimonium Veritatis scholastica institutione educavit (cf. *Io* 14, 6). Venerabilis Serva Dei e Villibaldo Gerhardinger et Francisca Huber nata est die xx mensis Iunii anno MDCCLXXXXVii in oppido Stadtamhof apud Ratisbonam; eodem autem die baptismum accepit et est Carola Elisabetha Francisca vocata. Post pueritiam, studiis deditam et religionibus, hortante et moderante Servo Dei Georgio Michaele Wittmann, parocho tum Cathedralis Ecclesiae et postea Episcopo Ratisbonensi, diploma ludi magistrae est assecuta et una cum comitibus in oppido suo natali praeceptricis munus iniit ibique scholam redintegravit, publico consilio olim abolitam. Multos annos (MDCCCXIII-MDCCCXXXIII) magna cum cura et peritia se puellis christiane educandis addixit, graves exitus coercens administrationis rei publicae a religione et ab Ecclesia aversae, atque societati aetatis suae mirum in modum testificans industriam sedulitatem et actuosam caritatem in proximum. Per humanam et christianam futurarum uxorum et matrum formationem efficaciter ad renovandam societatem proderat et factis confirmabat Ecclesiam esse veluti fermentum et animam humanae societatis, in Christo renovandae et in familiam Dei transformandae (cf. Conc. Oec. Vat. II, Constitutio pastoralis de Ee-

desia in nrando huius temporis *Gaudium et Spes,* 40). Ad scholam provehendam, quam intellegenter et manu prompta usuque perita regebat, res familiares cessit et ephebeum aedificandum curavit ut alumnas exciperet crebriores in dies. Operum fervor tamen, quae Deo adiuvante mire vigebant, eius mentem ab officio animam suam excolendi et proiiciendi in via perfectionis non avertit. Qua re, etsi multa erant gerenda negotia, precationem amabat, silentium, castigationem, incommoda: didicit amorem sui continere, superbiam, propriae voluntati et muliebribus vanitatibus renuntiare. Humanitate eminebat, amabili festivitate, omnino propenso animo, rara prudentia, virili robore in agendo et eximiis in rebus digerendis facultatibus. Ob quas dotes, cum simplicitate, humilitate et ardenti salutis animarum studio coniunctas, apta facta est ad maiora aggredienda. Non paucis superatis difficultatibus, ab opum penuria laborans, die xxiv mensis Octobris anno MDCCCXXXIII, cum duabus comitibus, vitam stabilem conventualem exorsa est in loco Neunburg vorm Wald. Ita orta est Congregatio Pauperum Sororum Scholasticarum a Nostra Domina, quae approbationem dioecesanam obtinuit anno MDCCCXXXIV. Die vi mensis Novembris Venerabilis Serva Dei vota religiosa nuncupavit, sumpto nomine Maria Teresia a Iesu. Ea moderatrice novum Institutum celeriter crevit multiplicatis sodalibus et domibus in pluribus Europae nationibus et, iam ab anno MDCCCXXxxvn, etiam in America Septemtrionali, ubi multis incommodis occurrens, ex aliqua parte auxilio operoso Sancti Ioannis Nepomuceni Neumann remissis, formandis et adiuvandis filiabus Germanorum qui patriam reliquerant se dedidit, copiosos excerpens fructus. Per institutas scholas maternas, elementarias et superiores, quae dicuntur, perque recentium methodorum usum et instrumentorum ad artem educandi pertinentium, Congregatio potissimum proposuerat ut futuras matres classis mediae et popularis religiose educaret, quae idoneas scholas frequentare non poterant quaeque christianae educationis erant expertes. Monaci Bavarici, ubi ab anno MDCCCXXXXI Domus Princeps, mutata sede, constituta erat, Venerabilis Serva Dei gravissimas quidem interpretationes atque acerbissimas notationes patienter toleravit, cum eius Operis spiritus non recte intellegeretur; sed omnia dimisit et omnia ad bonum exitum adducta sunt ob Sanctae Sedis interventum, quae anno MDCCCLIX officium Antistitae Generalis ei in totam vitam proroga vit et anno MDCCCLXV semel Regulas approbavit, menti Conditricis consentaneas. Cum opera Dei per dolores procedant, multae res adversae ei perpetiendae fuerunt etiam ultimis vitae

annis, quando, ob motum « Kulturkampf » appellatum, in Badena et in Borussia Sorores eius ex suis sedibus expulsae sunt; sed Congregatio, sicut Ecclesiae initiis factum est (cf. *Act* 8, 4), alibi magnopere floruit. Sollicita de paupertate spirituali populi, Venerabilis Serva Dei alacriter operam navavit propagationi fidei et regni Dei prolationi ; quam ob rem magni faciebat institutionem religiosam et volebat praeceptionem, quam eius Institutum impertiebat, esse stricte catholicam. Constanter ei cordi fuit homines ad Deum in veritate et caritate adducere. Simul autem curabat attente professoriam et spiritualem Sororum formationem, quibus exemplo vitae anteibat atque suadebat : « Pueris nobis commissis, tum in scholis tum in convictibus, matres esse debemus, non mulieres mercennariae. Debemus nostrum explere munus uti consecratae, ut parvulis exemplo vitae nostrae quae verbis dicimus comprobemus; iuventuti nos dedere, quo modo Dominus a nobis postulat ... Sine gratia, cetera omnia nihil sunt coram Deo, quamvis gnari et habiles nostri alumni fiant... Iuventus non pulchris verbis allicitur et ad Deum trahitur, sed crucis Christi virtute, a Spiritu Sancto amore eius ». Haec ipsa exercitabat summa cum diligentia et constantia ; omni enim tempore sivit se voluntate Dei regi et immensa Providentiae fiducia etiam in aerumnis, quas semper forti aequoque animo tulit vim hauriendo ex peculiari religione in Ss.mam Eucharistiam, ostendens hominibus eius aetatis clarum testimonium veri et actuosi amoris in crucem Christi, in personam Redemptoris, in animas et in Ecclesiam, cuius sollicitudines et persecutiones participavit. Studiosa vestigiis insistendi divini Magistri, peculiarem adhibebat curam de parvulis, de pauperibus, de derelictis et, quo melius vim gratiae in luce poneret, non bonis humanis fidebat, dicens : « Sicut aves caeli et flores campi nulla sollicitudine afficiuntur, sic et nos parum solliciti esse debemus. Bonus Iesus quam optime curam agit de nobis ». Perfecte precationem et solitudinem cum impensissimis laboribus temperavit, fidem in Deum cum sana fiducia facultatum, quas omnis homo habet in se, bonum faciendi ; humilitatem et prudentiam cum audentia et spiritu in rebus apostolicis. In Deo et proximo inserviendo Mariam elegit exemplar; eam ob rem Congregationem Matri Dei consecravit. Sicut Maria, eius Sorores debent prorsus ad Deum contendere et Christum ad mundum portare. Venerabilis Serva Dei in oculis Mariam habebat etiam in casibus difficilibus : « Tamquam pia Mariae fllia-aiebat-non ut dominer vocata sum, sed ut serviam et cum ea sim ad praesepium et ad crucem ».

Omnes vires suas consumpsit in serviendo materna cum cura Congregationi suae usque ad mortem, quae evenit in Domo Principe Monaci die ix mensis Maii anno MDCCCLXXIX. Fama sanctitatis, quam viva sibi pepererat, crevit post eius mortem, ad quod incrementum magnopere contulerunt multae gratiae intercessioni Servae Dei tributae. Instructi sunt igitur, annis MCMXXIX-MCMXXXII, Processus Ordinarius apud Curiam archiepiscopalem Monacensem in Bavaria super fama sanctitatis vitae, virtutum et miraculorum in genere, super scriptis et non cultu, atque Rogatorialis apud Curiam Csanadiensem ; dein Processus Apostolicus apud eandem Curiam Monacensem (annis MCMLIII-MCMLV). De horum Processuum vi et auctoritate exiit Decretum die xxxi mensis Ianuarii anno MCMLVIIII. Postid, cum apud Congregationem pro Causis Sanctorum in suetis coetibus de virtutibus Servae Dei disceptatum esset sententiaeque tum Consultorum Theologorum tum Patrum Cardinalium faventes fuissent, Nos has ratas habuimus et per Decretum die XIII mensis Ianuarii anno MCMLXXXIV propositum declaravimus Venerabilem Servam Dei Mariam Teresiam a Iesu Gerhardinger heroum more virtutes théologales, cardinales et adnexas exercuisse. Denique, post instructum Processum canonicum et praescriptas medicorum, theologorum et Patrum Cardinalium disceptationes pertinentes ad miram sanationem Sororis Theclae Medeiros, religiosae Pauperum Sororum Scholasticarum a Nostra Domina, a lymphomate lymphocitico maligno, Decreto die ix mensis Maii anno MCMLXXXV vulgato ediximus eam miraculo effectam esse deprecante Serva Dei Maria Teresia a Iesu Gerhardinger. Post haec omnia est statuta dies ad sollemnem Beatificationem celebrandam. Hodie igitur, in Basilica Vaticana Sancti Petri, hanc sumus inter sacra formulam elocuti : « Nos, vota Fratrum Nostrorum Ioannis Locatelli, Episcopi Ariminensis, Friderici Wetter, Archiepiscopi Monacensis et Frisingensis, atque Antonii Petri Khoraiche, Patriarchae Antiocheni Maronitarum, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu, multorumque christifidelium explentes, de Congregationis pro Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus, ut Venerabiles Servi Dei Pius a Sancto Aloisio, Maria Teresia a Iesu Gerhardinger et Rebecca Ar-Rayes, Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum die ipsorum natali : Pii a Sancto Aloisio die secunda Novembris, Mariae Teresiae a Iesu Gerhardinger die nona Maii, Rebeccae Ar-Rayes die vicesima tertia Martii, in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ». Quae vero per has Lit-

teras statuimus, ea firma sint in perpetuum, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die xvn mensis Novembris, anno MCMLXXXV, Pontificatus Nostri octavo.

83 AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*

Loco 93 Sigilli

In Seret. Status tao., n. 115.2J5.

II

Sanctuarium vulgo nuncupatum « Madonna Consolatrice del Carpinelle », quod in oppido « Visciano » intra fines Ecclesiae Nolanae exstat, ad Basilicae Minoris dignitatem evehitur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Intra fines Nolanae dioecesis in oppido ((Visciano)) Sanctuarium clarum exstat vulgo nuncupatum ((Madonna Consolatrice del Carpinello)), ubi Christifideles impensa colunt pietate byzantinam imaginem Beatae Mariae Virginis cum Iesu Infante, quam Vaticanum Capitulum die xx mensis Aprilis anno MDCCCLXXXVi sollemni ritu coronavit atque Romani Pontifices Pius IX, Leo XIII et Pius X, Nostri Decessores, propensa voluntate sunt prosecuti. Qua re, cum Venerabilis Frater Iosephus Costanzo, Episcopus Nolanus, litteris die I mensis Martii hoc anno datis, etiam rectoris templi, cleri populique sui nomine petiverit ut idem templum titulo ac dignitate Basilicae Minoris honestaremus, Nos, paternae dilectionis Nostrum quoque signum cupientes praebere et pariter memoriam Marialis Iubilaei ibidem modo peracti posteris insigni documento commendare, istius Pastoris precibus libentes obsecundandum esse putamus. De sententia igitur Congregationis pro Cultu Divino Nobis proposita, quam ratam habemus, Apostolica Nostra usi potestate, harum Litterarum virtute perpetuumque in modum Sanctuarium, de quo mentionem fecimus, titulo ac dignitate Basilicae Minoris decoramus, cum omnibus iuribus et liturgicis concessionibus, quae sacris aedibus hoc nomine insignitis rite competunt, iis tamen servatis, quae iuxta Decretum ((De titulo Basilicae Minoris » die VI mensis Iunii anno MCMLXVIII editum,

servanda sunt. Has denique Litteras Nostras sive nunc sive in subsequens tempus ratas esse volumus, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xi mensis Decembris, anno MCMLXXXVI, Pontificatus Nostri nono.

ffi AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*

Loco £ß Sigilli

In Secret. Status tab., n. 187.199.

III

Nuniiatura Apostolica conditur in Civitate Aniiquensi et Barbutensi.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Ut et publica Ecclesiae negotia recte apteque expediantur, Nos, qui probatum Sanctae Sedis morem sequimur, Apostolicis quoque Nuntiaturis in orbe terrarum hic illic condendis operam damus, quae religioni et Civitati haud parvae utilitati esse videntur. Cumque re iam nunc publicae initae sint necessitudinis rationes Antiquam et Barbutam cum Apostolica Sede coniungentes, quas ipsa Legatus Noster dehinc tuendas studiose quidem curabit, quocirca, audita Congregatione pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide, ex plenitudine potestatis Nostrae harumque Litterarum virtute hodie in Civitate Antiquae et Barbutae Ipsi Nuntiaturam Apostolicam instituimus, quae « pro nunc » sedem in Portu Hispaniae habebit, eique iura privilegia indulta tribuimus huiusmodi ordinis Legationum propria. Quae denique hisce Litteris sueto more ediximus, statuimus, ea volumus suos nunc et in posterum effectus habere, contrariis rebus quibuslibet nihil obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xv mensis Decembris, anno Domini MCMLXXXVI, Pontificatus Nostri nono.

83 AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*

Loco 83 Sigilli

In Secret. Status tab., n. 188.02//.

ALLOCUTIONES

I

A Summo Pontifice sacris in sacello aulico litante habita, adstante exc.mo Viro Iosepho Sarney, Brasiliae Praeside, peregrino in Urbe.*

Encontramo-nos aqui, hoje, mais uma vez, a celebrar a Eucaristia com o Brasil e pelo Brasil : boje, presente pelo Senhor Presidente da República, representante da unidade nacional do querido Povo brasileiro, e pelo distinto Séquito. Esta Eucaristía me recorda outros encontros recentes, com os Senhores Bispos brasileiros e com o saudoso Presidente Tancredo Neves — que Deus tenha na sua gloria e para o qual vai um pensamento de sufragio. Neles, partilhámos, como boje, preocupaçoes e esperanças, quanto a problemas religiosos e sociais, e juntos rezamos pelo Brasil.

A Eucaristía é celebracöo da Sal vaca o « para todo 0 povo)), em Cristo morto e ressuscitado, celebraçâo da bondade de Deus, que se nos revelou corno Pai e nos quis todos irmáos, em seu Filho unigènito, e a viver em comunhäo de amor, no Espirito Santo, como familia, tendo os mesmos sentimentos e solícitos pelo bem uns dos outros. A Eucaristia é momento forte de fraternidade na caridade, em acäo de graças, em reconciliaçâo e em atitude de oferta; oferta sobretudo de nos mesmos, com nossos projetos, aspiraçôes e propósitos de ser agradáveis a Deus. E com estas disposiçôes, que vamos apresentar-lhe as nossas súplicas.

Vamos pedir por todo o Brasil e cada um dos Brasileiros, para que a solidariedade e o amor social, vivificados pela caridade, levem a remediar e prevenir, neste imenso e dileto País, situares de pauperismo e desequilibrios económicos ; que ninguém fique excluido do desenvolvimento e dos bens do progresso ; que uma vez mais, neste momento de mutaçâo, como noutras situaçôes de impasse, se conjuguem boas vontades e esforços para salvaguardar e aumentar o patrimònio de valores espirituais e moráis — a riqueza mais segura e veraz de um País imensamente rico — e para responder aos desafios que se apresentam à grande familia brasileira.

Sim, que os supremos e intocáveis valores, que regem a vida e convivencia humanas, abrindo caminhos de diálogo frutuoso, de reconciliaçâo salutar e de amor auténtico, afastem toda a especie de desamor,

* Die 10 m. Iulii a. 1986.

a um tempo efeito e causa de egoismo, de òdio e de violencia. Só o amor constrói e nutre humanidade, fraternidade e paz.

Vamos implorar que as iniciativas e reformas que estes desafios exigem, corno a reforma agraria, sejam feitas com coragem e acerto, se processem com a aceitaçâo e participaçâo de todos, à luz do sao humanismo cristäo; e que a organizaçâo e elevaçâo social fiquem sempre ao serviço do hörnern todo e de todo o hörnern, com sua dignidade e vocaçâo sublime, tanto em zonas agrícolas, como em zonas urbanas e suburbanas.

Vamos orar para que seja cultivado e favorecido, por todos os meios, o respeito pela vida, em todos os momentos da sua existencia e em todas as faixas etárias ; orar pela **nobilitacelo** da familia, com suas funçoes e direitos na geraçâo e educaçâo da prole; orar, ainda, pela promoçâo da justiça e de uma èqua possibilidade de trabalho para todos.

Vamos rezar para que a Igreja que está no Brasil, ai preste sempre o seu específico serviço ao hörnern, num legítimo espaço de liberdade, podendo dispor de pessoas e meior para a sua obra de evangelizatio e bom desempenho do mandato missionàrio que lhe foi dado por Cristo ; rezar por todos nos aqui presentes — pelo Senhor Presidente e Excelentissima Esposa e corpo de colaboradores — e pelo Brasil, implorando tudo aquilo que torna justa, grande e próspera uma Naçâo, merecedora de amor até ao sacrificio, com as bênçâos de Deus.

II

Augustae Praetoriae, ad Christifideles congregatos habita.*

Alors, chers frères, n'ayez pas peur ! Si le Seigneur nous a appelés dans son champ, il est avec nous par son Esprit. Laissons-nous entraîner par l'Esprit Saint, en Eglise.

A chacun de vous, séminaristes, prêtres, diacres, et à tous ceux que vous représentez, je donne mon affectueuse bénédiction apostolique.

Nous allons maintenant prier Marie dans l'Angélus. Le Curé d'Ars avait consacré sa paroisse à Marie conçue sans péché. Qu'elle nous aide à coopérer au mieux à la mission de son Fils sauveur !

* * *

Lugduni, ad academicas Auctoritates, docentes alumnosque Universitatis catholicae habita.*

Monsieur le Cardinal Chancelier,
Monseigneur le Recteur,
Mesdames, Messieurs,
Chers amis,

1. Je vous remercie de ces paroles de bienvenue, qui me donnent déjà un aperçu de la place que tient cette Université catholique à Lyon et dans toute la région, et du travail qu'elle poursuit en tant de domaines de la pensée, des sciences, de la technique. Cette nouvelle salle montre que le chantier n'est pas clos. Je suis toujours heureux de me retrouver pour quelques instants dans un milieu universitaire qui m'a été familier à plusieurs reprises dans ma vie. Je salue tout le Corps professoral des Facultés et des Ecoles rattachées à l'Université, les membres du personnel et la délégation des étudiants. Je n'oublie pas non plus les Recteurs qui représentent les autres universités ou facultés catholiques françaises. Vos compatriotes disposent là de possibilités remarquables pour progresser dans une culture inspirée de valeurs chrétiennes. C'est un héritage qu'il faut entretenir avec ténacité en l'adaptant aux besoins nouveaux.

[30] Cf. *Jn* 21, 15.

* Die 7 m. Octobris ä. 1986.

2. Je ne saurais quitter cette ville sans rendre un hommage particulier à la grande figure de saint Irénée, évêque et théologien, auquel la foi de toute l'Eglise est tant redevable. Et j'ai estimé que ce haut lieu de culture chrétienne était l'endroit le plus indiqué, car ce Père de l'Eglise, on peut dire ce génie théologique et pastoral, peut inspirer, non seulement le travail des théologiens ici présents, mais le témoignage de tous les enseignants, chercheurs et éducateurs qui veulent accomplir ici leur service d'Eglise avec les convictions d'une foi puisée aux sources et affermie par une mûre réflexion, en consonance avec les requêtes modernes de la pensée.

On parle volontiers de l'actualité des Pères de l'Eglise : l'expression vaut tout particulièrement pour Irénée de Lyon. Sa grande voix s'est fait entendre de manière nouvelle en notre siècle. L'intérêt suscité par lui est au cœur du renouveau patristique contemporain, dans lequel la ville de Lyon a pris toute sa part, en particulier avec l'Institut des Sources Chrétiennes. Le Concile Vatican II a fait plusieurs fois appel à son autorité, spécialement en ce qui concerne la doctrine de la transmission de la Révélation divine.[1] Dans son œuvre, c'est la jeunesse d'une foi toujours vivante qui s'exprime en des formules étincelantes, emportant en même temps notre admiration et notre adhésion. Aussi le théologien d'aujourd'hui peut-il puiser dans son effort exemplaire une inspiration pour les tâches de notre temps. Car Irénée a su allier la fidélité à la Tradition à une inventivité créatrice ; il a été à la fois le théologien de Dieu et de l'homme, d'un Dieu qui met sa gloire dans l'homme vivant, d'un homme dont la vie consiste dans la vision de Dieu.[2]

3. Toute l'œuvre d'Irénée s'appuie sur <(l'ordre de la tradition des Apôtres », transmis dans les Eglises présidées par les évêques. Au cœur de cette tradition, il y a la confession de foi trinitaire et christologique. Solidement ancré dans la tradition apostolique, dont il a été un des premiers à dégager la doctrine, l'évêque de Lyon, selon l'exemple des anciens presbytres, lit et interprète les Ecritures avec lesquelles les Apôtres ont transmis l'Evangile. Irénée est lui-même le témoin de la tradition johannique qu'il a connue en Asie Mineure et de la tradition paulinienne qui marque davantage les Eglises d'Occident. Il met sa plume, et sa parole, au service de la prédication et de la foi de l'Eglise

[1] *Dei Verbum,* ch. II.

[2] Cf. *Adversus haereses,* IV, 20, 7, cité ici dans la traduction en un seul volume de Dom Adelin Rousseau, *Contre les hérésies,* Editions du Cerf, 1984.

qui, « bien que dispersée dans le monde entier, les garde avec soin, comme n'habitant qu'une seule maison, y croit d'une manière identique, comme n'ayant qu'une seule âme et qu'un même cœur, et les prêche, les enseigne et les transmet d'une voix unanime, comme ne possédant qu'une seule bouche. Car, si les langues diffèrent à travers le monde, le contenu de la tradition demeure un et identique)) [3] pour les Eglises de Germanie, comme pour celles des Ibères, ou des Celtes — dont il est lui-même l'évêque —, ou encore celles de l'Orient ou de l'Egypte. C'est dans ces Eglises, marquées du signe public de la succession des évêques, et qui sont en accord avec <(l'Eglise très grande, très ancienne et connue de tous, que les deux très glorieux Apôtres Pierre et Paul fondèrent et établirent à Rome », « en raison de son origine plus excellente » , [4] que l'on peut trouver la vérité de l'Evangile. « Car là où est l'Eglise, là est aussi l'Esprit de Dieu; et là où est l'Esprit de Dieu, là est l'Eglise et toute grâce. Et l'Esprit est vérité » . [5] Ce sens de l'unité de la foi et des Eglises n'empêche d'ailleurs pas Irénée de faire la distinction entre ce qui doit être unanime, lié à l'identité de la foi apostolique, et ce qui relève d'une diversité légitime en fonction des coutumes, des cultures, des sensibilités. Dans un esprit de paix et de réconciliation, celui « qui portait bien son nom » souligne que, d'un lieu à un autre, « la différence du jeûne confirme l'accord de la foi » . [6] Il aida les Papes Eleuthère et Victor à conserver l'unité de l'Eglise, malgré les pratiques divergentes d'un montanisme modéré et les dates différentes de la célébration de Pâques en Orient et en Occident. Il demeure aujourd'hui un guide pour le dépassement des questions secondaires en vue de la pleine communion des Eglises.

4. Mais l'acte de transmettre ne peut jamais se réduire à celui de répéter. Homme de la tradition, Irénée est aussi un homme de son temps ; sa théologie sera inventive. Car il sait que la « foi, que nous avons reçue de l'Eglise sans cesse sous l'action de l'Esprit de Dieu, telle un dépôt de grand prix renfermé dans un vase excellent, rajeunit et fait rajeunir le vase même qui la contient » . [7] Or, la Gnose, l'une des premières contestations radicales du christianisme, menace les commu-

[3] *Ibid.* i, 10, 2.

[4] *Ibid.* III, 3, 2.

[5] *Ibid.* III, 24, 2.

[6] Eusèbe de Cesaree, *Histoire Ecclésiastique* V, 24, 18 et 13.

[7] *Adversus haereses* III, 24, 1.

nautés chrétiennes. L'évêque de Lyon fait donc face. A cause de sa responsabilité pastorale, par nécessité, il se fait polémiste, dénonçant et réfutant; mais surtout il expose, en théologien, le caractère positif de la véritable doctrine. Dans une attitude étonnamment moderne, il réalise que l'on ne peut répondre à cette idéologie religieuse sans la bien connaître. C'est pourquoi, avant de réfuter, il s'informe et il expose. « Quiconque, écrit-il, veut convertir les gnostiques doit connaître exactement leurs systèmes : impossible de guérir des malades si l'on ignore le mal dont ils souffrent ... Ce système, nous te l'avons fait connaître avec toute l'exactitude possible ».[8] Ensuite Irénée répondra, avec les ressources de la raison et à partir du fondement des Ecritures. Tout son effort théologique est ainsi commandé par l'urgence de faire face au problème majeur de son temps. Il rend le discours de la foi pertinent au regard des requêtes nouvelles de la culture.

Cette manière de procéder d'Irénée, à la fois fidèle et inventive, trace une démarche théologique qui, par son bel équilibre, est un exemple pour le théologien d'aujourd'hui. Celui-ci ne peut travailler de manière féconde que s'il est habité par un sens profond, exigeant et délicat, de la tradition vivante de la foi. Mais il ne peut pas non plus oublier le monde dans lequel nous vivons, ses requêtes légitimes, les courants de pensée qui le traversent, souvent porteurs de vérités à reconnaître, mais aussi les tentations intellectuelles, voire les vertiges qui l'habitent, les obstacles ou les préalables que certaines idéologies mettent devant l'acte de croire.

C'est pourquoi le théologien doit faire l'effort, longuement soutenu, de lire les auteurs qui sont des maîtres à penser de notre temps, de les étudier et éventuellement de dialoguer avec eux, bref de « pénétrer à fond leur doctrine », comme Irénée dit qu'il l'a fait lui-même.[9] Avec toutes les transpositions qui s'imposent, il se doit de tenir compte des différents aspects de la « modernité » dans sa réflexion sur la foi. De même, si les méthodes exégétiques d'Irénée ne peuvent plus être exactement les nôtres, l'exégète et le théologien ont à mettre en œuvre le rapport articulé qui va de l'Ancien au Nouveau Testament, rapport qui constitue un enjeu fondamental de la foi chrétienne. Il est d'ailleurs remarquable que ce thème fasse actuellement l'objet d'une prise de conscience renouvelée. Aujourd'hui comme hier, l'exégèse doit con-

« *Ibid.* IV, préf. 2.

' Cf. *ibid.* préf. 2.

duire à la théologie et la théologie doit se construire à partir d'une lecture toujours reprise et actualisée des Ecritures, lues dans l'Eglise.

5. La Gnose qu'Irénée a eue à combattre nous apparaît aujourd'hui comme une série d'élucubration bien dépassées. Elle répondait sans doute à un désir profond de connaître le sens des choses cachées. Elle succombait à la tentation d'y arriver par soi-même, par la raison et l'imaginaire, et de limiter cette connaissance ésotérique à un cercle d'initiés. Elle était marquée par les conceptions dualistes — corps, esprit — de certaines philosophies, peut-être aussi par un antijudaïsme. Elle utilisait la Révélation, interprétée de façon très partiale, et les formules familières du Credo chrétien, pour justifier une doctrine contraire à la foi. C'était un parachristianisme, dont Irénée voyait bien le danger.

Sous d'autres formes, qui oserait dire que la tentation gnostique n'est plus un obstacle pour l'Eglise? L'essai d'interprétation du christianisme par des philosophes comme Hegel était bien une façon de vider la foi chrétienne de sa substance, en interprétant le dépouillement du Fils de Dieu comme la perte de l'identité de Dieu et l'annulation de l'abîme entre Dieu et sa créature.

Aujourd'hui aussi, il existe, de façon diffuse, chez certains chrétiens, la tentation de faire une lecture de la Bible commandée par des présupposés étrangers à la foi, de plier la foi à un système construit en dehors d'elle, tout en conservant les formules familières de la Bible ou de la doctrine chrétienne à l'appui de ces courants d'idées hétérogènes. Le devoir du théologien est d'éviter ce genre de substitution ruineuse, de veiller à l'authenticité, comme Irénée.

Irénée n'avait pas, comme la Gnose, la prétention de répondre aux *comment* des opérations divines : comment le Père engendre le Fils, comment il crée les choses du néant, comment le Verbe se fait homme sans cesser d'être Dieu, comment l'Infini se donne à la créature finie que nous sommes et introduit nos corps dans l'éternelle vie de l'Esprit.

De telles questions, comme celles que pose l'esprit rationaliste de nos jours, relèvent du mystère insondable de Dieu. L'esprit humain doit s'arrêter au seuil de la transcendance. Par contre, Irénée cherche à répondre aux *pourquoi* de la création, du péché, de l'Incarnation, de la divinisation, du lent cheminement de l'humanité. Il le fait dans un discours théologique neuf, en puisant dans ce qui était en germe, et souvent diffus, dans les Ecritures, dans l'Ancien et le Nouveau Testa-

ment ; il est d'ailleurs le premier Père de l'Eglise à citer aussi abondamment — beaucoup plus que saint Justin — l'ensemble des écrits du Nouveau Testament, dont le canon est désormais fixé. Profondément convaincu de la correspondance entre les deux Testaments et de la continuité du dessein divin de l'Alliance, il rassemble ces données éparses en une synthèse neuve et solide qui revient à souligner la liberté de Dieu, la liberté de son surabondant amour. On peut vraiment parler à son sujet de l'intelligence de la foi, qui part de la foi et va à la foi, en intégrant les questionnements légitimes des contemporains, et avec un sens très sûr de la tradition homogène de l'Eglise. Il dégage ainsi, de la série des ((économies » réalisées par Dieu, une vision grandiose de toute l'histoire du salut, toute centrée sur le Christ, trésor caché dans le champ des Ecritures, maintenant dévoilé sur la Croix,[10] (C qui a apporté toute nouveauté en nous apportant sa propre personne

6. En mettant en lumière cette splendeur du salut, Irénée a été à la fois le théologien de Dieu et de l'homme. « Un seul Dieu, un seul Christ », tel est le refrain de tout son exposé. Le Dieu d'Irénée, c'est le Dieu unique révélé dans l'Ancien Testament et manifesté dans le Nouveau comme le Père de Notre-Seigneur Jésus-Christ. C'est un Dieu qui aime l'homme, au point de le modeler avec ses deux mains que sont son Verbe et son Esprit, non pas qu'il eût besoin de l'homme, mais ((pour avoir quelqu'un en qui déposer ses bienfaits » .[12] C'est celui qui a envoyé son Verbe <(se faire cela même que nous sommes pour faire de nous cela même qu'il est » .[13] Car le Verbe a aimé l'homme jusqu'à le rejoindre dans la fragilité de sa chair. Cette incarnation, scandaleuse au regard des gnostiques, mais centrale dans le mystère de la foi, est soulignée par Irénée selon tout son réalisme. Car si la chair de l'homme n'avait pas été capable de salut, jamais le Verbe de Dieu ne se serait fait chair. Et si le Christ ne s'était montré qu'en apparence, « s'il ne s'est pas fait cela même que nous étions, peut importait qu'il peinât et qu'il souffrît » .[14]

Le christocentrisme de l'évêque de Lyon le pousse à développer une théologie de la « récapitulation)) de toutes choses dans le Christ. La

[10] Cf. *ibid* IV, 26, i.
[11] *Ibid.* IV, 34, 1.
[12] *Ibid.* IV, 14, 1.
[13] *Ibid.* V, préf.
[14] *Ibid.* III, 22, 1.

récapitulation est Pacte par lequel le Christ assume en lui-même une solidarité concrète avec le monde de l'homme, afin de manifester visiblement la primauté qu'il a sur toutes choses, puisque le Verbe se ((trouvait imprimé en forme de croix dans la création tout entière)).[15] C'est aussi l'acte par lequel il concentre et «résume)) en lui toute l'histoire du salut, passé et avenir. D'une part, sa conception virginale renouvelle la création originelle de l'homme, modelé à partir de la terre neuve, et son obéissance rachète la désobéissance du premier Adam.[16] Irénée considère même le rôle unique de Marie ordonné au mystère du Christ : comparée à Eve désobéissante, dont elle est l'avocate, « Marie, en obéissant, devint cause de salut pour elle-même et pour tout le genre humain)).[17] D'autre part, la mort et la résurrection du Christ accomplissent par anticipation la fin des temps. Cette récapitulation est rédemptrice, car elle recrée, renouvelle et libère l'homme modelé par Dieu à l'origine, en lui faisant recouvrer ce qu'il avait perdu en Adam, « c'est-à-dire d'être à l'image et à la ressemblance de Dieu)).[18] Cette récapitulation est divinisatrice, car elle donne à l'homme la communion avec Dieu, but de la vie de l'homme, elle achève et consomme tout l'univers en Dieu. Ce Dieu unique nous communique enfin son Esprit qui est « la communion avec le Christ ... arrhes de l'incorruptibilité, confirmation de notre foi et échelle de notre ascension vers Dieu)).[19] Irénée insiste toujours sur l'unité de l'homme, corps et âme, ouverts sur l'Esprit.

Il s'attache aussi à montrer que le salut s'opère dans la durée ; selon la croissance et la maturation propres à l'homme; le Christ lui-même est passé par tous les âges de la vie. Et c'est là que Dieu déploie sa patience et sa pédagogie, comme s'il se mettait au rythme de l'homme afin de lui laisser le temps d'apprendre par expérience et de nouer amitié librement. « Le Verbe s'est fait Fils de l'homme pour accoutumer l'homme à saisir Dieu)), pour le préparer à voir Dieu.

L'Eucharistie est ici-bas le lieu de la communion entre l'incorruptibilité et le corruptible : nos corps corruptibles sont nourris par le corps incorruptible du Verbe, un peu comme le pain tiré de la terre devient eucharistie; ils ne deviennent pas immédiatement incorruptibles, car

[15] *Ibid.* v, 18, 3.

[16] Cf. *ibid.* V, 19, 1.

[17] *Ibid.* III, 22, 4.

[18] *Ibid.* III, 18, 1.

[19] *Ibid.* III, 24, 2.

c'est dans la fragilité et la faiblesse de la chair humaine couchée en terre que se manifestera la force de Dieu,[20] comme dans la Passion et la Résurrection du Christ. L'Eglise jette en terre, comme une semence, le corps de l'homme eucharistie, dans l'attente du « second modelage, celui qui se fait à partir de la mort ».[21] Dans ce modelage qui aboutit à l'alliage ou alliance, jamais Irénée ne laisse soupçonner une confusion entre l'absolu de Dieu et la créature humaine.

Irénée met encore en valeur la liberté de l'homme et sa vocation à la liberté. Il n'hésite pas à dire que sans la liberté, sans la capacité de l'homme de connaître le bien et le mal, on « supprime sans le savoir l'homme même que l'on est w.[22] Sans liberté, en effet, il ne peut y avoir d'amour et l'homme ne pourrait répondre à l'appel de la liberté divine.

7. Ainsi la théologie trinitaire et christocentrique d'Irénée fait-elle une place grandiose à l'homme. Irénée est un maître en anthropologie chrétienne. Chez lui, l'homme n'est jamais le rival de Dieu, mais toujours son partenaire aimé. La grandeur de l'homme va à la grandeur de Dieu et la grandeur de Dieu devient le bien suprême de l'homme. Aujourd'hui, où l'on oppose parfois Dieu à l'homme, l'enseignement de l'évêque de Lyon nous montre que la divinisation de l'homme dans le Christ n'est pas une perte de son humanité, mais l'accomplissement plénier, et le seul possible, de son humanisation.

En méditant les œuvres d'Irénée, nous communions à une perspective de foi extrêmement positive. Le péché et le mal ne sont pas ignorés, mais le salut ne se réduit pas au sauvetage du péché. Irénée s'attache au don inouï et gratuit de la vie de Dieu, par l'Incarnation et la Rédemption, et tout son raisonnement théologique est solidement ancré dans la Révélation. Il amène le croyant à une attitude d'action de grâce et d'adoration, de joie et d'espérance. On a repéré à chaque pas la consonance des thèmes avec ceux qui sont chers à nos contemporains : la vie, le sens du temps, l'unité du corps et de l'esprit, la liberté, la dimension cosmique. La fidélité, à la fois à Dieu et à l'homme, a été un leitmotiv du Concile Vatican IL[23] N'est-ce pas tout un programme pour le théologien d'aujourd'hui?

Irénée est aussi un Père pour les évêques d'aujourd'hui, et notam-

[20] Cf. *ibid.* V, 2, 3.
[21] *Ibid. Y,* 23, 2.
[22] *Ibid.* IV, 39, 1.
[23] Of. *Gaudium et spes,* n. 21, 1.

ment ponr le successeur de Pierre, chargé de confirmer ses Frères, en veillant avec un soin jaloux sur le trésor de la foi apostolique, pour le conserver et faire jaillir de cette source de quoi nourrir la foi de ses contemporains.

8. Dans cette Université catholique, je veux non seulement encourager les théologiens, mais tous les étudiants en théologie, et à un titre spécial les séminaristes, puisque le Séminaire Universitaire va prendre un nouveau départ qui me réjouit grandement.

Maintenant, dans la lumière du message de saint Irénée, je m'adresse plus directement à tous les autres enseignants et étudiants qui forment la majorité de cette assemblée. Je n'ose pas dire, chers amis, que vous avez un secteur profane, car rien n'est totalement profane pour un chrétien. Le domaine spécialisé qui est le vôtre demande d'abord une grande compétence scientifique et pédagogique, et je ne doute pas que ce soit votre premier souci: ce devoir professionnel est commun à tous ceux qui ont choisi cette tâche exigeante.

Mais en acceptant d'enseigner dans une Université catholique — qui n'est pas seulement une Université privée —, vous vous êtes engagés à davantage encore. Votre identité chrétienne, ecclésiale revêt ici une grande importance. Vous avez en quelque sorte une mission vis-à-vis de la société française, vis-à-vis de l'Eglise, pour préparer les hommes et les femmes compétents, généreux, convaincus dont elles ont besoin, au moment où beaucoup de valeurs humaines et chrétiennes subissent un certain flou. Dans la plupart des domaines où vous travaillez, les convictions éthiques chrétiennes projettent une nouvelle lumière ou une nouvelle exigence sur l'objet de votre enseignement, sans altérer les conditions de savoir scientifique et technique, car la vérité est une. On pourrait ici nommer la démarche du philosophe dans sa quête de la vérité ultime, métaphysique ; l'art de la pédagogie orienté vers l'épanouissement de la personnalité en toutes ses dimensions ; le domaine de la bioéthique, avec les questions délicates touchant l'intégrité du corps humain et les embryons humains; les domaines de la communication et de l'informatique, avec le respect des personnes ; tout ce qui peut promouvoir les valeurs familiales ; tout ce qui a trait à l'action sociale, au développemente des peuples, à l'inégalité Nord-Sud, au respect des droits de l'homme, de la vie humaine ... Comment oublier que Lyon a été, avec Marius Gonin, avec Joseph Folliet, le berceau du catholicisme social, avec les « Semaines sociales » et la « Chronique sociale »? Il est au jour-

d'hui tout aussi urgent d'approfondir la doctrine sociale de l'Eglise et de s'en inspirer pour les initiatives sociales et économiques au service de l'homme. Je ne fais qu'évoquer quelques enjeux importants pour l'avenir humain et chrétien de la société, en France et ailleurs, puisque vous contribuez à former des responsables laïcs de 90 pays.

Je suis sûr que vous avez à cœur d'approfondir pour vous-mêmes votre vision chrétienne sur tous ces points. Et d'en témoigner avec clarté, dans le respect des consciences de vos étudiants : ils doivent s'initier librement à la vérité, selon une démarche rigoureuse de l'esprit, sans négliger l'appel aux valeurs de la foi. ((On n'allume pas une lampe pour la mettre sous le boisseau, mais bien sur le lampadaire, afin qu'elle brille pour tous ceux qui sont dans la maison », disait Jésus.[24] Vous avez mission d'être cette lumière dans le sillage des fortes personnalités qui ont marqué cette Université catholique de Lyon. Aujourd'hui, c'est non moins urgent, devant les défis du monde sécularisé et souvent angoissé de son avenir. Que le message lumineux du Maître Irénée fasse de vous des semeurs d'espérance !

J'invoque sur vous tous les lumières et la force de l'Esprit Saint, l'intercession de Marie, siège de la Sagesse. Et, vous invitant à vivre, comme Irénée, en communion avec l'Eglise universelle, je vous donne de tout cœur ma bénédiction apostolique.

[24] *Mt* 5, 15.

ACTA CONGREGATIONUM

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

DECRETA

I

GEDANENSIS

de Concathedralis erectione

Exstat Gedani praeclarum templum, Deo in honorem Beatae Virginis Mariae in coelum Assumptae dicatum, annis 1343-1502 aedificatum et nunc ad pristinam artis pulchritudinem restitutum, in media civitate positum, ubi fere omnes celebrationes liturgicae, episcopo praesidente, perficiuntur.

Quapropter Exc.mus P. D. Thaddaeus Goclowski, Episcopus Gedanensis, maiori animarum bono apprime aspiciens, de consilio collegii consultorum, nuper ab Apostolica Sede expostulavit ut praefatum vetustum gedanense templum, quod iam honore basilicae minoris gaudet, titulo ecclesiae concathedralis decoraretur.

Porro haec Congregatio pro Episcopis, vigore specialium facultatum a Summo Pontifice Ioanne Paulo divina Providentia Pp. II sibi tributarum, re mature perpensa, habitoque favorabili voto Conferentiae Episcoporum Poloniae, rata id in Christifidelium bono cessurum qui ipsius Ecclesiae « lapides vivi » sunt, porrectis precibus annuendum censuit.

Ideoque praesenti Decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, praefatum templum civitatis Gedanensis Deo in honorem Beatae Virginis Mariae in coelum Assumptae dicatum, ad dignitatem ecclesiae concathedralis evehit, ita ut in eodem cathedra episcopalis erigit possit et Capitulum cathedrale divina officia, ad normam iuris, persolvere valeat.

Ad haec vero exsecutioni mandanda Congregatio pro Episcopis Exc.mum P. D. Franciscum Colasuonno, Archiepiscopum titularem

Truentiimm et Apostolicum Nuntium cum specialibus mandatis, deputat, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere ei imposito ad eandem Congregationem authenticum exemplar actus peractae exsecutionis quam primum remittendi.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Episcopis, die 22 mensis Octobris anno 1986.

© BERNARDINUS Card. GANTIN, *Praefectus*

L. © S.

© Fr. Lucas Moreira Neves
Archiep. tit. Feraditanus maior, *a Secretis*

In Congr. pro Episc, tab., n. 815/86.

II

GOIASENSIS - SANCTI LUDOVICI DE MONTES BELOS

de mutatione finium

Quo aptius christifidelium pastorali curae consuli possit, Exc.mi PP. DD. Thomas Balduino, O. P., Episcopus Goiasensis et Stanislaus Arnoldus van Melis, C. P., Episcopus Sancti Ludovici de Montes Belos, unanimi consensu ab Apostolica Sede expostulaverunt ut suarum dioecesium fines aliquantulum immutarentur.

Congregatio pro Episcopis, praehabito favorabili voto Exc.mi P. D. Caroli Furno, Archiepiscopi titularis Abaritani et in Brasilia Apostolici Nuntii, rata huiusmodi immutationem Christifidelium bono profuturam, vigore specialium facultatum sibi a Summo Pontifice Ioanne Paulo, divina Providentia Pp. II, tributarum, oblatas preces benigne accipiendas esse censuit.

Quapropter suppleto, quatenus opus sit, eorum interesse habentium vel habere praesumentium consensu, hoc Decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, distrahit a dioecesi Goiasensi atque in perpetuum dioecesi Sancti Ludovici de Montes Belos adnectit integrum territorium, prout in praesens a lege civili circum-

scribitur, municipii vulgo nuncupati *Côrrego do Ouro* et districti a populis dicti *Fartura,* in praesens intra fines municipii Sanclerlândia exstantis.

Quamobdem documenta et acta praefati municipii *Côrrego do Ouro* et districti vulgo dicti *Fartura* clericos, fideles ac bona temporalia forte respicentia a Curia Goaiasensi ad Curiam Sancti Ludovici de Montes Belos, quam primum, transmittantur.

Ad haec perficienda Congregatio pro Episcopis deputat memoratum Exc.mum Apostolicum Nuntium vel, ipso a sede absente, negotiorum Sanctae Sedis in Brasilia gestorem, necessarias et opportunas eisdem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad eamdem Congregationem, cum primum fas erit, authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Episcopis, die 8 mensis Decembris anno 1986.

83 BERNARDINUS Card. GANTIN, *Praefectus*

L. © S.

© Fr. Lucas Moreira Neves
Archiep. tit. Feraditanus maior, *a Secretis*

In Congr. pro Epis, tab., n. 724/86.

III

S. IOSEPHI IN COSTAEICA ALAIUELENSIS-TILARANENSIS

de mutatione finium dioecesium

Christifidelium spirituali bono sedulo prospicientes, Exc.mi Ordinarii locorum Reipublicae Costaricensis, unanimi consensu, nuper ab Apostolica Sede expostulaverant ut fines archidioecesis S. Iosephi in Costarica et dioecesium Alaiuelensis ac Tilarensis aliquantulum immutarentur et ita aptius disponerentur.

Congregatio pro Episcopis, praehabito favorabili voto Exc.mi P. D. Petri Iacobi De Nicolò, Archiepiscopi titularis Martanaensis, in Dicione Costaricensi Apostolici Nuntii, rata petitam immutationem aeternae animarum saluti cessuram, vigore specialium facultatum sibi a Summo

Pontifice Ioanne Paulo divina Providentia Pp. II, tributarum, oblatis precibus annuendum censuit.

Quapropter, suppleto, quatenus opus sit, eorum interesse habentium vel habere praesumentium consensu, hoc Decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, quae sequuntur decernit :

1) - a dioecesi Alaiuelensi distrahit territorium paroeciae cui nomen *San Pablo de Turrubares* idemque archidioecesi S. Iosephi in Costarica adnectit;

2) - a dioecesi Tilaranensi separat territorium paroeciarum vulgo *Los Chiles* et *Monterrey* illudque dioecesi Alaiuelensi coniungit.

Quamobrem documenta et acta memoratorum territoriorum clericos, fideles et bona temporalia forte respicientia a Curia a qua ad Curiam circumscriptionis ecclesiasticae cui illa nuper aggregata sunt, quam primum, transmittantur.

Ad clerum quo attinet statuit ut simul ac praesens Decretum ad effectum deductum fuerit sacerdotes Ecclesiae illi censeantur adscripti in cuius territorio ecclesiasticum officium legitime detinent; ceteri autem sacerdotes seminariique alumni dioecesi illi incardinati maneant vel incardinentur in cuius territorio legitimum habeant domicilium.

Ad haec perficienda eadem Congregatio pro Episcopis memoratum Exc.mum P. D. Petrum Iacobum De Nicolò deputat, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad eandemque Congregationem, cum primum fas erit, authenticum exemplar actus peractae executionis remittendi.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Episcopis, die 15 mensis Decembris anno 1986.

© BERNARDINUS Card. GANTIN, *Pr-aefectus*

L. © S.

© Fr. Lucas Moreira Neves
Archiep. tit. Feraditanus maior, *a Secretis*

In Congr. pro Epis, tab., n. 978/86.

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Ioannes Paulus Pp. II, per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros Praesules praefecit, videlicet :

die 29 Ianuarii 1987. — Cathedrali Ecclesiae Ialapensi in Guatimala Exc.mum P. D. Georgium Mariam Avila del Águila, hactenus Episcopum titularem Nasaitensem et Vicarium Apostolicum de El Peten.

die 3 Februarii. — Titulari episcopali Ecclesiae Betagbarensi R. D. Martinum Gächter, curionem paroeciae Sancti Spiritus in civitate Basilea, quem deputavit Auxiliarem Exc.mi P. D. Ottonis Wüst, Episcopi Basileensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Cenensi R. P. Amadeum Grab, Ordinis Sancti Benedicti sodalem et Conferentiae Episcoporum Helvetiae a secretis, quem deputavit Auxiliarem Exc.mi P. D. Petri Mamie, Episcopi Lausannensis, Genevensis et Friburgensis.

die 9 Februarii. — Cathedrali Ecclesiae Legionensi Exc.mum P. D. Antonium Vilaplana Molina, hactenus Episcopum Placentinum in Hispania.

die 10 Februarii. — Cathedrali Ecclesiae Sancti Ludovici de Montes Belos R. P. Wasintonium Cruz, Congregationis Passionis Iesu Christi sodalem.

die 12 Februarii. — Cathedrali Ecclesiae Gurecsamiensi Exc.mum P. D. Iacobum Hannigan, hactenus Episcopum Menevensem.

— Cathedrali Ecclesiae Menevensi Exc.mum P. D. Danielem Iosephum Mullins, hactenus Episcopum titularem Syddensem.

die 13 Februarii. — Titulari episcopali Ecclesiae Cincaritanae R. D. Rogerum Franciscum Crispinum Hollis, Vicarium Generalem Cliftoniensis dioecesis, quem deputavit Auxiliarem Exc.mi P. D. Mauritii Natalis Leonis Couve de Mur ville, Archiepiscopi Birminghamiensis.

die lß Februarii. — Praelaturae Maraiensis R. P. Iosephum Aloisium Azcona Hermoso, Ordinis Augustinianorum Recollectorum sodalem.

die 26 Februarii. — Titulari episcopali Ecclesiae Geruntinae R. D. Iosephum Mariam Arancibia, quem deputavit Auxiliarem archidioecesis Cordubensis in Argentina.

die 27 Februarii. — Cathedrali Ecclesiae Sancti Miniati R. D. Eduardum Ricci, Vicarium Generalem dioecesis Spediensis-Sarzanensis-Brugnatensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Mesarfeltensi, R. D. Petrum Mesarfeltensi, R. D. Petrum Morissette, e clero archidioecesis Quebecensis, vice-moderatorem officii pastoralis dioecesani, quem deputavit Auxiliarem Em.mi P. D. Ludovici Alberti S. R. E. Cardinalis Vachon, Archiepiscopi Quebecensis.

die 28 Februarii. — Cathedrali Ecclesiae Abellinensi Exc.mum P. D. Gerardum Pierro, hactenus Episcopum Tursiensem-Lacunerulonensem.

CONGREGATIO PRO CAUSIS SANCTORUM

DECRETA

I

GOANA

Canonizationis Servi Dei Agnelli Gustavi Adolfi de Sousa, Sacerdotis Societatis Missionariorum S. Francisci Xaverii de Goa (1869-1927).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

Instante quasi Concilio Oecumenico Vaticano II, Summus Pontifex Ioannes XXIII allocutionem habuit ad Seminariorum Magistros spiritus, Romae congregatos, in qua, inter cetera, haec affirmavit : ((Vobis gratias agimus, dilecti filii, ob operam absconditam, et tamen tam utilem, quam in campo egregiae spei pro apostolatu explicatis. Dioeceses spem collocant in vobis. Verum quidem est discipulorum Seminariorum formationem esse concordi opera omnium Seminarii Superiorum efficiendam, sub Rectoris prudenti et amabili modera-

mine. Sed pars praecipua ad vos pertinet, quia actio vestra in intima conscientia peragitur, ubi firmae persuasiones imprimuntur ubique adulescentuli mutatio perficitur ad sacerdotium vocati. Actionem illam incipit et ad effectum adducit Spiritus Sancti afflatus. Sed iuvenis plerumque eius impulsus difficulter sequitur sine prudenti Magistri spiritus inspectione. Possumus cogitatione complecti vestram cotidianam poenam, vestras sollicitudines, tacitas vestras aegritudines. Et Deus scit quot precationibus, quot conatibus et interdum quot angoribus gratias luminis et perseverantiae, quas imploratis pro filiis vestris spiritualibus, rependatis ... Munus Magistri spiritus plenum est difficultatum et oneris. Agitur enim de formanda in animis Iesu sacerdotis imagine. Opus divinum est, non humanum » (Allocutio diei 9 Septembris a. 1962, *AAS* LIV [1962], 673-677).

Huic arduo et difficili operi libenti animo se tradidit et feliciter etiam Servus Dei Agnellus Gustavus Adolfus de Sousa, sacerdos Societatis Missionariorum S. Francisci Xaverii de Goa; primum namque uti confessarius ordinarius, deinde uti Magister spiritus, in formationem incubuit alumnorum Seminarii maioris Racholensis in clara illa Goana archidioecesi. Verus homo Dei (cf.l *Tim* 6, 11) et pietatis peritus magister, cum fervore, humilitate et prudentia suo est munere functus, communem Superiorum et Seminarii alumnorum sibi aestimationem comparans, non tantum in moderandis animis consilio, verum etiam sacerdotalium virtutum splendore, quae omnibus continens perfectionis et sanctitatis schola videbantur. Sed eius navitas circulum Seminarii est transgressa, quandoquidem impigra et indefatigata cura apostolatui pro populo se addixit, praesertim ministerium exercendo praedicationis verbi Dei, efficaciter conferens ad propagandam et augendam fidem in communitate credentium.

Servus Dei natus est in pago *Arijuna*, in municipio *Bardez* appellato, intra fines archidioecesis Goanae, die 21 mensis Ianuarii anno 1869, a Michaele Archangelo Mariano de Sousa et Maria Symphorosa Perpetua Mangalhaes, quibus ab ineunte aetate orbatus est. Eius christianae educationi primum boni parentes, praesertim pientissima mater, consuluerunt; deinde, his vita defunctis, eum frater maior natu Emmanuel curavit, qui eum in sacerdotio praecessit. Ab infantia mitem, tractabilem, simplicem ostendit indolem et ardentem virtutis amorem, pietatis et christianae doctrinae, quam facile discebat cumque aequalibus notabili cum experientia communicabat. Octo annos natus

primum ad mensam Dominicam accessit, et die 17 mensis Novembris anno 1883 Confirmationis sacramentum accepit.

Post humanitatis et philosophiae studia, coepit uti alumnus externus (anno 1889) Seminarium maius Racholense frequentare, ut studia theologica exerceret seque ad sacerdotium praepararet, quod a puero appetiverat. Deinde tres annos praeceptor fuit in loco communiter *Galangute* vocato.

Die 17 mensis Iulii anno 1897 ingressus est, ut postulans, novensilem Societatem Missionariorum S. Francisci Xaverii de Pilar, quorum erat animarum saluti prospicere, imprimis non christianorum. Anno 1898 vota temporanea suscepit, quae anno 1903 iteravit. Tandem die 8 mensis Septembris anno 1908 votorum perpetuorum professionem fecit. Interim, die 24 mensis Septembris anno 1898, re diligenter considerata et ferventi adhibita deprecatione, presbyterorum ordinem acceperat. Primis sacerdotii annis actis in Domo religiosa de Pilar, varia ecclesiastica munera a fidentibus Superioribus sunt ei delegata, quae cum simplicitate, maxima cura, constanti fervore, acri et sincero spiritu supernaturali est executus : fuit enim confessarius ordinarius in Seminario maiore Racholensi (annis 1908-1918) et simul parochus missionarius pagi *Kumptà* (annis 1909-1917), cappellanus curator oppidi *Sanvordém* (annis 1917-1918) et, ultima vitae parte, moderator spiritus Seminarii dioecesani, quod est supra memoratum.

Verba Domini secutus, qui dixit : « Estote perfecti, sicut Pater vester caelestis perfectus est » (*Mt* 5, 48), recto et constanti gradu in via perfectionis progressus est, estque non communem cum Christo similitudinem assecutus. Namque « iter sanctorum semper procedit, sicut aurorae lux usque ad diem perfectum procedit. Uti non est homo qui ad alicuius scientiae vel artis perfectionem non pervenit, nisi prius ardenter exoptat eam consequi, ita numquam fuit sanctus, qui sit sanctitatem adeptus sine magno studio eam assequendi » (S. Alfonsus M. de' Liguori, *Opere Ascetiche,* vol. XIV, I, Roma 1935, pp. 84.88). Eiusmodi studium Servus Dei iam puer coluit et, nullis operibus factis peculiariter spectabilibus, semper et ubique voluntati Dei est obsecutus, singulari fervore, mira diligentia et perseveranti assiduitate suae sacerdotali et religiosae vocationi respondit, et per omnia in officiis status sui fidelis mansit. Hocque est summa virtus. Hinc Summus Pontifex Benedictus XV affirmavit : « Sanctitas proprie posita est solum in consensione cum voluntate Dei, quae exprimitur assidua et diligenti munerum proprii status functione» (*AAS* XII [1920], 173).

Si christianus quisque debet ad apostolatum se conferre, animae consecratae specialissimo modo tenentur in opus redemptionis se consociare. De hac re certissimus erat etiam P. Agnellus, qui multimodis significavit se fortiter regni Dei prolatione sollicitari.

Quamvis remissa valetudine uteretur, semper tamen paratus erat ad Dei verbum nuntiandum praedicatione missionum, secessibus, sacris novendialibus aliisque sermonibus, unde multi spirituales fructus afferebantur. Quae ceteros docebat, ipse congruenter exercebat, ita ut eius verba et institutiones aperte viderentur probitate eius vitae confirmata. Non minore sedulitate se dedit aliis quoque actionibus pastoralibus, agens egregie quae utilitati erant auctui spirituali fidelium, eius curae commissorum.

Labores nihili pendens et omnino Dei gloriam quaerens, multos per annos, magister spiritus fuit sapiens et prudens alumnorum Seminarii, quos sana doctrina theologica illuminabat, consiliis et exemplis ad sanctitatem hortabatur, amore Dei et Ecclesiae incendebat eximiarum virtutum suarum ardore, patienti sua amabilitate confirmabat, in necessitatibus corporeis etiam adiuvabat. Et quoniam unus est verus animarum magister, Christus (cf. *Mt* 23, 8), Servus Dei cum humilitate, moderatione et propositorum planitate candidatos ad sacerdotium adducebat ad cognitionem et imitationem Domini et ad perfectiorem usque oboedientiam erga actionem, quam Spiritus Sanctus explicat in eorum cordibus, qui mentem intendunt in divinos impulsus. Praeterea adeo persuasum habebat sine gratiae auxilio se nihil facere posse (cf. *Io* 15, 5), ut ministerium suum irroraret et aleret protractis deprecationibus et frequentibus paenitentiis. Eius enim operosi et multiplicis apostolatus fons erat vita interior, quam coniunctione cum Deo, studio et meditatione verbi divini, pia Missae et Liturgiae horarum celebratione, fervida pietate erga Eucharistiam, Passionem Domini nostri, S. Cor Iesu, Virginem Mariam, Purgatorii animas nutriebat.

De suis commodis libenter et saepe multa detrahendo, se reprimendo et paenitentias exercitando, multam quietem interiorem consecutus erat; quam ob rem eius animus, a rebus terrenis aversus, libere et hilare ad caelestia ferebatur, in quibus spem posuerat.

In praeceptis Dei permanens, in Ecclesiae magisterio, in muniis sacerdotalibus, in votis religiosis et in Regulis sui Instituti, fuit vere lux et sal terrae (cf. *Mt* 5, 13-14), deditque omnibus splendidum testimonium fidei solidae, vim habentis se diffundendi, vehementis Dei et proximi amoris.

Haec fecit dum a vita discessit, videlicet usque ad diluculum diei 20 mensis Novembris anno 1927, cum pie exstintus est apoplexi qua pridie vesperi est correptus, dum praedicabat in sacello Seminarii inter vesperas in honorem S. Cordis.

Fama sanctitatis, quam sibi vivo pepererat, prodiit etiam in sollemnibus exsequiis et insequentibus annis crevit non solum apud catholicos, sed etiam apud non christianos Goanos et Indiae. Quam ob rem Archiepiscopus Goanus iustum esse existimavit Causam canonizationis Servi Dei inire. Annis 1956-1959, apud eam Curiam celebratus est Processus Ordinarius Informativus; quem secuta sunt Decreta super scriptis (anno 1958), super Introductione Causae (die 21 mensis Decembris anno 1968), super non cultu (anno 1969). Rite instructo Processu Apostolico (annis 1970-1973), horum Processuum auctoritas agnita est die 25 mensis Maii, anno 1977.

Prospero cum exitu die 27 mensis Maii anno 1986 Consultores Theologi Congressum Peculiarem egerunt super virtutibus. Postea, die 21 Octobris, anno 1986, Ponente Causae Eminentissimo Cardinali Mario Aloisio Ciappi, in Congregatione Ordinaria Patres Cardinales et Episcopi concesserunt Servum Dei A gn eli u m Gustavum Adolfum de Sousa heroum more virtutes théologales, cardinales et adnexas exercuisse.

De hisce omnibus certior factus per subscriptum Cardinalem Praefectum, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, vota Congregationis libenter excipiens, mandavit ut Decretum super heroicis Servi Dei virtutibus rite conscriberetur.

Quod cum factum esset, accitis ad se hodierna die Cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit : *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis in gradu heroico Servi Dei Agnelli Gustavi Adolfi de Sousa, sacerdotis Societatis Missionariorum S. Francisci Xaverii de Goa, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc Decretum in vulgus ederetur et in Acta Congregationis pro Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 10 Novembris A. D. 1986.

PETRUS Card. PALAZZINI, *Praefectus*

L. S S.

SB Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

II

SANCTI HYACINTHI IN CANADA

Canonizationis Ven. Servi Dei Ludovici Zephyrini Moreau, Episcopi S. Hyacinthi.

SUPER DUBIO

An et de quo miraculo constet, in casu et ad effectum de quo agitur.

Venerabilem Servum Dei Ludovicum Zephyrinum Moreau heroum modo exercuisse théologales virtutes, videlicet Fidem, Spem et Caritatem tum in Deum tum in proximum, necnon cardinales virtutes, scilicet Prudentiam, Iustitiam, Temperantiam et Fortitudinem, eisque adnexas seu socias ac comites, Summus Pontifex Paulus VI die 10 mensis Maii anno 1973, servatis omnibus de iure servandis, sollemniter edixit.

Ortum duxit Dei Famulus intra fines Quebecensis dioeceseos Calendis Aprilibus, anno 1824. Virtutibus zeloque apostolico aemulus fuit primi episcopi Quebecensis, beati scilicet Francisci de Montmorency-Laval. Commissam sibi dioecesim Sancti Hyacinthi viginti et quinque annos sancte gubernavit ; mortem tandem sanctam oppetiit die 24 mensis Maii a. 1901.

Ut autem in numerum referretur Beatorum Caelitum, Causae actores miram quamdam sanationem, eodem Venerabili intercedente, a Deo patratam selegerunt eamque, ad iuris normam Apostolicae Sedi ad cognoscendum praebuerunt. Sane agitur de puella Canadiensi octo annorum, Colleen Margarita 0'Brien, quae anno 1978, mense Iunio, a lymphomate histiocitico rhino-pharyngeo perfecte convaluit.

Hac super mira sanatione adornatus est processus cognitionalis, qui vocabatur, anno 1983 apud episcopalem Curiam S. Mariae Ormensis, cuius vis et auctoritas iuridica agnita est Decreto huius Congregationis pro Causis Sanctorum die 13 Iulii a. 1984 edito. Servato deinde iuris ordine de hoc miro eventu disceptavit Consilium Medicorum eiusdem Congregationis die 22 mensis Ianuarii anni huius decurrentis coadunatum, qui quidem medici censuerunt illud contigisse rapide fuisseque completum et stabile, ex scientiae cognitionibus prorsus inexplicabile. Postmodum theologica inquisitio est facta, primum a Consultoribus theologicis in Congressu Peculiari die 13 Iunii mensis eodem anno 1986,

moderante Rev.mo Domino Antonio Petti, Fidei Promotore Generali; postea, die 8 mensis insequentis Iulii, a Patribus Cardinalibus et Episcopis in Congregatione Ordinaria coadunatis. Et in utroque Coetu, proposito dubio num de miraculo constaret affirmativum est datum responsum.

Facta deinde de praemissis omnibus per subscriptum Cardinalem Praefectum Summo Pontifici Ioanni Paulo II fideli relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis rata habens, mandavit ut super praedicta mira sanatione decretum rite appararetur.

Quod cum esset factum, hodierna die, accitis cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Eduardo Gagnon, Causae ponente seu relatore, meque Antistite a secretis Congregationis, ceterisque de more convocandis, iisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit : *Constare de miraculo a Deo patrato, deprecatore Veneratili Ludovico Zephyrino Moreau, videlicet de rapida, perfecta ac stabili sanatione puellae Colleen Margaritae O'Brien a « linfoma istiocitico rino-faringeo in soggetto in remissione di leucemia linfoblastica acuta, ancora in corso di trattamento)).*

Hoc autem Decretum in vulgus edi et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referri iussit.

Datum Romae, die 10 Novembris A. D. 1986.

PETRUS Card. PALAZZINI, *Praefectus*

L. ® S.

© Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

III

HISPALEN.

Canonizationis Ven. Servi Dei Marcelli Spinola y Maestre, Archiepiscopi Hispalensis, S. R. E. Cardinalis, Fundatoris Congregationis Ancillarum Conceptionis a Divino Corde Iesu.

SUPER DUBIO

An et de quo miraculo constet, in casu et ad effectum de quo agitur.

Venerabilem Servum Dei Marcellum Spinola, natum intra archidioeceseos Hispalensis fines die 4 Ianuarii a. 1835 vitaque functum

die 19 Ianuarii a. 1906, eximium in pascendo excolendoque Domino grege pastorem, prius parochum, deinde episcopum Cauriensem et Malacitanum, demum archiepiscopum Hispalensem cardinalis dignitate insignitum, heroicas exercuisse virtutes Summus Pontifex Ioannes Paulus II die 24 mensis Septembris a. 1983 sollemniter declaravit.

Beatorum autem Caelitum honores ut eidem rite decernerentur, Causae beatificationis actores unam, ad iuris normam, sanationem inter alias, quae eiusdem Venerabilis intercessione patratae ferebantur, selegerunt eamque Apostolicae Sedi ad cognoscendum proposuerunt. Agitur de mira sanatione Sororis Mariae ab Incarnatione Sánchez Molina, quae, eodem Venerabili ad Deum deprecatore, a tumefactione mammaria sinistra malae indolis, adenopathia axillari homolaterali atque oedemate brachii rapidissime die 8 mensis Decembris a. 1940 con valuit.

Cum praeter naturae vires eiusmodi sanationem accidisse diceretur, processus Apostolicae Sedis potestate est adornatus in Curia ecclesiastica Hispalensi annis 1963-1964, de cuius iuridica forma et vi Decretum exiit die 24 Maii anno 1985.

Coadunato deinde, die 5 mensis Martii anni huius 1986, eiusdem Congregationis Consilio Medico, editaque sententia de eiusdem sanationis indole praeternaturali, quaestio subiecta est theologorum iudicio; primum quidem, die 3 Iulii eodem anno 1986, in Congressu Peculiari Patrum Consultorum, moderante Rev.mo Domino Antonio Petti, Fidei Promotore Generali; et postea, die 7 Octobris mensis, in Ordinaria Congregatione Patrum Cardinalium et Episcoporum, ponente seu relatore Exc.mo ac Rev.mo Domino Paulino Limongi, Archiepiscopo titulari Mcaeensi in Haemimonto. Et in utroque Coetu proposito dubio : *An et de quo miraculo constet, in casu et ad effectum de quo agitur* responsum est datum affirmativum.

De hisce omnibus praemissis certior factus per subscriptum Cardinalem Praefectum, Summus Pontifex Ioannes Paulus II suffragia Congregationis rata habens, mandavit ut Decretum super mira eadem sanatione rite conscriberetur.

Quod cum esset factum, accitis ad se hodierna die infrascripto Cardinali Praefecto necnon Causae Ponente seu Relatore meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit : *Constare de uno miraculo, intercedente Venerabili Servo Dei Marcello Spinola y Maestre, divinitus patrato, scilicet de rapidissima, perfecta, stabilique sanatione Sororis*

Mariae ab Incarnatione Sánchez Molina a turne]'actione mammaria sinistra malae indolis, adenopathia axillari homolaterali, oedemateque brachii.

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc Decretum in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referretur et in vulgum ederetur.

Datum Romae, die 10 Novembris A. D. 1986.

PETRUS Card. PALAZZINI, *Praefectus*

L. © S.

© Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Udienza Ufficiale per la presentazione delle Lettere Credenziali:

Sabato, 7 Febbraio 1987, S. E. il Signor ALFREDO ESCOBAR ARMAS, Ambasciatore del Guatemala presso la Santa Sede.

Il Santo Padre ha ricevuto in Udienza:

Mercoledì, 4 Febbraio 1987, S. E. il Dottor JOSÉ HORACIO JUANARENA, Ministro della Difesa della Repubblica Argentina.

Venerdì, 6 Febbraio 1987, S. E. il Signor RODRIGO MADRIGAL NIETO, Ministro degli Affari Esteri della Repubblica di Costa Rica.

Mercoledì, 18 Febbraio 1987, S. E. il Generale SIAD BARRE, Presidente e Capo del Governo della Repubblica Somala.

Giovedì, 19 Febbraio 1987, S. E. il Signor GYORGY LAZAR, Primo Ministro della Repubblica Popolare Ungherese.

Venerdì, 20 Febbraio 1987, S. E. il Signor BERNHARD VOGEL, Ministro Presidente della Renania-Palatinato *(Germania Oec.)*.

Sabato, 21 Febbraio 1987, S. E. il Signor CARLOS BLANCAS, Ministro della Giustizia del Perù.

Lunedì, 23 Febbraio 1987, S. E. il Signor FRANÇOIS GUILLAUME, Ministro dell'Agricoltura di Francia.

Lunedì, 2 Marzo 1987, S. E. il Signor TARIK AZIZ, Vice Primo Ministro e Ministro degli Affari Esteri dell'Iraq.

Mercoledì, 11 Febbraio 1987, il Santo Padre ha istituito il Comitato Centrale per l'Anno Mariano, nominandone:

L'E.mo Sig. Card. Luigi Dadaglio, Arciprete della Patriarcale Basilica Liberiana, Penitenziere maggiore, *Presidente.*

S. E. mons. Miroslaw Stefan Marusyn, Arcivescovo tit. di Cadi; P. Pierre Duprey, P. A., *Vice-Presidenti.*

Mons. Mariano De Nicolò, *Segretario Generale.*

Le LL. EE. i Monsignori: Virgilio Noè, Arcivescovo tit. di Voncariana; Gilberto Agustoni, Arcivescovo tit. di Caorle; Vincenzo Fagiolo, Arcivescovo emerito di - Chieti-Vasto; José T. Sánchez, Arcivescovo emerito di Nueva Segovia; Raymond-Marie Tchidimbo, Arcivescovo emerito di Conakry; Camillo Ruini, Vescovo tit. di Nepte; Giovanni Marra, Vescovo tit. di Usula; — i Monsignori: John Magee; Giulio Nicolini; Oscar Rizzato; — i Padri: Pavao Melada, O. F. M.; Salvatore Meo, O. S. M.; — le Suore: Maura O'Connor, F. M. M.; Marinella Castagno, F. M. A.; — la Sig.na Eletta Fornaro; — i Coniugi Guzmán e Lidice María Carriquiry, *Membri.*

Giovedì, 26 Febbraio 1987, nel Palazzo Apostolico Vaticano, il Santo Padre ha presieduto una riunione degli E.mi Signori Cardinali Capi dei Dicasteri della Curia Romana.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

25 febbraio 1987. L'Avv.to Franco Ligi, *Avvocato Concistoriale.*

28 » » Mons. Alberto Tricarico, elevato in qualità di Arcivescovo, alla sede titolare di Sistronia, *Pro-Nunzio Apostolico in Thailandia e in Singapore, nonché Delegato Apostolico in Laos, in Malaysia e Brunei.*

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

13 gennaio 1987. Mons. Giovanni Angelo Abbo; l'ing. Luigi Magnani e Ping. Francesco La Via, *Consultori della Congregazione per il Clero.*

5 febbraio » P. Frans Daneels, O. Praem., *Promotore di Giustizia Sostituto del Supremo Tribunale della Segnatura Apostolica.*

11 » » Il sac. Ivan Marín López, *Sottosegretario del Pontificio Consiglio a Cor Unumy>.*

14 » » Il sac. André Jean Léonard, *Membro della Commissione Teologica Internazionale.*

18 » » S. E. mons. Antonio M. Javierre Ortas, Segretario della Congregazione per l'Educazione Cattolica, *Consultore della Congregazione per la Dottrina della Fede a in aliud quinquennium ».*

23 » » Mons. Piero Marini, *Maestro delle Cerimonie Pontificie.*

25 » » Mons. Francisco López Illana, *Capo Ufficio nella Congregazione per il Clero.*

NECROLOGIO

1 febbraio 1987. Mons. Denis William Hanrahan, Vescovo di Christchurch *(Nuova Zelanda)*.

9 » » Mons. Rubén Isaza Restrepo, Arcivescovo emerito di Cartagena *(Colombia)*.

10 » » Mons. Léon Adolphe Messmer, Vescovo emerito di Ambanja *(Madagascar)*.

16 » » Mons. Alois Brems, Arcivescovo emerito di Eichstaett *(Germania Oec.)*.

18 » » Mons. Jorge Carlos Carreras, Vescovo emerito di San Justo *(Argentina)*.

20 » » Mons. Caesar Gatimû, Vescovo di Nyeri *(Kenya)*.

» » » Card. Joseph Parecattil, del titolo di Santa Maria « Regina Pacis » a Monteverde.

23 » » Mons. Umberto Florenzani, Vescovo di Anagni-Alatri *(Italia)*.

24 » » Mons. Wilhelm Sedlmeier, Vescovo tit. di Aulona.

» » » Mons. Henry Pinault, Vescovo emerito di Chengtu *(Cina)*.

An. et vol. LXXIX 2 Aprilis 1987 N. 4

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: **Palazzo Apostolico - Gttà del Vaticano** — *Administratio:* **Libreria Editrice Vaticana**

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

LITTERAE ENCYCLICAE

De Beata Maria Virgine in vita Ecclesiae peregrinantis.

IOANNES PAULUS PP. II

VENERABILES FRATRES, DILECTI FILII ET FILIAE, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

1. REDEMPTORIS MATER definitum locum in humanae consilio salutis obtinet, siquidem « ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimerei, ut adoptionem filiorum reciperemus. Quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra clamantem : Abba, Pater » *(Gal* 4, 4-6).

His Apostoli Pauli verbis, quae Concilium Vaticanum II in Constitutione dogmatica *Lumen Gentium* repetit initio tractationis beatae Virginis Mariae,[1] placet nobis considerationem nostram inire de significatione, quam Maria habet in mysterio Christi, deque eius in vita Ecclesiae praesentia actuosa et exemplari. Sunt enim verba, quae una simul celebrant amorem Patris, munus Filii, donum Spiritus Sancti, mulierem, ex

[1] Cfr. Const. dogm. *Lumen Gentium* de Ecclesia, 52 et totum cap. VIII cui est titulus « De Beata Maria Virgine Deipara in mysterio Christi et Ecclesiae ».

qua natus est Redemptor, divinam nostram filiationem in mysterio « plenitudinis temporis » .[2]

Haec « plenitudo » tempus indicat, ex omni aeternitate statutum, quo Pater misit Filium suum, « ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam » *(la* 3, 16); beatum indicat tempus, cum « Verbum, quod erat apud Deum », « caro factum est et habitavit in nobis » *(Io* 1, 1-14), et frater noster factum. Tempus denotat, quo Spiritus negotium incepit plenitudinem gratiae Mariae Nazarethanae inferendi et Christi humanam naturam in eius virginali utero formandi. Tempus indicat, quo, ob Aeterni ingressum in tempus, ipsum tempus redimitur et se Christi mysterio replens, definitive fit « tempus salutis ». Itineris Ecclesiae denique arcanum signat initium. Etenim in Liturgia Ecclesia Mariam Nazarethanam tamquam exordium suum salutat,[3] quia in Immaculatae Conceptionis eventu emitti videt, in suo nobilissimo membro anticipatam, gratiam Paschatis servatricem, et quia imprimis in Incarnationis eventu invenit indissolubili modo coniunctos Christum et Mariam: illum, qui est eius Dominus et Caput (cfr. *Col* 1, 18), et illam quae, primum *fiat* Novi Foederis pronuntians, eius condicionem sponsae et matris praesignat.

2. Ecclesia, praesentia Christi confirmata (cfr. *Mt* 28, 20), ambulat in tempore, consummationem saeculorum versus, et

[2] Locutio illa « plenitudo temporis » (TcXyjpio^a TOÖ XP¿vou) similibus aequatur ditionibus Iudaicae traditionis tum intra ipsa Biblia (cfr. *On* 29, 21; *1 Sam* 7, 12; *Tob* 14, 5) praesertim Novi Testamenti (cfr. *Me* 1, 15; *Lc* 21, 24; *Io* 7, 8; *Eph* 1, 10) tum extra. Formali sumpta sensu ea demonstrat non solum terminum cuiusdam progressionis temporis, sed praesertim perfectionem vel absolutionem aetatis, quae singulare habet momentum, quoniam illuc dirigitur ut exspectatio quaedam impleatur, quae proinde consequitur aliquam eschatologicam rationem. Secundum illum locum *Gal* 4, 4 eiusque contextum, adventus ipse Filii Dei patefacit tempus, ut ita dicatur, complevisse suum destinatum modum; id est aetatem eam, promissis Abráhae datis necnon lege per Moysen tradita designatam, suum attigisse culmen, ita quidem ut Christus ipse iam promissionem impleat divinam veteremque excedat legem.

[3] Cfr. *Missale Romanum,* Praefatio die 8 Decembris « In Conceptione Immaculata Beatae Mariae Virginis »; S. AMBROSIUS, *De Institutione Virginis,* **XV,** -93-94: *PL* 16, 342; CONC. OEC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen Gentium* de Ecclesia, 68.

obviam Domino procedit, qui est venturus; sed in hoc itinere — statim id volumus notare — progreditur iter persequens a Virgine Maria confectum, quae « *in peregrinatione fidei processit, suamque unionem cum Filio fideliter sustinuit usque ad Crucem* ».[4]

Haec resumimus verba, tam densa et memoriam revocantia Constitutionis *Lumen Gentium,* quae in extrema sua parte efficacem summam designat doctrinae Ecclesiae ad Matrem Christi pertinentis, quam ipsa tamquam amantissimam matrem suam suumque in fide, spe et caritate typum veneratur.

Paucis post Concilium annis magnus Antecessor noster Paulus VI iterum de Sanctissima Virgine est locutus, exponens in Epistula Encyclica *Christi Matri* et postea in Adhortationibus Apostolicis *Signum magnum* et *Marialis cultus*[5] fundamenta et rationes eius peculiaris venerationis, quam Christi Genetrix habet in Ecclesia, et insuper varias pietatis marialis formas, liturgicas, populares, privatas, spiritui fidei congruentes.

3. Alia nunc causa, quae nos impellit ut hanc rem traeternus, est *exspectatio anni bis millesimi,* iam propinqui, in quo Iubilaeus vicies centenarius Natalis Iesu Christi mentis oculos nostros in Matrem simul convertit. Recentioribus annis plures voces sunt missae, opportunitatem suadentes praeponendi bis millesimo anno similem Iubilaeum, celebrationi Natalis Mariae dicatum.

Eevera, si *certum punctum temporis* statui non potest, unde dies natalis Mariae definiatur, constanter Ecclesia sibi conscia est in *historiae salutis* prospectu *prius Mariam apparuisse quam Christum.*[6] *Reapse,* appropinquante tandem « ple-

[4] CONO. OEO. VAT. II, Const. dogm. *Lumen Gentium* de Ecclesia, 58.

[5] PAULUS PP. VI, Ep. Enc. *Christi Matri* (15 Septembris 1966): *AAS* 58 (1966) 745-749; Adhort. Apost. *Signum magnum* (13 Maii 1967): *AAS* 59 (1967) 465-475; Adhort. Apost. *Marialis cultus* (2 Februarii 1974): *AAS* 66 (1974) 113-168.

« Vetus Testamentum multimodis praenuntia vit mysterium Mariae: cfr. S. IOANNES DAMASCENUS, *Horn, in Dormitionem* I, 8-9: *S. Ch.* 80, 103-107.

nitudine temporis », seu adventu Salvatoris salvifico, iam ea quae ex aeternitate Mater eius destinata erat, exsistebat in terra. Haec Christi adventus praegressio eius quotannis *in Adventus Liturgia* relucet. Si ergo anni, quibus subsumus fini secundi Millennii post Christum natum et initio tertii, cum antiqua historica Salvatoris exspectatione comparantur, plene comprehenditur nunc peculiari modo nos ardenter intendere in eam quae, media exspectationis Adventus « nocte », resplendere coepit ut vera « .Stella matutina ». Nam, sicut haec stella una cum aurora ortui solis antevenit, ita Maria inde a sua conceptione immaculata adventui Salvatoris antevenit, ortui « solis iustitiae » in humani generis historia.[7]

Eius praesentia in Israel — tam verecunda ut aequales paene lateret — coram Aeterno clarissima fulgebat, qui hanc absconditam « Filiam Sion » (cfr. *Soph* 3, 14; *Zc* 2, 14) cum salvìfico consilio coniunxerat, totam humani generis historiam amplectente. Iure igitur, exeunte hoc bis millesimo anno, nos christiani, qui scimus providum Sanctissimae Trinitatis consilium *caput esse et summam revelationis et fidei,* exoptamus in lucem proferre singularem Christi Matris praesentiam in historia, praesertim his annis, qui proximi sunt ante annum bis millesimum.

4. Ad hoc nos praeparat Concilium Vaticanum II, in suo magisterio *Matrem Dei « in Christi et Ecclesiae mysterio »* exhibens. Si enim « nonnisi in mysterio Verbi incarnati mysterium hominis vere clarescit » — sicut idem Concilium affirmat[8] — oportet hoc principium peculiarissimo modo adhibeatur ad excellentissimam eam « humani generis filiam », ad miram illam « mulierem », quae Christi Mater est facta. *In* solo *Christi mysterio « clarescit »* plene *eius mysterium.* Ceterum ita ab initio Ecclesia illud nisa est interpretari: incar-

[7] Cfr. *Insegnamenti di Giovanni Paolo II,* VI/2 (1983) 225 s.; Pius PP. IX, Ep. Apost. *Inefabilis Deus* (8 Decembris 1854); *Pii IX P. M. Acta,* pars I, 597-599.

[8] Cfr. Const. past. -*Gaudium et spes* de Ecclesia in mundo huius temporis, 22.

nationis mysterium effecit ut ea melius mysterium Matris Verbi Incarnati perspiceret et explicaret. In hac indagatione summum habuit momentum Concilium Ephesinum (a. ccccxxxi celebratum), in quo, magna cum christianorum laetitia, veritas maternitatis divinae Mariae est sollemniter confirmata ut Ecclesiae fidei veritas. *Maria est Mater Dei (= Theotokos),* quia, operante Spiritu Sancto, in virginali utero suo concepit et mundo dedit Iesum Christum, Filium Dei consubstantialem Patri.[9] « Filius Dei ... natus de Maria Virgine, vere unus ex nostris factus est »,[10] homo factus est. Per mysterium ideo Christi super fidei Ecclesiae scaenam plene Matris eius mysterium splendet. Ipsum autem divinae maternitatis Mariae dogma Concilio Ephesino quasi fidem fecit et Ecclesiae facit dogmatis Incarnationis, qua Verbum vere naturam humanam assumit, non tamen eam delens, in personae suae unitate.

5. Concilium Vaticanum II, exhibens Mariam in mysterio Christi, habet sic etiam certam viam atque rationem, qua mysterium Ecclesiae percognoscat. Maria namque, ut Mater Christi est *singulariter cum Ecclesia coniuncta,* « quam Dominus ut corpus suum constituit ».[11] Textus Concilii significanter hanc veritatem de Ecclesia ut corpore Christi (secundum *Epistularum* Pauli doctrinam) admovet veritati, iuxta quam Filius Dei « incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine ». Veritas Incarnationis perdurat quodammodo *in mysterio Ecclesiae-corporis Christi.* Ipsaque Incarnationis veritas cogitari nequit, quin ratio ducatur Mariae — Matris Verbi Incarnati.

In his tamen considerationibus libet ante omnia respicere

[9] CONC. OEC. EPHES., *Conciliorum Oecumenicorum Decreta,* Bologna 1973[3], 41-44; 59-62 *(DS* 250-264); cfr. CONO. OEC. CHAI,CEDON.: O. *mem.,* 84-87 *{DS* 300-303).

[10] CONC. OEC. VAT. II, Const, past. *Gaudium et spes* de Ecclesia in mundo huius temporis, 22.

[11] Const. dogm. *Lumen Gentium* de Ecclesia, 52.

illam ((peregrinationem fidei », in qua « Beata Virgo processit ... suamque unionem cum Christo fideliter sustinuit » .[12] Ita *« duplex illud vinculum »*, quod Matrem Dei *Christo iungit et Ecclesiae,* historicam significationem assumit. Nec solum hic agitur de Virginis Matris historia, de ipsius « peregrinatione fidei » deque « optima parte » (cfr. *Lc* 10, 42), quam in historia salutis habet, verum etiam de historia cuncti Populi Dei, *eorum omnium qui* eandem « *peregrinationem fidei » participant.*

Hoc Concilium exprimit, notans in alio loco Mariam « praecessisse », factam a figuram Ecclesiae ... in ordine fidei, caritatis et perfectae cum Christo unionis » .[13] Ea « *praecedendi ratio » instar figurae et exemplaris,* ad ipsum pertinet intimum Ecclesiae mysterium, quae suum salvificum munus exsequitur et perficit, iungens in se ipsa — sicut Maria — *condicionem matris* et *condicionem virginis.* Virgo est, quae « fidem Sponso datam integre et pure custodit » et « ipsa fit mater: ... filios, de Spiritu Sancto conceptos et ex Deo natos, ad vitam novam et immortalem generat » .[14]

6. Omnia haec coniiciuntur magno processu historico et, ut ita dicatur, « quodam itinere ». « *Peregrinatio fidei » historiam interiorem significat,* seu animarum historiam. Sed haec est etiam hominum historia, in hac terra brevitati temporis obnoxiorum, historiae inclusorum mensura. In his, quae sequuntur, meditationibus cupimus imprimis mentem intendere ad tempus praesens, quod per se nondum est historia, et tamen eam fingit continenter, etiam tamquam historiam salutis acceptam. Amplum hic aperitur spatium, in quo beata Virgo *Maria* pergit « anteire » Populo Dei. Eius mirabilis peregrinatio fidei constans fit signum, ad quod Ecclesia, singuli et

[12] Cfr. *ibid.,* 58.

[13] *Ibid.,* 63; cfr. S. AMBROSIUS, *Expos. Evang. sec. Lucam,* II, **7:** *CSEL* 32/4, 45; *De Institutione Virginis,* XIV, 88-89: *PL* 16, 341.

[14] Cfr. Const. dogm. *Lumen Gentium* de Ecclesia, 64.

communitates, populi et nationes et, aliquo sensu, totum humanum genus se referunt. Vere difficile est eius limitem comprehendere et dimetiri.

Concilium explicat *Matrem Dei esse iam perfectionem eschatologicam Ecclesiae:* « Ecclesia in beatissima Virgine ad perfectionem iam pertingit, qua sine macula et ruga exsistit (cfr. *Eph* 5, 27) » — et simul christifideles « adhuc niti, ut devincentes peccatum in sanctitate crescant; ideoque *oculos suos ad Mariam attollere,* quae toti electorum communitati tamquam exemplar virtutum praefulget ».[15] Peregrinatio fidei non iam ad Genetricem Filii Dei attinet: in caelis apud Filium glorificata, Maria iam limen transivit inter fidem et visionem, quae fit « facie ad faciem » *(1 Cor* 13, 12). Sed uno tempore in hac perfectione eschatologica Maria non desinit esse *Maris Stella*[16] iis omnibus qui adhuc in peregrinatione fidei sunt constituti. Si hi ad eam oculos attollunt in diversis vitae terrenae locis, id faciunt quia illa « Filium peperit, quem Deus posuit primogenitum in multis fratribus » *(Rom* 8, 29),[17] et etiam quia ad hos fratres et sorores « gignendos et educandos materno amore cooperatur ».[18]

I

7. « Benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spiritali in caelestibus in Christo » *(Eph* 1, 3). Haec *Epistulae ad Ephesios* verba aeternum ostendunt Dei Patris consilium, salutis hominum per Christum propositum; propositum quidem universale, omnes

[15] *Ibid.,* 65.

[16] «Tolle corpus hoc solare, quod illuminat mundum: ubi dies? Tolle Mariam, hanc maris stellam, maris utique magni et spatiosi: quid nisi caligo involvens, et umbra mortis ac densissimae tenebrae relinquuntur?»: S. BERNARDUS, *In Nativitate B. Mariae Sermo - De aquaeductu,* 6: *S. Bernardi Opera,* V, 1968, 279; cfr. *In laudibus Virginis Matris Homilia* II, 17: *ed. mem.,* IV, 1966, 34 s.

[17] Const. dogm. *Lumen Gentium* de Ecclesia. 63.

[18] *Ibid.,* 63.

homines contingens creatos « ad imaginem et similitudinem Dei » (cfr. *Gn* 1, 26). Omnes, sicut « initio » opera Dei creatrice comprehenduntur, ita etiam ex omni aeternitate divino comprehenduntur consilio salutis, quod est ad finem usque revelandum, in « plenitudine temporis » per adventum Christi. Deus namque ille, qui est « Pater Domini nostri Iesu Christi », — sequentia eiusdem *Epistulae* verba sunt — « in ipso *elegit nos ante mundi constitutionem,* ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius in caritate, qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum, secundum beneplacitum voluntatis suae, in laudem gloriae gratiae suae, in qua gratificavit nos in *Dilecto,* in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum, secundum divitias gratiae eius » *(Eph* 1, 4-7).

Divinum salutis consilium, quod est nobis adventu Christi plene revelatum, aeternum est. Illud est etiam — secundum doctrinam eius *Epistulae* aliarumque Apostoli *Epistularum* (cfr. *Col* 1, 12-14; *Rom* 3, 24; *Gal* 3, 13) — ex omni aeternitate cum Christo conexum.[19] Omnes homines amplectitur, locum tamen peculiarem assignat « mulieri », quae eius est Mater, cui Pater opus salutis commisit. « Ipsa — ut scribit Concilium Vaticanum II — iam prophetice adumbratur in promissione, lapsis in peccatum primis parentibus data » iuxta librum *Genesis* (cfr. *Gn* 3, 15); « similiter haec est Virgo quae concipiet et pariet Filium, cuius nomen vocabitur Emmanuel » — secundum Isaiae verba (cfr. *Is* 7, 14).[20] Ita Vetus Testamentum illam « plenitudinem temporis » praeparat, cum Deus « misit Filium suum, factum ex muliere ... ut adoptionem filiorum reciperemus ». Adventus Filii Dei in mundum

[19] De praedestinatione Mariae, cfr. S. IOANNES DAMASCENUS, *Horn, in nativitatem,* 7; 10: *S. Ch.* 80, 65; 73; *Rom. in Dormitionem I, S: S. Ch.* 80, 85: « Est enim ea, quae electa inde a generationibus antiquis virtute praedestinationis et benevolentiae Dei et Patris qui te (Verbum Dei) genuit extra tempus non exiens a seipso ac sine ulla mutatione, est ea quae te peperit, nutrì vit sua carne, postremis temporibus... ».

[20] Const. dogm. *Lumen Gentium* de Ecclesia, 55.

est eventus, qui in prioribus capitibus Evangeliorum secundum Lucam et Matthaeum narratur.

8. *Maria* certe et definite *in Christi mysterium inseritur* hoc eventu: *angeli annuntiatione*, quae in urbe Nazareth fit, in circumscriptis historiae Israel adiunctis, ad quem populum primum Dei promissiones destinatae sunt. Nuntius divinus Virgini dicit: « Ave, gratia plena, Dominus tecum » *(Lc* 1, 28). Maria « turbata est et cogitabat qualis esset ista salutatio » *(Lc* 1, 29) : quid significarent singularia illa verba et, ante omnia, voces « gratia plena » *(kecharitoméne).*[21]

Si volumus cum Maria illa verba meditari et praesertim voces « gratia pliena », significantem comparationem possumus invenire in ipso loco *Epistulae ad Ephesios,*, quem supra memoravimus. Et, si post nuntium caelestis legati Virgo Nazarethana dicitur etiam « benedicta inter mulieres » (cfr. *Lc* 1, 42), hoc intellegitur ex illa benedictione, qua « Deus Pater » nos implevit « in caelis, in Christo ». Est « *benedictio spiritalis* », ad omnes homines pertinens, quae continet plenitudinem et universalitatem (« omnem benedictionem ») , qualis oritur ex amore, qui, in Spiritu Sancto, Patri iungit Filium consubstantialem. Item est benedictio per Iesum Christum in historiam hominis usque ad finem superfusa: in omnes homines. Sed *Mariam* haec benedictio *modo singulari et praecipuo*

[21] Quod attinet ad hanc vocem, inveniuntur in traditione Patrum amplae et variae interpretationes: cfr. ORIGENES, *In Lucam homiliae,* VI, 7: *S. Ch.* 87, 148; SEVERIANUS GABALORUM, *In mundi creationem, Oratio VI,* 10: *PO* 56, 497 s.; S. IOANNES CHRYSOSTOMUS (pseudo), *In Annuntiationem Deiparae et contra Arium impium: PG* 62, 765s.; BASILIUS SEIEUCIENSIS, *Oratio* 39, *In Sanctissimae Deiparae Annuntiationem, 5: PG* 85, 441-446; ANTIPATEB BOSTBENSIS, *Horn. II, In Sanctissimae Deiparae Annuntiationem,* 3-11: *PG* 85, 1777-1783; SOPHRONIUS HIEROSOLYMITANUS, *Oratio II, In Sanctissimae Deiparae Annuntiationem,* 17-19: *PG* 87/3, 3235-3240; S. IOANNES DAMASCENUS, *Horn, in Dormitionem,* I, 7: *S. Ch.* 80, 96-101; S. HIERONYMUS, *Epistola* 65, 9: *PL* 22, 628; S. AMBROSIUS, *Expos. Evang. sec. Lucam,* II, 9: *CSEL* 32/4, 45s.; S. AUGUSTINUS, *Sermo* 291, 4-6: *PL* 38, 1318s.; *Enchiridion,* 36, 11: *PL* 40, 250; S. PETRUS CHRYSOLOGUS, *Sermo* 142: *PL* 52, 579s.; *Sermo* 143: *PL* 52, 583; S. FULGENTIUS RUSPENSIS, *Epistola* 17, VI, 12: *PL* 65, 458; S. BERNARDUS, *In laudibus Virginis Matris, Homilia III,* 2-3: *S. Bernardi Opera,* IV, 1966, 36-38.

respicit. Ab Elisabeth enim est salutata ut «benedicta inter mulieres ».

In eo igitur est duplex salutationis causa, quod in anima huius « Filiae Sion » patefacta est quodammodo tota « gloria gratiae», illius videlicet qua «Pater... gratificavit nos in Dilecto ». Nuntius etenim salutat Mariam ut « gratia plenam »; sic eam vocat, quasi sit hoc verum nomen eius. Non eam vocat, quacum colloquitur, nomine eius proprio secundum censorias tabulas terrenas: « Miryam » (= Mariam), sed *hoc nomine novo:* «gratia plena». Quid hoc nomen significat? Cur archangelus sic Virginem vocat Nazarethanam?

In genere dicendi biblico « gratia » peculiare indicat donum, quod iuxta Novum Testamentum originem habet in vita trinitaria ipsius Dei, Dei qui caritas est (cfr. *1 Io* 4, 8). Huius caritatis fructus est *electio* de qua est sermo in *Epistula ad Ephesios.* Haec Dei electio est aeterna voluntas servandi homines per communicationem cum eius ipsius vita (cfr. *2 Pe* 1, 4) in Christo: est salus per communicationem vitae supernaturalis. Aeterni huius doni effectus, huius gratiae, qua homo eligitur a Deo, est quasi *germen sanctitatis,* vel fons, qui in anima hominis scaturit veluti ipsius Dei donum, qui gratia electos sanctificat et vivificat. Tali modo perficitur, id est vera fit ea benedictio hominis « cum omni benedictione spiritali », illud « filios adoptionis esse ... in Cristo », in eo videlicet, qui ex aeternitate est « Filius dilectus » Patris.

Cum legimus nuntium dicere *Mariae* verba « gratia plena », ex contexta oratione evangelica, in quam confluunt revelationes et promissiones antiquae, intellegimus hic agi de benedictione speciali inter omnes « benedictiones spiritales in Christo ». In mysterio Christi ea est *praesens* iam « ante mundi constitutionem », utpote quam Pater « elegerit » Matrem Filii sui in incarnatione et cum Patre elegerit Filius, eam Spiritui sanctitatis ex aeternitate permittens. Maria ratione omnino singulari et extraordinaria iuncta est Christo, et item

in aeternitate amatur in hoc « Filio dilecto », in hoc Filio consubstantiali Patri, in quo tota continetur « gloria gratiae ». Simul perfecte eius animus patet huic « dono de sursum » (cfr. *Iac* 1, 17). Sicut Concilium docet, Maria « praecellit inter humiles et pauperes Domini, qui salutem cum fiducia ab Eo sperant et accipiunt *n.*[22]

9. Si salutatio et nomen « gratia plena » haec omnia indicant, in contexta oratione angelici nuntii ante omnia spectant ad *electionem Mariae uti Matris Filii Dei.* Sed simul « plenitudo gratiae » totam largitionem supernaturalem indicat, qua Maria fruitur, eo quod electa et constituta est, ut Christi Mater esset. Si haec electio fundamentalis est ad perficienda Dei salvifica consilia quoad humanum genus ; si aeterna electio in Christo et destinatio ad dignitatem filiorum adoptivorum ad omnes homines pertinet, electio Mariae est omnino singularis et unica. Hinc etiam « locus » proprius et unicus quem obtinet in mysterio Christi.

Nuntius divinus ei dicit : « Ne timeas, Maria ; invenisti enim gratiam apud Deum. Et ecce concipies in utero et paries filium, et vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus et Filius Altissimi vocabitur» *(Lc **1,*** 31-32). Et cum Maria, illa singulari salutatione turbata, quaerit : « Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco », ab angelo confirmationem et explicationem antecedentium verborum accipit. Gabriel ei dicit : « *Spiritus Sanctus supervenid in te,* et virtus Altissimi obumbrabit tibi : ideoque et quod nascetur, sanctum vocabitur, Filius Dei » *(Lc* 1, 35).

Annuntiatio ergo est mysterii Incarnationis revelatio, in ipso tempore, quo illa effici incipit in terra. Donum salvificum, quo Deus se ipsum et vitam suam quodammodo universitati rerum et homini directe largitur, *in Incarnationis mysterio* unum culminum attingit; hoc enim est culmen inter omnes

Const. dogm. *Lumen Gentium* de Ecclesia, 55.

gratiarum donationes in historia hominis et mundi. Maria est « gratia plena », quia Verbi Incarnatio, unio hypostatica Filii Dei cum humana natura, in ea ipsa fit et perficitur. Ut Concilium scribit, Maria est « Mater Dei Filii, ideoque praedilecta filia Patris necnon sacrarium Spiritus Sancti, quo eximiae gratiae dono omnibus aliis creaturis, caelestibus et terrestribus, longe antecellit ».[23]

10. In *Epistula ad Ephesios,* ubi sermo est de « gloria gratiae », in qua « Deus, Pater ... gratificavit nos in Dilecto», additur : « In quo habemus redemptionem per sanguinem eius » *(Eph* ***1,*** 7). Secundum fidem, in sollemni Ecclesiae doctrina enuntiatam, haec « gloria gratiae » apparuit in Dei Matre eo quod haec est « sublimiore modo redempta ».[24] Ex divitiis gratiae Filii dilecti, ex eius meritis, ad redimendum aptis, qui Filius eius est factus, Maria est servata immunis ab hereditate peccati originalis.[25] Quare a primo temporis momento suae conceptionis, seu suae exsistentiae, ea pertinet ad Christum, eius gratiam salvificam et sanctificantem communicat eumque amorem, qui initium habet in « Dilecto », in aeterni Patris Filio, qui per Incarnationem factus est proprius eius filius. Idcirco, Spiritus Sancti virtute, in ordine gratiae, id est consortionis divinae naturae (cfr. *2 Pe* 1, 4), *Maria ab eo vitam accipit, cui* ipsa, in ordine generationis terrenae, *vitam dedit* ut mater. Liturgia non dubitat vocare eam « parentis sui parentem »[26] et iis verbis salutare, quae Dantes Alagherius in

[23] *Ibid.,* 53.

[24] Cfr. Pius PP. IX, Ep. Apost. *Inefabilis Deus* (8 Decembris 1854): *Pii IX P. M. Acta,* Pars I, 616; CONO. OEC. VAT. II, Const dogm. *Lumen Gentium* de Ecclesia, 53.

[25] Cfr. S. GERMANUS CONSTANTINOPOLITANUS, *In Annuntiationem SS. Deiparae Horn.: PG* 98, 327s.; S. ANDREAS CRETENSIS, *Canon in B. Mariae Natalem,* 4: *PG* 97, 1321 s.; *In Nativitatem B. Mariae,* I: *PG* 97, 811 s.; *Horn, in Dormitionem S. Mariae* 1: *PG* 97, 1067 s.

[26] Cfr. *Liturgia Horarum,* die 15 Augusti in sollemnitate Assumptionis B. Mariae Virginis, Hymnus ad I et II Vesperas; S. PETRUS DAMIANUS, *Carmina et preces,* XLVII: *PL* 145. 934.

ore ponit Sancti Bernardi: « figlia del tuo Figlio ».[27] Et quoniam hanc « novam vitam » Maria accipit plenitudine amoris Filii erga Matrem ideoque dignitati maternitatis divinae pari, in annuntiatione angelus eam vocat « gratia plenam ».

11. In salvifico Sanctissimae Trinitatis consilio mysterium Incarnationis est *impletio* superabundans *promissionis,* quam Deus fecit hominibus, *post peccatum originale,* post illud primum peccatum, cuius effectus totam gravant hominis historiam super terram (cfr. *Gn* 3, 15). Ecce, Filius venit in mundum, « germen mulieris », quod peccati malum radicitus u profliga vit » : « Conteret caput serpentis ». Ut patet ex verbis Protoèvangelii, Filii mulieris victoria non fiet sine aspero certamine, quod totam hominis historiam super terram pervadit. « Inimicitia », initio praenuntiata (cfr. *Gn* 3, 15), in Apocalypsi confirmatur, quae est quodammodo « liber novissimarum rerum » Ecclesiae et mundi, ubi denuo apparet signum « mulieris », nunc « amictae sole » *(Apc* 12, 1).

Maria, Verbi Incarnati Mater, *in ipso veluti centro collocatur eius inicimitiae,* illius certaminis, quod cum historia humani generis super terram et ipsa salutis historia coniungitur. In eo loco illa, quae in numero est « humilium et pauperum Domini », in se continet, ut nemo alius hominum, eam « gloriam gratiae», quam Pater dedit nobis in Filio suo dilecto»; qua in *gratia posita est singularis magnitudo et pulchritudo* totius eius quod est ipsa. Hinc Maria coram Deo et etiam coram toto genere humano signum manet immutabile et inviolabile electionis Dei, de qua *Epistula* Pauli loquitur: « In Christo ... elegit nos ante mundi constitutionem, ... qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum » *(Eph* 1, 4, 5). Haec electio potior est quam omnis experientia mali mundi et peccati, quam tota illa « inimicitia », qua hominis historia terrena signatur. In qua historia Maria est firmae spei signum.

[27] *Divina Commedia, Paradiso,* XXXIII, 1; cfr. *Liturgia Horarum,* Memoria Sanctae Mariae in Sabbato, Hymnus alter ad Officium Lectionis.

12. Statim post narratam annuntiationem Lucas Evangelista deducit nos post Virginem Nazarethanam euntem « in civitatem Iudae » *(Lc* 1, 39). Studiosorum sententia haec civitas esse videtur Ain-Karim, ut nunc appellatur, intra montes posita, non longe a Ierusalem. Eo Maria venit « cum festinatione », *ut salutaret Elisabeth,* cognatam suam. Salutationis causa in eo est etiam quaerenda, quod in annuntiatione Gabriel significanter Elisabeth nominaverat, quae potentia Dei in senecta filium e Zacharia marito conceperat: « Elisabeth cognata tua et ipsa concepit filium in senecta sua, et hic mensis est sextus illi, quae vocatur sterilis : quia *non erit impossibile apud Deum omne verbum* » *(Lc* 1, 36-37). Nuntius divinus mentionem fecerat eventus, qui in Elisabeth factus est, ut interrogationi Mariae responderet: « Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? » *(Lc* 1, 34). Ecce, hoc fiet ipsa « virtute Altissimi », sicut in Elisabeth et quidem magis quam in ea.

Maria igitur, caritate incitata, ad domum se confert cognatae suae. Cum intrat, Elisabeth, salutem reddens, infantem exsultare sentiens in utero suo, « repleta Spiritu Sancto », *resalutat Mariam* voce magna: « Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ven tris tui » *(Lc* 1, 42). Haec Elisabeth exclamatio vel acclamatio prece *Ave Maria* est deinde comprehensa, uti salutationis angeli continuatio, et facta una ex creberrimis Ecclesiae precibus. Sed plus etiam significant verba Elisabeth in insequenti interrogatione: « Unde hoc mihi, ut veniat *Mater Domini mei* ad me? » *(Lc* 1, 43). Elisabeth testimonium perhibet Mariae: affirmat et agnoscit coram se esse Matrem Domini, Matrem Messiae. Ad hoc testimonium accedit etiam filius, quem Elisabeth portat in utero: « Exsultavit in gaudio infans in utero meo » *(Lc* 1, 44). Infans est futurus Ioannes Baptista, qui apud Iordanem Iesum pronuntiavit Messiam.

Omne verbum salutationis Elisabeth est significatione pie-

num, et tamen *maximi momenti* esse videtur, quod ad ultimum dicitur : « *Et beata, quae credidit,* quoniam perficientur in ea, quae dicta sunt ei a Domino » *(Lc* 1, 45).[28] Haec verba comparari possunt cum appellatione « gratia plena » salutationis angelicae. Uterque textus essentialem sententiam mariologicam ostendit, id est veritatem de Maria, quae vere facta est praesens in mysterio Christi, quia videlicet «credidit)). Plenitudo gratiae, ab angelo nuntiata, donum significat ipsius Dei; *fides Mariae,* ab Elisabeth in salutatione declarata, indicat *quomodo* Virgo Nazarethana *huic dono responderit.*

13. « Deo revelanti praestanda est "oboeditio fidei" *(Rom* 16, 26; cfr. *Rom* 1, 5; *2 Cor* 10, 5-6) qua homo se totum libere Deo committit » ut docet Concilium.[29] Sane haec fidei dispositio perfecta est in Maria. Tempus « decretorium » fuit annuntiatio, et ipsa verba Elisabeth : « Et beata, quae credidit », ad hoc ipsum temporis momentum imprimis referuntur.[30]

Etenim in annuntiatione Maria *totam Deo se commisit,* ostendens « oboeditionem fidei » erga eum, qui per suum nuntium loquebatur ei, et praestans « plenum intellectus et voluntatis obsequium » .[31] Respondit igitur *tota sua persona humana, femínea;* qua fidei responsione continebantur perfecta cooperatio cum « gratia, quae praevenit et succurrit », et perfecta inclinatio ad actionem Spiritus Sancti, qui « fidem iugiter per dona sua perficit » .[32]

[28] Cfr. S. AUGUSTINUS, *De Sancta Virginitate,* III, 3: *PL* 40, 398; *Sermo* 25, 7: *PL* 46, 937 s.

[29] Const. dogm. *Dei Verbum* de Divina Revelatione, 5.

[30] Notissimum est hoc argumentum a sancto Irenaeo iam pertractatum: «Sicut enim per inoboedientem virginem percussus est homo praecepsque datus interiit, ita sane per Virginem Dei verbo oboedientem homo regeneratus vitam accepit per vitam ... Expedivit enim decuitque... Evam « recapitulan » in Maria ut Virgo virginis effecta patrona disiceret ac deleret virginalem inoboedientiam per oboedientiam virginalem»: *Expositio praedicationis apostolicae,* 33: *S. Ch.* 62, 83-86; cfr. etiam *Adversus Haereses,* V, 19, 1: S. *Ch.* 153, 238-250.

[31] CONC. OEC.'VAT. II, Const. dogm. *Dei Verbum* de Divina Revelatione, 5.

[32] *Ibid.,* 5; cfr. Const. dogm. *Lumen Gentium* de Ecclesia, 56.

Verba Dei vivi, Mariae ab angelo nuntiata, ad eam ipsam pertinebant: « Ecce, concipies et paries filium » *(Lc* 1, 31). Maria, hunc nuntium accipiens, facta est « Mater Domini », in eaque divinum Incarnationis mysterium impletum: « Voluit misericordiarum Pater, ut acceptatio praedestinatae matris incarnationem praecederet ».[33] Maria, his omnibus auditis nuntii verbis, assentitur. Dicit: « Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum » *(Lc* 1, 38). Illud Mariae *fiat* — fiat mihi — effecit ut pro parte humana mysterium divinum perageretur. Plene convenit cum verbis Filii, qui secundum *Epistulam ad Hebraeos,* ingrediens in mundum, dicit Patri: « Hostiam et oblationem noluisti, *corpus autem aptasti mihi...* Ecce venio ... ut faciam, Deus, voluntatem tuam» *(Heb* 10, 5-7). Incarnationis mysterium perfectum est, postquam Maria illud suum dixit *fiat:* « Fiat mihi secundum verbum tuum », faciens, quantum in ipsa erat iuxta divinum consilium, ut voluntas Filii sui exaudiretur.

Maria hoc *fiat* pronuntiavit *per fidem.* Per fidem se Deo commisit sine ulla exceptione et « semetipsam ut Domini ancillam, personae et operi Filii sui totaliter devovit ».[34] Hunc autem Filium concepit — sicut Patres docent — prius in mente, quam in utero: per ipsam fidem.[35] Iure ergo Elisabeth laudat Mariam in salutatione: « Et beata, quae credidit, *quoniam perficientur* ea, quae dicta sunt ei a Domino ». Verba haec iam impleta sunt: Maria Nazarethana ad limen adest domus Elisabeth et Zachariae ut Mater Dei Filii. Quod Elisabeth laetitia gestiens perspicit: «Mater Domini mei venit ad me!».

14. Quare etiam fides Mariae *comparari potest cum fide Abrahae,* quem Apostolus vocat « fidei patrem nostrum » (cfr.

[33] CONC. OEC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen Gentium* de Ecclesia, 56.

[34] *Ibid.,* 56.

[35] Cfr. *ibid.,* 53; S. AUGUSTINUS, *De Sancta Virginitate,* III, 3: *PL* 40, 398; *Sermo* 215, 4: *PL* 38, 1074; *Sermo* 196, I: *PL* 38, 1019; *De peccatorum meritis et remissione,* I, 29, 57: *PL* 44, 142; *Sermo* 25, 7: *PL* 46, 937s.; S. LEO MAGNUS, *Tractatus* **21,** *de natale Domini,* I: *CCL* 138, 86. ..

Rom A, 12). In dispensatione salvifica revelationis Dei Abrahae fides initium est Veteris Foederis; fides Mariae in annuntiatione initium est Novi Foederis. Sicut Abraham « *contra spem in spe credidit,* ut fieret pater multarum gentium » (cfr. *Rom* 4, 18), ita Maria in annuntiatione, virginitatem suam professa (« quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? ») *credidit* se virtute Altissimi, Spiritus Sancti virtute, Matrem Filii Dei fore secundum angeli revelationem: «Quod nascetur, sanctum vocabitur, Filius Dei » *(Lc* 1, 35).

Verba tamen Elisabeth : « Et beata, quae credidit » non attinent tantum ad illud peculiare annuntiationis tempus. Hoc est sane tempus potissimum fidei Mariae in exspectatione Christi, sed initium est etiam, unde proficiscitur totum eius « iter ad Deum », totum eius iter fidei. Et in hoc itinere, eminenti et vere heroum modo, certe — quin, maiore semper cum fortitudine fidei — perficietur « oboeditio », ab ea verbo divinae revelationis praestita. Haec Mariae « oboeditio fidei » per totum eius iter, singulariter fidei Abrahae similis fuit. Sicut Populi Dei patriarcha, ita et Maria, ambulans secundum illud *fiat,* cui more filiae et matris inhaesit, « contra spem in spe credidit ». Praesertim in aliquibus huius itineris veluti stationibus benedictio, data ei « quae credidit », peculiari vi est patefacta. Credere est « se committere » ipsi veritati verbi Dei vivi, sciendo et humiliter cognoscendo : « quam incomprehensibilia sunt iudicia eius et *investigabiles viae eius » (Rom* 11, 33). Maria, quae, aeterna Altissimi voluntate, in mediis illis ut dici licet, Dei « investigabilibus viis » et « incomprehensibilibus iudiciis » fuit, se iis accommodât in umbra fidei suae plene ac libenti animo accipiens omnia quae in divino consilio statuuntur.

15. Maria cum in annuntiatione sermonem audit de Filio, cuius Genetrix fiet cuiusque « nomen vocabit Iesum » (id est Salvatorem), cognoscit etiam Filio suo « Dominum daturum

sedem David Patris eius », eumque « regnaturum super domum Iacob in aeternum, et regni eius non fore finem » (cfr. *Lc* 1, 31). Ad hanc rem ferebatur spes universi Israel. Messias promissus, « magnus » erit, et etiam nuntius caelestis affirmat eum « magnum » futurum — magnum tum ob *Filii A Itissimi* nomen, tum ob *David hereditatem* aditam. Rex igitur erit, regnabit « super domum Iacob ». Maria, in his populi sui exspectationibus crevit: poteratne, in annuntiatione, intellegere quam essentiale momentum haberent angeli verba? Quomodo intellegendum illud « regnum », cuius « non erit finis? ».

Quamvis per fidem se tunc sentiret Matrem « Messiae-Regis », tamen respondit: « Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum » *(Lc* 1, 38). Iam inde a primo temporis momento Maria imprimis « oboeditionem fidei » est professa, sensui arcano se credens, quem annuntiationis verbis tribuit ille, a quo manaverunt: ipse Deus.

16. In hoc continenti « oboeditionis fidei » itinere Maria paulo post *alia verba* audit, quae *Simeon* in templo Hierosolymitano dixit. Iam Iesus quadraginta dies natus erat, cum iuxta praescriptum Legis Moysis, Maria et Ioseph « tulerunt illum in Hierosolymam, ut sisterent eum Domino » *(Lc* 2, 22). Ortus eius in maxima paupertate evenerat. Audimus enim a Luca, cum describeretur universus orbis edicto auctoritatum Romanarum, Mariam ascendisse cum Ioseph in civitatem Bethlehem et, quia non erat eis « locus in diversorio » *peperisse Filium suum in stabulo* « et reclinasse in praesepio » (cfr. *Lc* 2, 7).

Homo iustus et timoratus, cui nomen Simeon, initio illo apparet « peregrinationis fidei » Mariae. Eius verba, a Spiritu Sancto inspirata (cfr. *Lc* 2, 25-27), veritatem annuntiationis confirmant. Legimus enim illum « accepisse in ulnas suas » infantem, cuius « nomen vocatum est Iesus » *(Lc* 2, 21), secundum angeli iussum. Simeonis sermo consentaneus est significationi huius nominis, quod idem valet ac Salvator: « Deus

est salus». Alloquens Dominum dicit: «Viderunt oculi mei *salutare* tuum, quod parasti *ante faciem omnium populorum^* lumen ad revelationem gentium et gloriam plebis tuae Israel » *(Lc* 2, 30-32). Simul autem Mariam affatur Simeon his verbis: ((Ecce positus est hic in ruinam et resurrectionem in Israel et in *signum, cui contradicetur* », et addit « Et tuam ipsius animam pertransiet gladius ... ut revelentur ex multis cordibus cogitationes » *(Lc* 2, 34-35). Verba Simeonis in novam lucem proferunt nuntium, quem Maria ab angelo audivit: Iesum esse Salvatorem, esse « *lumen* ad revelationem » hominum. Nonne is est, qui se ostendit, quodam modo, nocte Natalis, cum ad praesepium *pastores* venerunt? (cfr. *Lc* 2, 8-20). Nonne is est, qui se magis manifestavit, cum *Magi ab oriente* venerunt? (cfr. *Mt 2,* 1-12). Simul autem, iam a vitae suae initio, Filius Mariae et Mater cum eo, experti sunt in se veritatem reliquorum Simeonis verborum : « Signum, cui contradicetur » *(Lc* 2, 34). Simeonis nuntius *alter* videtur *nuntius Mariae patefactus,* quia significat ei veram rationem historicam, in qua Filius suum explebit munus, id est in ignoratione et in dolore. Si eiusmodi nuntius hinc fidem eius confirmat effectionis divinarum salutis promissionum, illinc ei revelat etiam sibi oboeditionem suam esse exercendam in dolore cum Salvatore patiente et eius maternitatem obscuram fore et acerbam. Etenim post Magorum salutationem, post eorum obsequium (« procidentes adoraverunt eum »), post munerum oblationem (cfr. *Mt* 2, 11), Mariae cum infante *fugiendum est in Aegyptum** sedulo tuente Ioseph, quia « futurum erat ... ut Herodes quaereret puerum ad perdendum eum » (cfr. *Mt* 2, 13). Et in Aegypto fuit eis manendum usque ad obitum Herodis (cfr. *Mt* 2, 15).

17. Mortuo Herode, cum sancta Familia Nazareth revertitur, longum incipit *vitae absconditam tempus.* Illa, quae « credidit quoniam perficientur ea, quae dicta sunt ei a Domino »

(Lc 1, 45), cotidie ex sensu horum verborum vivit. Cotidie apud eam est Filius, *cuius nomen vocavit Iesum:* ideo, sine ulla dubitatione, in consuetudine cum eo, hoc nomine utitur, quod ceterum mirationem nemini inicere poterat, utpote iamdiu usitatum in Israel. Scit tamen Maria eum, cui nomen est *Iesus,* vocatum esse ab angelo « Filium Altissimi » (cfr. *Lc* 1, 32). Novit Maria se illum concepisse et peperisse « viro non cognito », de Spiritu Sancto, virtute Altissimi, qui ei obumbraverat (cfr. *Lc* 1, 35), sicut nubes temporibus Moysis et Patrum praesentiam Dei contegebat (cfr. *Ex* 24, 16; 40, 34-35; *1 Reg* 8, 10-12). Maria ergo scit Filium, modo virginali a se partum, vere esse illum « Sanctum », « Filium Dei », de quo angelus ei erat locutus.

Annis vitae absconditae Iesu in domo Nazarethana, etiam *vita Mariae* « abscondita est cum Christo in Deo » (cfr. *Col* 3, 3) *per fidem.* Fides enim est necessitudo cum mysterio Dei. Maria constanter, cotidie coniungitur cum inenarrabili mysterio Dei, qui factus est homo; quod mysterium excedit omnia, quae revelata sunt in Vetere Testamento. Inde ab annuntiatione mens Virginis introducta est in potissimam « novitatem » revelationis, qua se ipsum Deus revelavit, et facta conscia mysterii. Ea prima est eorum « parvulorum », de quibus olim Iesus erat dicturus: «Pater, ... abscondisti haec a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis » *(Mt* 11, 25). Nam, « nemo novit Filium nisi Pater » *(Mt* 11, 27). Quo modo igitur potest Maria « Filium cognoscere? ». Certe, non ita eum cognoscit, sicut Pater; et tamen *prima est inter eos quibus Pater* « illum voluit revelare » (cfr. *Mt* 11, 26-27; *1 Cor* 2, 11). Sed si iam inde ab annuntiatione ei revelatus est Filius, quem solus Pater plene cognoscit, quippe qui eum in aeterno « hodie » gignat (cfr. *Ps* 2, 7), Maria, Mater, iungitur veritati Filii tantum in fide et per fidem! Est ergo beata, quia « credidit », et *cotidie credit,* in omnibus laboribus et in rebus adversis aetatis infantiae Iesu et deinceps annis vitae eius absconditae

in civitate Nazareth, ubi « erat subditus illis » *(Lc* 2, 51) : subditus Mariae et etiam Ioseph, quia hic vice patris fungebatur coram hominibus; quapropter ipse filius Mariae a vulgo « filius fabri » *(Mt* 13, 55) habebatur.

Mater *illius Filii* ergo sibi in annuntiatione dicta reminiscens et in subsequentibus eventibus, secum fert potissimam « novitatem » fidei : *initium Novi Foederis.* Initium est hoc Evangelii, seu boni, laeti nuntii. Non est autem difficile in illo initio animadvertere *peculiarem cordis laborem,* iunctum cuidam <(noeti fidei » (ut verbis utamur sancti Ioannis a Cruce), quasi « velum », per quod oportet Invisibile adire et in mysterii necessitudine ducere vitam.[36] Hoc namque modo Maria multos annos *in necessitudine mysterii Filii sui* permansit, et in sua « fidei peregrinatione » processit, dum Iesus « proficiebat sapientia ... et gratia apud Deum et homines » *(Lc* 2, 52). Magis in dies videbatur oculis hominum Deus in eo sibi potissimum compiacere. Prima harum creaturarum humanarum, quibus concessum est Christum perspicere, fuit Maria, quae cum Ioseph in ipsius domo Nazarethana vivebat.

Tamen, cum inventus in templo et interrogatus a Matre: « Cur fecisti nobis sic? », Iesus, duodecim annos natus, respondit : <(Nesciebatis quia in his, quae Patris mei sunt, oportet me esse? », Evangelista addit: « Et ipsi (Ioseph et Maria) non intellexerunt verbum » *(Lc* 2, 48-50). Iesus igitur conscius sibi erat « a solo Patre cognosci Filium » (cfr. *Mt* 11, 27), adeo ut vel ea, cui altius revelatum erat mysterium eius filiationis, nempe Mater, per solam fidem huic mysterio adhaerens vitam egerit ! Cum Filio sub eodem tecto vivens « suamque unionem cum Filio fideliter sustinens », ea « *in peregrinatione fidei procedebat* », ut Concilium illustrat.[37] Et ita factum est etiam in vita publica Christi (cfr. *Me* 3, 21-35), unde in dies compleba-

[36] Cfr. *Subida del Monte Carmelo,* 1. II, cap. 3, 4-6.

[37] Cfr. Const. dogm. *Lumen Gentium* de Ecclesia, 58.

tur in ea benedictio ab Elisabeth in salutatione enuntiata: « Beata, quae credidit ».

18. Suae autem significationis abundantiam consequitur eadem haec benedictio *sub Filii sui Cruce consistente Maria* (cf. *Io* 19, 25). Hoc accidisse docet Concilium « non sine divino consilio » : « vehementer cum Unigenito suo condoluit et sacrificio Eius se materno animo sociavit, victimae de se genitae immolationi amanter consentiens » ; quo pacto Maria « suam ... unionem cum Filio fideliter sustinuit usque ad Crucem » :[38] ex fide videlicet unionem, qua eadem fide angeli percepit revelationem annuntiationis tempore. Tunc etiam dici sibi audivit: «erit magnus..., dabit illi *Dominus Deus* sedem David patris eius..., regnabit super domum Iacob in aeternum, et regni eius non erit finis » *(Lc* 1, 32-33).

At ecce, sub Cruce stans Maria testis ipsa est, secundum hominum rationem, absolutae *negationis horum verborum.* Supra lignum istud agit iamiam animam Filius eius veluti reus. « Despectus erat et novissimus virorum, vir dolorum despectus, unde nec reputabamus eum » . . . quasi plagatum {cfr. *Is* 53, 3-5). Quam ergo praestans quamque heroica est *« oboeditio fidei »,* quam Maria erga « incomprehensibilia iudicia » Dei (cfr. *Rom* 11, 33) exhibuit! Ut sine ulla condicione se « Deo committit "plenum ... intellectus et voluntatis obsequium" praestando » ,[39] cuius sunt « investigabiles viae » (cfr. *Rom* 11, 35)! Quam simul potens gratiae est operatio eius in anima, quam efficiens Spiritus Sancti virtus ipsiusque lucis ac roboris !

Per hanc fidem funditus Christo coniungitur Maria illius in spoliatione. Etenim Iesus Christus, « cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudi-

[38] *Ibid.,* 58.

[39] CONC. OEC. VAT. II, Const. dogm. *Dei Verbum* de Divina Revelatione, 5.

nem hominum factus » ; omnino in ipso Calvariae loco « humiliavit semetipsum factus oboediens usque ad mortem, mortem autem Crucis » (cfr. *Philp* 2, 6-8). Atque ad Crucis radices, Maria per fidem communicat spoliationis huius conturbans mysterium. Haec forsan altissima sit *fidei « kenosis »* in hominum generis historia. Per fidem Mater Filii mortem participat, mortem scilicet redemptricem; verum contra atque fugientium discipulorum, fides haec multo magis erat illuminata. In loco Golgothae Iesus semel in sempiternum per Crucem confirmavit se « signum contradictionis » esse, a Simeone praenuntiatur^ Eodem vero tempore sunt voces illae impletae, quas Mariae ille protulerat : « et tuam ipsius animam pertransiet gladius » *(Lc* 2, 35).[40]

19. Ita revera, « beata, quae credidit » ! Hae voces, quas Elisabeth post annuntiationem est elocuta, illic sub Cruce resonare videntur summa quadam eloquentia earumque vis intus inclusa pertrahit omnia. E Cruce, hoc est ex intima maxime ipsa redemptionis mysterii parte, radius dimittitur dilataturque prospectus benedictionis eiusdem fidei. « Iam inde ab initio » ac, velut sacrificii Christi, novi Adami, communicatio, fit aliquo modo *contrarium momentum sive pondus illius inoboedientiae atque incredulitatis,* quam protoparentum prae se fert peccatum. Sic quidem Ecclesiae Patres docent nominatimque sanctus Irenaeus, in Constitutione *Lumen Gentium* adductus in medium : « Hevae inoboedientiae nodum solutionem accepisse per oboedientiam Mariae; quod alligavit virgo Heva per incredulitatem, hoc virginem Mariam *solvisse per fidem* ».[41] Secundum hanc eandem comparationem cum Heva ipsi Patres, prout item monet Concilium, vocitant Mariam « matrem viven-

[40] De participatione seu « compassione » Mariae cum Christi morte, cfr. S. BERNARDUS, *In Dominica infra octavam Assumptionis Sermo,* 14: *S. Bernardi Opera,* V, 1968, 273.

[41] S. IRENAEUS, *Adversus Haereses,* III, 22, 4: *S. Ch.* 211, 438-444; cfr. Const. dogm. *Lumen Gentium* de Ecclesia, 56, nota 8.

tium » crebriusque inculcant: « mors per Hevam, vita per Mariam ».[42]

Merito propterea possumus nos in illa dictione: « Beata, quae credidit », *tamquam clavem* reperire unde ultimum illud de Maria verum recludatur, de ea nempe quae annuntiationis tempore ab angelo est salutata «gratia plena». Si vero uti « gratia plena » ab aeterno tempore Christi interfuit mysterio, per fidem dein participabat ipsius terrestre iter secundum totam eius amplitudinem: « in peregrinatione fidei processit » simulque aliquo more prudenti at directo et efficaci hominibus repraesentavit *Christi mysterium.* Nec nunc quidem id facere cessat. Per Christi autem mysterium ipsa etiam praesens adest inter homines. Sic per Filii mysterium illuminatur quoque mysterium Matris.

20. Lucae Evangelium enarrat temporis illud momentum, quo « extollens vocem quaedam mulier de turba dixit » Iesum alloquens: « *Beatus venter, qui te portavit, et ubera, quae suxisti* » *(Lc* 11, 27). Laudationem sane Mariae uti Iesu genetricis haec verba complectebantur, matris videlicet eius secundum carnem. Mater Iesu fortasse ab illa muliere de facie non noscebatur. Ingredientem enim opus messianicum Iesum Maria non est sectata, sed suo oppido Nazareth permansit. Dici ferme possunt voces illius mulieris quodam modo fecisse ut ex arcano ea tectoque prodiret.

Iis resonantibus verbis in mediam multitudinem, unum saltem temporis momentum, emicuit infantiae Iesu Evangelium. Evangelium enim est, ubi comparet Maria ut mater, quae Iesum in utero concipit, parit natumque materno alit affectu: mater-nutrix, quam illa mulier de turba indicavit. *Per hanc maternitatem Iesus* — Filius Altissimi (cfr. Lc 1, 32) — verus est *Filius hominis.* « Caro » est ut quisque homo: est

[42] Cfr. Const. dogm. *Lumen Gentium* de Ecclesia, 56 et Patres ibidem memor, ad notas 8 et 9.

a Verbum, (quod) caro factum est » *(Io* 1, 14). Caro Mariae est sanguisque ![43]

Ad illam vero benedictionem, quam eadem mulier in eius matrem nutricemque secundum carnem, pronuntiat, respondet Iesus modo singulari : « Quin immo beati, *qui audiunt verbum Dei et custodiunt » (Lc* 11, 28). Animos audientium abstrahere studet a maternitate, quae dumtaxat veluti carnis quoddam accipitur vinculum ut ad arcana potius dirigat spiritus vincula, quae ex ipso Dei verbo auscultando observandoque enascuntur.

Eadem vero translatio in spiritualium bonorum regionem clarius etiam demonstratur in alia quadam Iesu responsione, quam singuli Synoptici afferunt. Cum enim Iesu renuntiatur : ((Mater tua et fratres tui stant foris volentes te videre », respondet : « *Mater mea et fratres mei hi sunt, qui verbum Dei audiunt et faciunt* » (cfr. *Lc* 8, 20-21). Quod dixit « circumspiciens eos, qui in circuitu eius sedebant », prout apud Marcum legitur *(Me* 3, 32-34), vel secundum Matthaeum *{Mt* 12, 47-49) « extendens manum suam in discipulos ».

Hae elocutiones videntur *coniungi cum responsione ipsa, quam Iesus duodecim annos natus* Mariae et Ioseph reddidit, postquam in templo Hierosolymitano est tribus post diebus repertus. Cum vero a Nazareth recessisset in omnique Palaestina vitam inchoavisset publicam suam, Iesus iam *totus ipse occupabatur ac solum « in his quae Patris... sunt* » (cfr. *Lc* 2, 49). Regnum praedicabat: « Regnum Dei » et « quae Patris sunt », quae quidem novum prospectum efficiunt ac sensum eorum omnium, quae humana sunt, proindeque cuiusvis item vinculi humani, quod spectat ad proposita muniaque cuique homini commissa. Vinculum etiam aliquod, uti « fraternitas », hoc novo in prospectu aliud quiddam significat quam « fraternitatem secundum carnem », constitutam scilicet ex communi origine eorundem parentum. Quin immo ipsa quoque « *mater-*

[43] « Veritas Christus in mente Mariae, caro Christus in ventre Mariae » : S. AUGUSTINUS, *Sermo* 25 *(Sermones inediti),* 7: *PL* 46, 938.

nitas », ex eodem Regni Dei prospectu, intra paternitatis Dei ipsius fines iam aliquid aliud significat. Dictis, quae profert Lucas, Iesus tradit hunc ipsum novum maternitatis sensum.

Siccine ab illa Is amovetur, quae eius fuit genetrix secundum carnem? Vultne fortasse eam in tenebris derelinquere illius secessus, quem ipsa elegit? Licet ita res se habere videatur ex illorum sermonum sonitu, sciendum tamen est novam illam diversamque maternitatem, de qua cum discipulis Iesus loquatur, Mariam omnino insigniter tangere. Nonne enim *Maria prima eminet inter eos « qui verbum Dei audiunt et faciunt* »? Nonne igitur illam imprimis respicit ea benedictio, quam enuntiavit Iesus, cum mulieris ignotae vocibus respondit? Nihil profecto dubii quin idcirco Maria benedictione sit dignissima, quod Iesu Mater secundum carnem est effecta (« Beatus venter, qui te portavit, et ubera, quae suxisti »), verum etiam ac potissimum quod iam ipso annuntiationis tempore Dei verbum suscepit, quoniam ei credidit, *quia Deo oboedivit,* quandoquidem « conservabat » verbum « conferens in corde suo » (cfr. *Lc* 1, 38. 45; 2, 19. 51), et tota vita sua complebat. Affirmari par ergo est a Iesu prolatam benedictionem neutiquam adversari, quantumvis sic rerum videantur species, alteri illi benedictioni, quam sine nomine mulier expresserit, sed cum hac illam convenire in persona ipsa huius Matris-Virginis, quae se solum «ancillam Domini» (cfr. *Lc* 1, 38) nuncupaverit. Si verum illud est: « beatam eam dicent omnes generationes » (cfr. *Lc* 1, 48), dici potest illam sine nomine mulierem primam, licet nescientem, praesagum illum confirmavisse versiculum cantici *Magnificat* Mariae principiumque indere cantico *Magnificat* omnium saeculorum.

Si *per fidem* Maria evasit genetrix Filii, a Patre sibi in Spiritus Sancti virtute concessi, virginitatem conservans integram, eadem profecto in fide *detexit recepitque ea alteram maternitatis rationem,* a Iesu, progrediente messianico opere, patefaciant Quae quidem maternitatis ratio, ut affirmari licet, ad

Mariam inde ab initio pertinuit, a tempore videlicet ipso conceptus Filiique ortus. Iam exinde erat « quae credidit ». Paulatim vero oculis eius et animo messianica patescente huius Filii missione, ipsa ut Mater magis se magisque *aperiebat illi maternitatis « novitati »*, quae eius iuxta Filium « partem » effecit. Nonne principio iam, id est annuntiationis tempore, dixerat: « Ecce ancilla Domini; fiat mihi secundum verbum tuum » *(Lc* 1, 38) ? Maria pergebat audire expendereque illud verbum, quo lucidiorem usque sese reddebat, ratione quadam, « quae supereminet scientiae » omni (cfr. *Eph* 3, 19), ipsa patefacta sui ipsius Dei vivi. Fiebat ita *certo quodam sensu prima Filii sui « discipula »* mater Maria, cui primae is mandare videbatur: « Sequere me », prius etiam quam idem apostolis praeciperet aut cuivis alii (cfr. *Io* 1, 43).

21. Hac in re admodum eloquens est *Evangelii Ioannis* locus, ubi exhibetur nobis Maria nuptiis Canae adsistens. Illic enim Maria, uti Iesu Mater, comparet, ineunte ipsius publica vita: *« Nuptiae* factae sunt *in Cana Galilaeae,* et erat mater Iesu ibi; vocatus est autem et Iesus et discipuli eius ad nuptias » *(Io* 2, 1-2). Quibus e vocibus consequi videtur ut Iesus eiusque discipuli una cum Maria sint invitati, velut ob huius participationem eiusdem celebritatis : Filius invitatus esse videtur propter matrem. Nota autem est consecutio eventuum, cum ea invitatione iunctorum, scilicet « initium signorum » a Iesu patratorum — aqua in vinum conversa — unde addit Evangelista : « Iesus ... manifestavit gloriam suam, et crediderunt in eum discipuli eius » *(Io* 2, 11).

Maria adest in Cana Galilaeae ut *Iesu Mater* ac significanter quidem *adiuvat* hoc « initium signorum », quae Filii messianicam eius potentiam commonstrant. Ecce: « Deficiente vino, dicit mater Iesu ad eum: "Vinum non habent". Et dicit ei Iesus: "Quid mihi et tibi, mulier? Nondum venit hora mea" » *(Io* 2, 3-4). In Ioannis Evangelio illa « hora » tempus ipsum

significat a Patre praestitutum, quo opus suum perficit Filius estque ipse glorificandus (cfr. *Io* 7, 30; 8, 20; 12, 23. 27; 13, 1; 17, 1; 19, 27). Tametsi Iesu responsio matri reddita sonare videtur aliquid repudiationis (praesertim si abrupta respicitur affirmatio, potius quam interrogatio; id est « Nondum venit hora mea »), nihilo tamen minus conversa Maria alloquitur ministros, quibus mandat : « Quodcumque dixerit vobis, f acite » *(Io* 2, 5). Iubet inde Iesus administros implere hydrias aqua fitque ea vinum illo sane melius, quod erat ante con vi vis praebitum ad nuptiales dapes.

Quae intima fuit inter Iesum matremque ipsius consensio? Quomodo exploran potest eorum mysterium intimae coniunctionis spiritualis ? Res tamen diserta est ipsa. Constat eo eventu iam satis luculenter effingi *novam rationem* sensumque novum *maternitatis Mariae.* Vim enim significantem prae se fert, quae non solis continetur Iesu dictis nec variis eventis, quae Synoptici referunt *(Lc* 11, 27-28 et *Lc* 8, 19-21; *Mt* 12, 46-50; *Me* 3, 31-35). Iesus his locis ante omnia obicere vult maternitatem, proficiscentem ex ipso facto nativitatis, iis omnibus, quae haec « maternitas » (haud secus ac « fraternitas ») significet oportet ex ratione Regni Dei atque in salvifico paternitatis Dei ipsius ambitu. Atqui in textu Ioannis, dum perscribitur eventus qui in Cana accidit, declaratur re vera id quod ut nova maternitas designatur secundum spiritum nec solum secundum carnem, nominatim *Mariae sollicitudo erga homines,* adiutorium eius in illorum necessitatibus, pro tota complectione illorum inopiae et indigentiae. In Cana Galilaeae indicatur unum dumtaxat hominum necessitatis latus, primo intuitu exiguum parvique momenti («vinum non habent»). Verum vim habet symboli: occurrere hominis necessitatibus simul idem est atque inducere eum ipsum in muneris messianici circuitum ac salutiferae Christi virtutis. Habetur igitur hic mediatio : mediam sese collocat Maria inter Filium suum atque homines in vera ipsorum condicione privationum et inopiarum et dolorum. « *Media* » *consistit,* id est

mediatricem agit haud sane ut aliena, sed in suo matris statu; novit enim ut talem se posse — vel immo potius « sibi licere » — Filio hominum exponere necessitates. Indolem ergo intercessionis exhibet eius mediatio : Maria pro hominibus « intercedit ». Neque id dumtaxat: ut Mater *item messianicam Filii virtutem palam fieri cupit,* salutarem nempe potentiam eo spectantem ut hominum subveniat miseriae utque a malo hominem expediat, quod variis rationibus ac modis ipsius vitam affligit. Perinde omnino ac propheta Isaias de Messia praedixerat percelebri loco, quem coram popularibus suis Nazareth Iesus invocavit : « evangelizare pauperibus, ... praedicare captivis remissionem et caecis visum . . . » *(Lc* 4, 18).

Alia pernecessaria materni muneris Mariae pars deprehenditur in vocibus illis, ad ministros directis: « Quodcumque dixerit vobis, facite ». Christi *Mater* coram hominibus se praebet uti *voluntatis Filii interpretem,* indicem earum necessitatum, quae sunt procurandae ut salvifica Messiae virtus comprobetur. Deprecante ideo Maria in Cana obtemperantibusque administris, Iesus initium facit « suae horae ». In Cana comparet Maria tamquam *credens in Iesum* : evocat eius fides primum Iesu « signum » adiuvatque ut discipulorum excitetur fides.

22. Quam ob rem asseverari licet in hac Evangelii Ioannis pagina primam quasi quandam adumbrationem veritatis reperiri de materna Mariae diligentia. Quae proinde veritas pronuntiata etiam est *in novissimi Concilii magisterio,* ac magni interest animadverti Mariae officium maternum ab eo collustrari secundum ipsius cum Christi mediatione coniunctionem. Etenim ibidem legimus : « Mariae autem maternum munus erga homines hanc Christi unicam mediationem nullo modo obscurat nec minuit, sed virtutem eius ostendit », quoniam « unus et Mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus » *(1 Tim* 2, 5). Hoc opus ex Dei profluit beneplacito, « ex super abundantia

meritorum Christi, Eius mediationi innititur, ab illa omnino dependet, ex eademque totam virtutem haurit N.[44] Ita plane eventus in Cana Galileae paene praebet nobis *praenuntiationem Mariae intercessionis,* quae vertitur tota in Christum tenditque ad illius aperiendam salutiferam virtutem.

Ioannis ex loco elucet de materna agi mediatione. Sicut effert Concilium: Maria « mater nobis in ordine gratiae exstitit ». Haec in gratiae ordine maternitas ex ipsa eius divina maternitate est profecta: quandoquidem divinae providentiae consilio mater ac nutrix fuit Redemptoris, facta etiam est « singulariter prae aliis generosa socia, et humilis ancilla Domini », quae « operi Salvatoris ... cooperata est, oboedientia, fide, spe et flagrante caritate, ad vitam animarum supernaturalem restaurandam ».[45] « Haec autem *in gratiae oeconomia maternitas Mariae* indesinenter perdurat ... usque ad perpetuam omnium electorum consummationem ».[46]

23. Si Ioannis Evangelii narratio de eventu in Cana maternitatem Mariae sollicitam illuminat, ineunte Christi messianica navitate, alius textus eiusdem Evangelii hanc Mariae maternitatem confirmat in salutifera gratiae oeconomia et quidem summo ipsius tempore, cum videlicet Crucis Christi peragitur sacrificium, paschale eius mysterium. Ioannis narratio est pressa: « *Stabant autem iuxta crucem Iesu* mater eius et soror matris eius, Maria Cleopae, et Maria Magdalene. Cum vidisset ergo Iesus matrem et discipulum stantem, quem diligebat, dicit matri : "Mulier, ecce filius tuus". Deinde dicit discípulo: "Ecce mater tua". Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua » *(Io* 19, 25-27).

Hoc in evento sine dubitatione significatio deprehenditur peculiaris affectionis Filii erga Matrem, quam ipsemet magno cum dolore reliquit. Verumtamen de illius sollicitudinis vi

[44] Const. dogm. *Lumen Gentium* de Ecclesia, 60.

[45] *Ibid.,* 61.

[46] *Ibid.,* 62.

multo plura demonstrat « testamentum Crucis » Christi. Novum enim vinculum Iesus extollit inter Matrem ac Filium, cuius totam veritatem ac naturam sollemniter confirmat. Dici itaque potest iam Mariae maternitas, si antea pro hominibus sit adumbrata, hic luculenter definiri et corroborari: ea enim *emergit* ex ultima maturatione *paschalis mysterii Redemptoris.* Christi Mater, cum intra huius mysterii ipsum circuitum invenitur, quo homo — quisque homo et singuli — continetur, homini committitur — cuique homini et singulis — tamquam mater. Hic sub Cruce homo consistens Ioannes est : discipulus, « quem diligebat ».[47] At haud solus is est. Traditionem consecutum, Concilium nuncupare haud dubitat *Christi Matrem matrem hominum.* Sane quidem « cum omnibus hominibus ... in stirpe Adam invenitur coniuncta immo plane mater membrorum (Christi)... quia cooperata est caritate ut fideles in Ecclesia nascerentur ».[48]

Haec proinde « nova Mariae maternitas », ex fide progenita, *fructus « novi » amoris est,* qui tandem maturuit in ea sub Cruce, cum redimentem Filii participaret amorem.

24. In media ideo versamur impletione promissionis, quam protoëvangelium complectitur: « semen illius » . . . « conteret caput » serpentis (cfr. *Gn* 3, 15). Sua enim redemptrici morte Christus vicit malum peccati mortisque in ipsis eius radicibus. Magnum quiddam est quod, e Crucis elatiore loco ad matrem conversus, eam « mulierem » appellat et dicit illi : « Mulier, ecce filius tuus ». Eodem nomine est ceterum eam etiam in Cana Galilaeae allocutus (cfr. *Io* 2, 4). Quis igitur dubitare

[47] Nota quidem sunt verba, quae scripsit Origenes de Maria et Ioanne in Calvariae loco praesentibus: «Audeamus igitur dicere primitias Scripturarum omnium Evangelium esse; Evangeliorum vero primitias, Evangelium a Ioanne traditum; cuius sensum percipere nemo potest, nisi qui supra pectus Iesu recubuerit, vel acceperit a Iesu Mariam, quae etiam ipsius mater fiat»: *Comm. in Evang. Ioan.,* I, 6: *PG* 14, 31; cfr. S. AMBROSIUS, *Expos. Evang. sec. Lucam,* X, 129-131: *CSEL* 32/4, 504 s.

[48] Const. dogm. *Lumen Gentium* de Ecclesia 54 et 53; hic textus Concilii memorat S. AUGUSTINUM, *De Sancta Virginitate,* VI, 6: *PL* 40, 399.

potest nunc praesertim in Golgotha hanc locutionem permeare in altissimum Mariae mysterium eiusque ad *unicum locum* pertingere, *quem obtinet in universa salutis oeconomia?* Quemadmodum docet Concilium, cum Maria « praecelsa Filia Sion, post diuturnam exspectationem promissionis, complentur tempora et nova instauratur Oeconomia, quando Filius Dei humanam naturam ex ea assumpsit, ut mysteriis carnis suae hominem a peccato liberaret » .[49]

Voces, quas Iesus e culmine Crucis profert, *maternitatem* declarant genetricis Christi « novam » continuationem recipere *in Ecclesia ac per Ecclesiam,* cuius quidem imaginem fingit ostenditque Ioannes. Hoc sane pacto, illa quae ut ((gratia plena» in Christi est mysterium inducta ut eius Mater esset proindeque *Sancta Dei Genetrix,* perstat eodem in mysterio per Ecclesiam *sicut mulier,* quae in Libro *Genesis* iam initio indicatur (3, 15) necnon in *Apocalypsi* (cfr. *Apc* 12, 1) postremo tempore historiae salutis. Ex aeterno Providentiae consilio Mariae divina maternitas efirmdi debet super Ecclesiam, quemadmodum Traditionis affirmant voces, ex quibus maternitas Mariae circa Ecclesiam reverberans quaedam species est atque prosecutio ipsius erga Dei Filium maternitatis.[50]

Iam ipso tempore, quo nascitur Ecclesia planeque in orbe ostentatur, ad Concilii mentem, haec maternitatis Mariae continuatio dispicitur : « Cum vero Deo placuerit humanae salutis sacramentum non ante sollemniter manifestare quam promissum a Christo Spiritum effunderet, *Apostolos* videmus ante diem Pentecostes "perseverantes unanimiter *in oratione* cum mulieribus, et *Maria Matre Iesu* et fratribus Eius" *(Act* 1, 14), Mariam quoque precibus suis implorantem donum Spiritus, qui in Annuntiatione ipsam iam obumbraverat » .[51]

Ideo in salutifera gratiae oeconomia, quam Spiritus Sancti

[49] Const. dogm. *Lumen Gentium* de Ecclesia, 55.

[50] Cfr. S. LEO MAGNUS, *Tractatus 26, de Natale Domini,* 2: *CCL* 138, 126.

[51] Const. dogm. *Lumen Gentium* de Ecclesia, 59.

actio peregit, consonantia quaedam peculiaris est inter Verbi Incarnationis tempus atque Ecclesiae nativitatis. Quae duo haec coniungit tempora, Maria est: *Maria in oppido Nazareth* et *Maria in Hierosolymorum cenáculo.* Utrimque ergo ipsius praesentia prudens, at necessaria, viam commonstrat « nativitatis e Spiritu ». Sic enim ea quae uti Mater mysterio Christi interest — ex Filii voluntate Sanctique Spiritus opera — praesens redditur in ipso etiam Ecclesiae mysterio. In Ecclesia quoque esse pergit *praesentia* materna, prout verba designant in Cruce pronuntiata: « Mulier, ecce filius tuus » ...; « Ecce mater tua ».

II

25. « Ecclesia "inter persecutiones mundi et consolationes Dei peregrinando procurrit",[52] crucem et mortem Domini annuntians, donec veniat (cfr. *1 Cor* 11, 26) ».[53] « Sicut vero Israel secundum carnem, qui in deserto peregrinabatur, Dei Ecclesia iam appellatur (cfr. *2 Esd* 13, 1; cfr. *Nm* 20, 4; *Dt* 23, 1 ss.), ita novus Israel... etiam Ecclesia Christi nuncupatur (cfr. *Mt* 16, 18), quippe quam Ipse sanguine suo acquisivit (cfr. *Act* 20, 28), suo Spiritu replevit, aptisque mediis unionis visibilis et socialis instruxit. Deus congregationem *eorum qui in Iesum,* salutis auctorem et unitatis pacisque principium, *credentes aspiciunt,,* convocavit et constituit Ecclesiam, ut sit universis et singulis sacramentum visibile huius salutiferae unitatis ».[54]

Concilium Vaticanum II de Ecclesia loquitur in peregrinatione constituta eamque cum Foederis Antiqui confert Israele per desertum peregrinante. Peregrinatio etiam *exteriorem* prae se fert *indolem,* visibilem nempe tum in tempore tum etiam in loco, ubi reapse fit historico modo. Etenim Ecclesia « ad universas regiones extendenda, in historiam hominum intrat, dum

[52] S. AUGUSTINUS, *De Civitate Dei,* XVIII, 51, 2: *CCL* 48, 650.
[53] CONC. OEC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen Gentium* de Ecclesia, 8.
[54] *Ibid.,* 9.

tamen simul tempora et fines populorum trascendit ».[55] Verum pernecessaria peregrinationis illius pars ac *natura interior est.* De *peregrinatione* namque agitur *per fidem,* « virtute ... Domini resuscitati »,[56] de peregrinatione in Spiritu Sancto qui Ecclesiae invisibilis creditus est Consolator *(Parákletos)* (cfr. *Io* 14, 26; 15, 26; 16, 7): « Per tentationes vero et tribulationes procedens Ecclesia virtute gratiae Dei sibi a Domino promissae confortatur, ut... non deficiat, ...sub actione Spiritus Sancti seipsam renovare non desinat, donec per crucem perveniat ad lucem, quae nescit occasum *n.*[57]

Hoc ipso in itinere — peregrinatione ecclesiali per spatium tempusque, immo etiam magis per animarum ipsam historiam, praesens *adest Maria* veluti illa « beata, quae credidit », tamquam illa quae in peregrinatione fidei processit, Christi communicans mysterium sicut non alius inter homines quisquam. Docet praeterea Concilium: « Maria... in historiam salutis intime ingressa, maxima fidei placita in se quodammodo unit et reverberat ».[58] Omnes inter credentes exstat ea *uti « speculum »,* in quo ratione simul altissima simul etiam clarissima referuntur « magnalia Dei » *(Act* 2, 11).

26. Ecclesia, aedificata a Christo super apostolos sibi evasit prorsus conscia horum magnalium Dei ipsa *Pentecostes die,* cum congressi in cenaculum « repleti sunt omnes Spiritu Sancto et coeperunt loqui aliis linguis, prout Spiritus dabat eloqui illis » *(Act* 2, 4). Ex quo tempore illud initur etiam fidei iter, videlicet *Ecclesiae peregrinatio* per hominum populorumque historiam. Huius autem itineris primordiis interesse Mariam constat, quam inter apostolos deversantem conspicamur in cenáculo « precibus suis implorantem donum Spiritus ».[59]

[55] *Ibid.,* 9.
[56] *Ibid.,* 8.
[57] *Ibid.,* 9.
[58] *Ibid.,* 65.
[59] *Ibid.,* 59.

At longius ipsius est quodammodo fidei iter. Spiritus enim Sanctus iam in illam descenderat, quae effecta est in *annuntiatione* eius sponsa fidelis, Dei veri amplexando Verbum ac «plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium praestando et voluntarie revelationi ab Eo datae assentiendo », immo « per oboeditionem fidei »[60] se totam Deo committendo, ob quam angelo respondit: «Ecce ancilla Domini; fiat mihi secundum verbum tuum ». Mariae iter fidei, quam in cenáculo intuemur precantem, est propterea « longius » itinere illo ceterorum ibidem congregatorum. Maria eos « antegreditur » et « praecedit » .[61] *Tempus Pentecostes* Hierosolymis non solum a crucis verum iam inde ab *annuntiationis tempore* in oppido Nazareth est praeparatum. In cenáculo confluunt iter Mariae Ecclesiaeque curriculum fidei. Quonam pacto?

Inter eos qui in cenáculo perseverabant fundere preces seseque comparabant ad proficiscendum, accepto Spiritu Sancto, in « universum mundum », *a Iesu vocati erant* quidam gradatim iam ab eius muneris in Israele initiis. Eorum dein undecim *apostoli destinati erant,* quibus opus concredidit Iesus, quod a Patre ipse receperat : « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos » *(Io* 20, 21), ita dixerat apostolis post Resurrectionem. Quadraginta vero post diebus, addidit etiam priusquam ad Patrem rediret : cum « accipietis virtutem superveniente Sancto Spiritu in vos ... *eritis mihi testes* ... usque ad ultimum terrae » *(Act* 1, 8). Haec apostolorum missio incohata est, cum e cenáculo Hierosolymitano egrederentur. Nascitur tum crescitque Ecclesia per illam testificationem, quam et Petrus reddunt et apostoli de Christo crucifixo ac resuscitato (cfr. *Act* 2, 31-34; 3, 15-18; 4, 10-12; 5, 30-32).

Maria *non directo hoc apostolicum accepit munus.* Non enim inter eos ipsa numerabatur, quos misit Iesus ut « omnes gentes)> docerent *(Mt* 28, 19), cum commisit iis hoc munus. Ve-

[60] Cfr. CONC. OEC. VAT. II, Const. dogm. *Dei Verbum* de Divina Revelatione, 5.

[61] Cfr. CONC. OEC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen Gentium* de Ecclesia, 63.

rumtamen in cenáculo, ubi se parabant apostoli huius suae missionis suscipiendae causa, veniente scilicet Veritatis Spiritu. : aderat iis Maria. Inter eos nempe « perseverabat... in oratione» ut «mater Iesu» *(Act* 1, 13-14), seu Christi crucifixi atque suscitati. Hic quidem primus communitatis nucleus eorum, qui « in Iesum, salutis auctorem » [62] credentes aspiciebant, sibi conscius erat et Iesum esse Mariae Filium et eam eius matrem utque matrem iam a conceptus ortusque tempore *praecipuam mysterii Iesu testem,,* illius nempe mysterii, quod ante illorum conspectum declaratum esset et per Crucem Resurrectionemque confirmatum. Ecclesia a primis itaque momentis « aspexit » per Iesum Mariam, haud secus ac Iesum per Mariam « aspexit ». Pro Ecclesia fuit tunc haec ipsa semperque unica testis annorum infantiae Iesu eiusque absconditae in oppido Nazareth vitae, cum « *conservabat omnia verba haec* conferens *in corde suo » (Lc* 2, 19; cfr. *Lc* 2, 51).

At in illius omnisque temporis Ecclesia fuit Maria imprimisque est illa « beata quae credidit » : *prima quippe credidit.* Iam inde ab annuntiationis et conceptionis tempore, inde ab ortus Iesu momento in specu prope Bethlehem Maria sectabatur Iesum singulis veluti in gressibus materna sua fidei peregrinatione. Per vitae abditae annos Nazareth eum sequebatur; illum etiam per exterioris disiunctionis spatium consequebatur, cum « coepit Iesus facere et docere » *(Act* 1, 1) inter Israelis populum; ipsum denique prosecuta est praesertim in calamitosa Calvariae experientia. Tunc autem, cum inter apostolos Maria commoraretur in cenáculo Hierosolymitano ad Ecclesiae primordia, confirmatam reperiebat *fidem suam ex annuntiationis vocibus enatam.* Ei enim tum nuntiaverat angelus: « concipies in utero et paries filium, et vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus..., et regnabit super domum Iacob in aeternum, et regni eius non erit finis ». Quam deinde pollicitationem recentia Calvariae eventa quibusdam tenebris obduxe-

[62] Cfr. *ibid.,* 9.

rant; nihilominus sub Cruce etiam Mariae fides haud defecerat. Fuerat tum quoque mulier, quae, ut tamquam Abraham, « contra spem in spe credidit » *(Rom* 4, 18). Et ecce, verum suum veluti vultum spes detexit post Resurrectionem ac *promissio coepit in rem transire.* Namque Iesus antequam ad Patrem reverteretur dixit apostolis : « Euntes ergo docete omnes gentes ... ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi » *(Mt* 28, 19. 20). Sic nempe elocutus ille est qui suam per Resurrectionem patefactus est triumphator mortis, tamquam is qui regnum tenet, quod « non habebit finem », quemadmodum praedixerat angelus (cfr. *Lc* 1, 33).

27. Nunc autem nascente iamiam Ecclesia ineunteque longo eius itinere per fidem, quae a die Pentecostes initium duxerat Hierosolymis, Maria cum iis omnibus iungebatur, qui germina erant « Israelis novi ». Uti potissima mysterii Christi testis inter illos assistebat. Atque una cum ipsa perseverabat Ecclesia in oratione simulque « *contemplabatur eam in lumine Verbi hominis facti* ». Et ita profecto semper erat futurum. Etenim cum Ecclesia « in summum incarnationis mysterium venerabunda penitius intrat », Christi cogitat Matrem magna cum veneratione ac pietate.[63] Maria inseparabiliter cohaeret cum Christi mysterio ad Ecclesiaeque pariter mysterium pertinet inde a principio, a die videlicet ipsius ortus. Iis ergo omnibus, quae Ecclesiam ab initio constituunt quaeque ipsa Ecclesia perpetuo fieri debet a generatione in generationem inter universas terrae gentes, subiacet illa « quae credidit quoniam perficientur ea quae dicta sunt ei a Domino » *(Lc* 1, 45). Haec ipsa Mariae fides, qua novum aeternumque Dei Foedus cum hominum genere in Iesu Christo signatur, heroica haec ipsius *fides testificationem « praecedit* » apostolicam Ecclesiae ac remanet in Ecclesiae corde abscondita tamquam peculiaris revelationis Dei hereditas. Omnes autem, qui a generatione in generationem,

[63] Cfr. *iUd.,* 65.

amplexi apostolicam testificationem Ecclesiae, communicant arcanam hanc hereditatem, *quodam pacto etiam ipsam Mariae fidem participant.*

Voces illae Elisabeth: « beata, quae credidit » Mariam comitari pergunt etiam ipso Pentecostes die; eam item consequuntur ex alia in aliam aetatem, ubicumque per apostolicum testimonium ministeriumque Ecclesiae propagatur salutiferi Christi mysterii cognitio. Sic enim vaticinium impletur cantici *Magnificat: « beatam me dicent omnes generationes,* quia fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen eius » *(Lc* 1, 48-49). Cognitionem enim Christi mysterii sequitur Matris eius celebratio more singularis cuiusdam pietatis erga *Theotókon.* Qua insuper in veneratione includitur semper eius fidei laudatio, quandoquidem Nazarethana Virgo ex Elisabeth vocibus in visitatione evasit beata potissimum per hanc fidem. Qui vero in quavis generatione apud varias orbis gentes ac nationes suscipiunt credentes Christi mysterium, Verbi incarnati mundique Redemptoris, non tantum venerabundi convertuntur ac fidentes progrediuntur ad Mariam veluti ad Matrem eius, verum *in ipsius fide firmamentum suae conquirunt fidei.* Haec ipsa viva participatio Mariae fidei peculiarem constituit praesentiam eius in peregrinatione Ecclesiae tamquam novi Populi Dei per totum orbem terrarum.

28. Perinde ac docet Concilium, «Maria... in historiam salutis intime ingressa dum praedicatur et colitur, ad Filium suum Eiusque sacrificium atque ad amorem Patris credentes advocat».[64] Idcirco aliqua ratione fit Mariae fides secundum apostolicam Ecclesiae testificationem sine intermissione ipsa peregrinantis Populi Dei fides: fides hominum et communitatum, ambituum ac conventuum et denique coetuum totarumque communitatum, quibus Ecclesia compaginatur. Fides est, quae per cognitionem afiectumque simul transmittitur; accipitur vel

[64] *Ioid.,* 65.

Henuo recipitur per precationem. Quocirca, « etiam in opere suo apostolico *Ecclesia ad Eam merito respicit, quae genuit Christum,* ideo de Spiritu Sancto conceptum et de Virgine natum, ut per Ecclesiam *in cordibus quoque fidelium nascatur et crescat* ».[65]

Cum hodie sic per fidem peregrinantes fini appropinquamus alterius Millennii christiani, Ecclesia ex Concilii Vaticani II magisterio revocat animos ad id quod in se ipsa contuetur, tamquam « unus Populus Dei », qui « omnibus itaque gentibus terrae inest », necnon ad veritatem illam, ex qua etiam « cuncti... per orbem sparsi fideles cum ceteris in Spiritu Sancto communicant »,[66] ita profecto ut dici possit in hac ipsa coniunctione continenter Pentecostes mysterium impleri. Eodem autem tempore apostoli Dominique discipuli apud omnes terrae populos reperiuntur « perseverantes unanimiter in oratione *cum... Maria matre Iesu» (Act* 1, 14). Efficientes per saecula « Regni signum » quod de hoc mundo non est,[67] noverunt quoque in hoc ipso mundo *consociandos se esse cum illo Rege,* cui datae sint gentes in hereditatem *(Ps* 2, 8) cuique dederit Pater « sedem David patris eius », qui igitur « regnabit super domum Iacob in aeternum, et regni eius non erit finis ».

Hoc igitur veluti vigiliarum tempore per eandem fidem, quae beatam ipsam reddidit praesertim ab annuntiationis momento, Maria *adest* in Ecclesiae missione, *adest* in opera Ecclesiae *quae ipsius Filii Regnum inducit in mundum.*[68] Quae Mariae praesentia pluribus hac aetate modis profertur, haud secus ac totam per Ecclesiae historiam. Habet etiam multiplicem effectus ambitum: per fidem enim ac pietatem christifidelium singulorum, per traditos mores familiarum christianarum seu « ecclesiarum domesticarum » et communitatum paroecialium

[65] *Ibid.,* 65.

[66] Cfr. *ibid.,* 13.

[67] Cfr. *ibid.,* 13.

[68] Cfr. *ibid.,* 13.

ac missionariarum, tum etiam institutorum religiosorum ac dioecesium, per attrahentem vim resplendentemque virtutem celebrium sanctuariorum, ubi non singuli modo homines aut illius loci turmae sed totae interdum nationes et continentes appetunt congressionem cum Domini Matre, scilicet cum illa quae beata est quoniam credidit, prima ipsa inter credentes est ideoque facta Mater Emmanuelis. Haec est Terrae Palaestinae invitatio, quae spiritualis est omnium christifidelium patria, cum Salvatoris mundi fuerit solum natale, eiusque Matris. Appellatio haec pariter est tot sacrarum aedium, quas in Urbe et Orbe progredientibus saeculis christiana excitavit fides. Alliciens haec vis est templorum locorum qualia sunt Guadalupa, Lapurdum, Fatima et cetera per varias regiones disseminata, ex quibus taciti quomodo transire possumus illud sacrarium patriae nostrae, Clari Montis? Fas fortasse loqui est de peculiari « geographia » fidei pietatisque marialis, quae universa haec loca complectitur peculiaris peregrinationis Populi Dei a quo nempe congressio quaeritur cum Dei Matre ut intra ambitum maternae ipsius praesentiae, « quae credidit », confirmationem suae inveniant fidei. Etenim *in fide Mariae,* iam annuntiationis tempore atque rebus completis sub Cruce, ab homine reclusum est illud *spatium interius,* ubi cumulare nos Pater potest « omni benedictione spiritali » : spatium id est « novi et aeterni Testamenti » .[69] Hoc in Ecclesia spatium subsistit, quae est in Christo « sacramentum ... intimae cum Deo unionis totiusque generis humani unitatis » .[70]

In fide, quam in annuntiatione professa est Maria ut « ancilla Domini » ac per quam continenter « praecedit » Populum Dei in universa terra peregrinantem, *Ecclesia* « perpetuo *tendit ad recapitulandam* totam *humanitatem* ... sub *Capite Christo,* in unitate Spiritus Eius » .[71]

[69] Cfr. *Missale Romanum,* Formula consecrationis calicis in Eucharisticis Precibus.

[70] CONC. OEC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen Gentium* de Ecclesia, 1.

[71] *Ibid.,* 13.

29. « Spiritus in cunctis Christi discipulis desiderium actionemque suscitat, *ut omnes,* modo a Christo statuto, in uno grege *sub uno Pastore* pacifice *uniantur».*[72] Ecclesiae iter, hac nostra praesertim aetate, oecumenismi nota signatur : christiani enim vias conquirunt unitatis redintegrandae, quam postulavit Christus Patrem pro discipulis pridie suam passionem : « *ut omnes unum sint,* sicut tu, Pater, in me et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint, ut mundus credat quia tu me misisti» *(Io* 17, 21). Discipulorum ideo Christi unitas est documentum magnum, signum propterea datum ut excitetur fides; eorum autem divisio est scandalum.[73]

Oecumenicus motus, e lucidiore latiusque disseminata conscientia exortus quantopere nitendum esset ad omnium christianorum unitatem, ab Ecclesia catholica maximam suscepit suam declarationem in Concilii Vaticani II opere: in se ipsi conquirant oportet atque in unaquaque communitate sua illam « oboeditionem fidei », cuius primum est Maria clarissimumque exemplum. Et quandoquidem ipsa « tamquam signum spei et solatii peregrinanti Populo Dei praelucet », idcirco « Sacrosanctae ... Synodo magnum affert gaudium et solatium, etiam *inter fratres seiunctos* non deesse, qui Matri Domini ac Salvatoris debitum afferunt honorem, speciatim apud Orientales ».[74]

30. Noverunt probe christiani suam revera aliquando repertum iri denuo unitatem, si innisa fuerit suae fidei unitati. Dissolvere eos necesse est haud parvas super doctrinis dissensiones de mysterio ministerioque Ecclesiae necnon interdum de Mariae officio in salutis opere.[75] Colloquia ab Ecclesia provecta

[72] *Ibid.,* 15.

[73] Cfr. CONO. OEC. VAT. II, Decr. *Unitatis Redintegratio* de Oecumenismo, 1.

[74] Const. dogm. *Lumen Gentium* de Ecclesia, 68, 69. Quod vero attinet ad Mariam Sanctissimam, fautricem Christianorum unitatem necnon ad eius cultum in Oriente, cfr. LEO PP. XIII, Ep. Enc. *Adiutricem populi* (5 Septembris 1895): *Acta Leonis,* XV, 300-312.

[75] Cfr. CONO. OEC. VAT. II, Decr. *Unitatis Redintegratio* de Oecumenismo, 20.

cum Communitatibus ecclesialibus Occidentis,[76] plus plusque collineantur in hasce *duas inseparabiles partes* eiusdem salutis mysterii. Si enim Verbi incarnati mysterium nos introspicere sinit in divinae maternitatis mysterium et si Matris Dei vicissim contemplatio in altiorem nos inducit intellegentiam Incarnationis mysterii, idem omnino de Ecclesiae dicendum est mysterio necnon de Mariae munere in opere salutis. Etenim, dum utrumque altiore ratione investigatur et alterum per alterum collustratur, christiani cupientes id efficere — sicut eorum Mater ipsos monet — quod Iesus praeceperit illis (cfr. *Io* 2, 5), poterunt una progredi in illa « peregrinatione fidei », cuius etiamnum exemplar Maria est quodque eos perducere ad unitatem debet ab eorum unico cupitam Domino tantumque optatam ab iis omnibus, qui illud attenti auscultant quod hodie « Spiritus dicit Ecclesiis» *(Apc* 2, 7.11.17). Est autem secundum omen eo quod hae Ecclesiae et Communitates ecclesiales cum Ecclesia catholica consentiunt de rebus fidei primariis etiam quod ad Virginem Mariam attinet. Illae enim eam agnoscunt Matrem Domini atque censent id partem esse fidei nostrae in Christum, verum Deum et verum hominem. Illae eam respiciunt, quae sub Cruce discipulum dilectum ut filium accipit suum, qui vicissim eam accipit ut matrem.

Cur ergo non omnes simul eam intuemur ut *Matrem nostram communem,* quae pro unitate familiae Dei orat quaeque « praecedit », longum ducens agmen testium fidei in unicum Dominum, Filium Dei, in eius virginali utero conceptum de Spiritu Sancto?

31. Ex altera vero parte inculcare volumus quam arcte se coniungi sentiant amore erga *Theotókon* eiusque laudatione Ecclesia catholica, Ecclesia orthodoxa et antiquae orientales Ecclesiae. Non modo « fundamentalia dogmata christianae fidei de Trinitate et de Verbo Dei, ex Virgine Maria incarnato,

[76] Cfr. ***ibid.,*** 19.

in Conciliis oecumenicis in Oriente celebratis definita » sunt,[77] verum in cultu etiam liturgico suo « Mariam semper Virginem ... Deiparam Sanctissimam ... Orientales pulcherrima hymnis magnificant ».[78]

Harum fratres Ecclesiarum implicatas experti sunt aetatum vicissitudines, tamen eorum historia vehementi semper pervaditur desiderio studii christiani difiusionisque apostolicae, licet crebrius etiam cruentis vexationibus sit notata. Historia quidem est fidelitatis erga Dominum, germana « fidei peregrinatio » per loca temporaque, quibus interminata cum fiducia christiani orientales Mariam numquam non respiciebant laudibusque eam celebrabant ac precibus quoque assiduis invocabant. Adversis autem temporibus suae divexatae vitae christianae, eius « sub ... praesidium confugiunt »,[79] in ea se scientes validum habere auxilium. Quae Ephesinam profitentur Ecclesiae doctrinam, pronuntiant Virginem « Dei veram Genetricem » quoniam tradunt « dominum nostrum Iesum Christum ... ante saecula quidem de Patre genitum secundum deitatem, in novissimis autem diebus eundem propter nos et propter salutem nostram ex Maria Virgine Dei genetrice secundum humanitatem ».[80]

Patres vero Graeci ac Byzantina traditio, Virginem contuentes in lumine Verbi hominis facti altitudinem illius vinculi perscrutari studuerunt, quod Mariam, quatenus Dei est Mater, cum Christo coniungit atque Ecclesia: perpetuo praesens adest Virgo in omni salvifici mysterii amplitudine.

Talem in arcani Mariae contemplationem inductae sunt traditiones Coptae et Aethiopicae ut ab ipso sancto Cyrillo Alexandrino atque illae vicissim concelebraverunt id abundanti

[77] *Ibid.,* 14.

[78] *Ibid.,* 15.

[79] CONC. OEC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen Gentium* de Ecclesia, 66.

[80] CONC. OEC. CHALCEDON., *Definitio fidei: Conciliorum Oecumenicorum Decreta,* Bologna 1973³, 86 *{DS* 301).

poetica copia.[81] Poeticum porro sancti Ephraem Syri ingenium, qui « Spiritus Sancti cithara » est nuncupatus, sine intermissione Mariam decantavit ideoque vestigium, hodie etiam vigens, reliquit in tota traditione Syriacae Ecclesiae.[82] Sua deinde oratione panegyrica *Theotókou* sanctus Gregorius de Narek, inter clarissima Armeniae lumina, vehementi poetica virtute inquirit in varias rationes mysterii Incarnationis earumque unaquaeque ipsi opportunitas est canendi et extollendi unicam dignitatem miramque Virginis Mariae pulchritudinem, Matris Verbi incarnati.[83]

Nihil igitur mirandum quod Maria praecipuum obtinet locum in antiquarum Orientalium Ecclesiarum cultu cum ditissima festorum dierum hymnorumque abundantia.

32. Intra Liturgiam Byzantinam singulis in Officii Divini horis sociatur Matris laudatio cum Filii laude et cum illa celebratione, quae per Filium ad Patrem attollitur in Spiritu Sancto. In anaphora vel prece eucharistica sancti Ioannis Chrysostomi, continuo post epiclesim, congregata communitas sic Dei concinit Matrem : « Vere iustum est beatam te, o Deipara, pronuntiare, quae beatissima es, undique pura et Genetrix Dei nostri. Te praedicamus quae honoratior es ipsis cherubim ac sine comparatione clarior seraphim. In lucem integra virginitate Verbum Dei edidisti. Vere tu Mater Dei es ».

Quae quidem laudes, intra omnem liturgiae eucharisticae celebrationem ad Mariam evectae, fidelium procuderunt fidem et pietatem et orationem. Saeculorum decursu penetraverunt in totum eorum spiritualem affectum excitaveruntque in illis altam devotionem erga « Totam Sanctam Dei Genetricem ».

[81] Cfr. *Weddâsê Mâryâm (Mariae Laudes),* qui Psalterium Aethiopicum sequitur atque hymnos et preces ad Mariam pro unoquoque die hebdomadae continet. Cfr. etiam *Matshafa Kidâna Mehrat (Liber Foederis Misericordiae)* : notandum est pondus tributum Mariae in hymnologia et liturgia Aethiopica.

[82] Cfr. S. EPHRAEM, *Hymn. de Nativitate: Scriptores Syri,* 82, *C SC O,* 186.

[83] Cfr. S. GREGORIUS DB NAREK, *Le livre de prières: S. Ch.,* 78, 160-163 ; 428-432.

33. Agitur hoc anno duodecies centenaria memoria Concilii Oecumenici Nicaeni (a. DCCLXXXVII) in quo, iam defervescente nota illa controversia de sacrarum imaginum cultu, definitum est — secundum sactorum Patrum magisterium universalemque Ecclesiae traditionem — proponi licere fidelibus una cum Cruce etiam Matris Dei effigies et Angelorum et Sanctorum, tum in sacris ipsis aedibus tum in domibus ac secus vias.[84] Qui usus in toto Oriente servatur necnon in Occidente : Virginis namque imagines honorificum occupant locum in templis ac domibus. Maria ibidem effingitur ut Dei solium, quod Christum portat, eumque donat hominibus *(Theotokos),* vel ut via, quae ad Christum ducit eumque ostendit *(Odigitria),* vel ut orans cum deprecantis habitu signumque divinae praesentiae in fidelium itinere usque ad diem Domini *(Deisis),* vel ut protectrix, quae pallium super populos expandit *(Pokrov),* vel ut misericors Virgo bonitatis *(Eleousa).* Exhiberi illa solet suo cum Filio, puero Iesu, quem bracchiis gestat : necessitudo haec cum Filio Matrem honestat. Interdum ipsum tenero amplexatur amore *(Glykofilousa);* alias vero hieratica videtur ea tota contemplatione eius occupari, qui historiae est Dominus.[85]

Decet item simulacrum Dominae Nostrae de Vladimiro memorari, quod perpetuo comitatum est peregrinationem fidei populorum antiqui Rus'. Expletum iamiam appropinquat millennium primum ex quo nobiles illae terrae sunt ad nomen christianum conversae : humilium nempe terrae et ingeniorum et sanctorum. Etiam nunc imagines pictae excoluntur in Ucraina, in Russia Alba, in Russia ipsa variis sub titulis : quae simulacra fidem testificantur afiectumque precandi illius boni populi, qui praesentem animadvertit protegentemque Dei Genetricem. In iis effulget Virgo tamquam pulchritudinis divinae species, habitatio aeternae Sapientiae, orantis

[84] COITO. OEC. NICAENUM II, *Conciliorum Oecumenicorum Decreta,* Bologna 1973[3], 135-138 *(DS* 600-609).

[85] Cfr. CONC. OEO. VAT. II, Const. dogm. *Lumen Gentium* de Ecclesia, 59.

figura, primarius typus contemplationis, gloriae imago: ea scilicet, quae inde iam a sua terrestri vita, cum spiritualem possideret cognitionem humanis haud perviam ratiocinationibus, per fidem assecuta est quam altissimam scientiam. Meminimus praeterea pictam imaginem Virginis cenaculi cum Apostolis precantis in Spiritus exspectatione: nonne ipsa forsan fieri possit veluti spei quoddam indicium iis omnibus, qui fraternum colentes colloquium altius perspicere cupiunt suam fidei oboeditionem?

34. Tanta laudum copia, ex diversis congesta formis magnae traditionis Ecclesiae, adiuvare nos potest ad olim aliquando efficiendum ut iterum ea plene respiret suis « duobus pulmonibus », Orientis atque Occidentis. Uti crebrius iam asseveravimus, hoc magis hodie necessarium est quam alias umquam. Solido pariter erit adiumento, unde vigens iam colloquium inter Ecclesiam catholicam atque Ecclesias et ecclesiales Occidentis communitates progrediatur.[86] Via similiter etiam Ecclesiae peregrinantis erit decantandi suum « *Magnificat* » ex eoque perfectius vivendi.

35. Ecclesia ergo, hoc itineris sui tempore, componere nititur unitatem eorum qui fidem in Christum profitentur, eo consilio ut obtemperationem Domino suo ostendant, qui ante passionem pro hac unitate oravit. Ea « peregrinando procurrit crucem et passionem Domini annuntians, donec veniat».[87] « Per tentationes vero et tribulationes procedens *Ecclesia virtute gratiae Dei sibi a Domino promissae confortatur,* ut in infirmitate carnis a perfecta fidelitate non deficiat, sed Domini sui digna sponsa remaneat, et sub actione Spiritus Sancti, seipsam renovare non desinat, donec per crucem perveniat ad lucem, quae nescit occasum » .[88]

[86] Cfr. CONC. OEC. VAT. II, Decr. *Unitatis Redintegratio* de Oecumenismo, 19.

[87] CONC. OEC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen Gentium* de Ecclesia, 8.

[88] *Ibid.*, 9.

Virgo Mater semper praesens adest in hoc itinere Populi Dei, per fidem ad lucem ducente. Id modo peculiari *canticum « Magnificat »* manifestat, quod, *ex profundo fidei Mariae editum* in visitatione, in corde Ecclesiae per saecula vibrare non cessat. Id ipsum testificatur eius cotidiana repetitio, quae in Liturgia ad Vesperas fit et aliis datis occasionibus pietatis sive personalis sive collegialis.

« Magnificat anima mea Dominum,
et exsul ta vit spiritus meus in Deo salvatore meo,
quia respexit humilitatem ancillae suae.
Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes,
quia *fecit mihi magna, qui potens est,*
et sanctum nomen eius,
et misericordia eius in progenies et progenies
timentibus eum.
Fecit potentiam in brachio suo,
dispersit superbos mente cordis sui;
deposuit potentes de sede
et exaltavit humiles;
esurientes implevit bonis
et divites dimisit inanes.
Suscepit Israel puerum suum,
recordatus misericordiae,
sicut locutus est ad patres nostros,
Abraham et semini eius in saecula » *(Lc* 1, 46-55).

36. Cum Elisabeth adulescentem consanguinitate sibi coniunctam, quae ab oppido Nazareth advenerat, salutaret, Maria respondit *canticum « Magnificat »* efterens. Elisabeth, cum Mariam salvere iuberet, primo eam dixit « beatam » propter « fructum ventris eius », deinde « beatam » ob fidem eius (cfr. *Lc* 1, 42. 45). Utraque benedictio ad ipsum tempus annuntiationis proxime referebatur. In visitatione autem, cum Elisabeth, salutem dicens, summum momentum illud temporis

testimonio suo confirmat, fides Mariae nova conscientia afficitur novaque exprimitur ratione. Id quod in ipsa annuntiatione latebat in profundo « oboeditionis fidei » (cfr. *Rom* **1,** 5), nunc ut nitidum, vivificantem spiritus ardorem exprimi dixeris. Verba a Maria in limine domus Elisabeth prolata, *incitata* sunt *professio huiusce fidei eius,* qua *responsio data verbis revelationis* significatur eo quod animo religioso et poetico cum toto, quod est ipsa, ad Deum levatur. Ex horum verborum granditate, quae sunt et prorsus simplicia et omnia de textibus sacris populi Israelis deprompta,[89] perlucet personalis Mariae experientia, animus eius obstupefactus et mirabundus. Fulget in iis quasi radius mysterii Dei, gloria eius sanctitatis ineñabilis, *aeternus Amor, qui veluti donum supremum hominis historiam ingreditur.*

Maria prima participat hanc revelationem de Deo atque in ea novam « donationem sui ipsius », quam perficit Deus. Quocirca exclamat: «Fecit mihi magna... et sanctum nomen eius ». Quibus verbis gaudium spiritus eius ostenditur, quod verbis difficile redditur : « Exsultavit spiritus meus in Deo salvatore meo » ; quia « intima... tam de Deo quam de hominis salute veritas nobis in Christo illucescit, qui mediator simul et plenitudo totius revelationis exsistit » .[90] Animo incitato et mirabundo Maria fatetur *se contineri in imo huius plenitudinis Christi.* Conscia sibi est in se ipsa promissa patribus data, imprimis « Abraham, et semini eius in saecula » impleri *(Lc* **1,** 55) : itaque in se ut matre Christi colligi totam dispensationem salutis, in qua « in progenies et progenies » apparet is qui, ut Deus Testamenti, est « recordatus misericordiae » (cfr. *Lc* **1,** 54).

37. Ecclesia, quae ab exordio iter suum terrestre cum Matris Dei itinere coniungit, post eam continenter verba cantici « Magnificat » iterat. Ex profundo fidei Virginis, in annuntiatione

[89] Ut est notum, verba cantici « Magnificat » continent plurimos locos Veteris Testamenti vel ad eos revocantur.

[90] CONC. OEC. VAT. II, Const. dogm. *Dei Verbum* de Divina Revelatione, 2.

et visitatione manifestatae, ea veritatem haurit de Deo Testamenti : de Deo, qui est omnipotens et « magna facit » homini : « sanctum nomen eius ». Perspicit illa in radice devictum esse peccatum, quod in initio historiae terrenae viri atque mulieris est positum, peccatum incredulitatis ac « modicae fidei » in Deum. Adversus « suspicionem », quam « pater mendacii » cordi primae mulieris intulit, Maria, quae secundum traditionem appellatur « nova Eva »[91] et vera « Mater viventium » ,[92] vehementer veritatem, *nullatenus obscuratam,* de Deo pronuntiat: de Deo sancto et omnipotenti, qui ab initio est *fons omnis largitionis,* de eo qui « fecit magna ». Deus creando donat exsistentiam rebus omnibus. Cum hominem creat, tribuit ei dignitatem imaginis et similitudinis sui, praesertim respectu omnium creaturarum terrestrium. Nec désistons, quamvis homo peccaverit, a voluntate sua largiendi, *Deus se donat in Filio:* « Sic ... dilexit... mundum, ut Filium suum unigenitum daret » *(Io* 3, 16). Maria prima est testis mirabilis huius veritatis, quae plene ad effectum est adducta iis quae Filius eius « fecit et docuit » (cfr. *Act* 1, 1) ac modo certo et definito eius Cruce et resurrectione.

Ecclesia, quae etiam inter « tentationes et tribulationes » non desinit, Mariam secuta, iterare verba cantici « Magnificat », confortatur potentia veritatis, tam singulari cum simplicitate pronuntiatae, atque, simul *hac veritate de Deo cupit illuminare* vias difficiles et interdum implicatas vitae hominum terrenae. Iter ergo Ecclesiae, dum alterum millennium christianum iam vergit ad finem, secum fert instauratum officium implendae ipsius missionis. Ecclesia, quae eum sequitur qui de se ipso dixit : « (Deus) evangelizare pauperibus misit me » *(Lc* 4, 18),

[91] Cfr. ex. gr. S. IUSTINUS, *Dialogus cum Truphone Iudaeo,* 100: *Otto II,* 358; S. IRENAEUS, *Adversus Haereses* III, 22, 4: *8. Ch.* 211, 439-445; TERTULLIANUS, *De Came Christian,* 4-6: *CCL* II, 904 s.

[92] Cfr. S. EPIPHANIUS, *Panarion* III, 2; *Haer.* 78, 18: *PG* 42, 727-730.

per omnes hominum aetates est annisa et etiamnum annititur ut eandem perficiat missionem.

Eius quidem *potior amor erga pauperes* in Mariae cantico « *Magnificat* » mirabiliter continetur. Deus Testamenti, praedicamus cum stupore et incitatione cordis Virginis Nazarethanae, est simul is qui « deponit potentes de sede et exaltat humiles, ... esurientes implet bonis et divites dimittit inanes, ... disperdit superbos, cuiusque misericordia amentibus eum » (cfr. *Lc* 50-53). Maria spiritu « pauperum Jahve » penitus est imbuta, qui secundum preces Psalmorum a Deo exspectabant salutem, omnem fiduciam in eo ponentes (cfr. *Ps* 25; 31; 35; 55). Re quidem vera ea adventum mysterii salutis pronuntiat, adventum « Messiae pauperum » (cfr. *Is* 11, 4; 61, 1). E corde Mariae, e profundo eius fidei, verbis cantici Magnificat significatae, Ecclesia magis in dies conscientiam in semet ipsa renovat *non seiungi posse veritatem de Deo, qui salvet,* de Deo, qui fons sit omnis largitionis, ab hoc *potiore amore erga pauperes et humiles,* qui, cantico *Magnificat* celebratus, deinde verbis et operibus Iesu manifestatur.

Ecclesia ergo sibi est conscia — ac quidem aetate nostra haec conscientia modo prorsus singulari confirmatur — non solum non posse seiungi haec duo elementa nuntii, qui cantico *Magnificat* continetur, sed etiam diligenter tuendum esse momentum, quod « pauperes » et « optio favendi pauperibus » in verbis obtinent Dei viventis. Agitur de argumentis et quaestionibus natura conexis cum *sensu christiano libertatis et liberationis.* « Maria, Deo ex toto obnoxia in eumque prorsus inclinata fidei suae ardore, est, una cum Filio suo, imago perfectissima libertatis humani generis et universi. Ad ipsam Ecclesia, cuius est Mater et exemplar, respicere debet ut significationem missionis suae in tota eius plenitudine intellegat ».[93]

[93] CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI, Instructio *Libertà cristiana e liberazione* (22 Martii 1986), 97.

III

38. Ecclesia novit ac docet, sanctum Paulum secuta, *unum esse mediatorem nostrum:* « Unus enim Deus, unus et Mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus » *(1 Tim* 2, 5-6). « Mariae autem maternum munus erga homines hanc Christi unicam mediationem nullo modo obscurat nec minuit, sed virtutem Eius ostendit»:[94] est mediatio in Christo. Ecclesia haec novit docetque: «Omnis ... salutaris Beatae Virginis influxus in homines ... ex beneplacito divino exoritur et ex superabundantia meritorum Christi profluit, Eius mediationi innititur, ab illis omnino dependet, ex eademque totam virtutem haurit; unionem autem immediatam credentium cum Christo nullo modo impedit sed fovet ».[95] Hic salutaris « influxus » a Spiritu Sancto fulcitur, qui, quemadmodum Virginem Mariam obumbravit, divinae maternitatis initium faciens, ita continenter eius curam fulcit de fratribus Filii sui. Mediatio enim Mariae *intime conectitur cum eius maternitate,* indolem prae se ferens proprie maternam, qua illa distinguitur a mediatione ceterarum creaturarum, quae varia ratione quidem, sed semper « subordinata », Christi unicam mediationem participant; illius ergo etiam mediatio est participata.[96] Etenim, si « nulla ... creatura cum Verbo Incarnato ac Redemptore connumerari umquam potest », simul vero « unica mediatio Redemptoris non excludit, sed suscitat *variam* apud creaturas participatam ex unico fonte *cooperationem».*[91]

Doctrina Concilii Vaticani II exhibet veritatem de mediatione Mariae ut « *participatam ex unico fonte cooperationem,*

[94] CONC. OEC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen Gentium (te* Ecclesia, 60.

[95] *Ibid.,* 60.

[96] Cfr. formula mediatricis « ad Mediatorem » S. BERNARDI, *In Dominica infra oct* Assumptionis Sermo,* 2: S. *Bernardi Opera,* V, 1968, 263. Maria tamquam purum speculum refert ad Filium omnem gloriam et honorem quae recipit: ID., *In Nativitate B. Mariae Sermo - De aquaeductu,* 12: *ed. mem.,* 283.

[97] CONC. OEC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen Gentium* de Ecclesia, 62.

qui fons est ipsius Christi mediatio ». Sic enim scriptum legimus : « Tale munus subordinatum Mariae Ecclesia profiteri non dubitat, iugiter experitur et fidelium cordi commendat, ut hoc materno fulti praesidio Mediatori ac Salvatori intimius adhaereant » .[98] Quod munus est et *peculiare et extraordinarium.* Manat ex eius maternitate divina atque comprehendi et in vitae usum ex fide solum potest deduci, prout in plena veritate de hac maternitate innititur. Maria, cum sit ex divina electione Mater terrestris Filii consubstantialis Patri, ac « generosa socia » in opere Redemptionis, « mater nobis in ordine gratiae exsistit » . " Hoc munus efficit veram rationem praesentiae eius in mysterio salvifico Christi et Ecclesiae.

39. Huiusce rei respectu habito, oportet iterum considerare eventum praecipuum et summum oeconomiae salutis, id est Incarnationem Verbi ad annuntiationis tempus. Maria, in verbis nuntii divini voluntatem Altissimi agnoscens seque eius potentiae subiciens, significanter dicere perhibetur : « Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum » *(Lc* 1, 38). Primum, quod in obtemperatione huic mediationi unicae « inter Deum et homines » — quae est mediatio Christi — occurrit, est acceptio maternitatis, a Nazarethana Virgine facta. Maria assentitur electioni Dei eo pertinenti ut, de Spiritu Sancto, fiat Mater Filii Dei. Licet affirmari Jiunc eius *assensum de maternitate* imprimis manare a *plena donatione, Deo in virginitate praestita.* Maria assensa est se Matrem eligi Filii Dei, quod amore nuptiali movebatur, quo persona humana omnimode Deo « consecratur ». Vi huius amoris Maria cupivit esse semper omnique in re « Deo donata », vitam ducens in virginitate. Verba « ecce ancilla Domini », significant eam ab initio accepisse ac mente comprehendisse propriam maternitatem ut plenum *donum sui ipsius,* personae suae, salvificis consiliis Altissimi servientis. Implevit vero totam participatio-

[98] *Ibid.,* **62,**
[99] *Ibid.,* **61.**

nem vitae Iesu Christi, Filii sui, usque in finem modo sua cum vocatione ad virginitatem congruente.

Maternitas Mariae, quae penitus animo sponsali « ancillae Domini » imbuebatur, est prima et fundamentalis ratio illius mediationis, quam, eius respectu, Ecclesia profitetur atque pronuntiat[100] quamque iugiter «fidelium cordi commendat», quandoquidem valde ei confidit. Etenim oportet agnoscere Deum ipsum, aeternum Patrem, imprimis *se credidisse Virgini Nazarethanae,* dando ei suum Filium in Incarnationis mysterio. Haec electio, qua ad summum munus ac dignitatem Matris Filii Dei evehitur, in ordine ontologico refertur ad ipsam veritatem unionis utriusque naturae in persona Verbi (quae est *unio hypostatica).* Haec res ipsa fundamentalis, unde est Mater Filii Dei, ab initio est animus plane patens personae Christi, toti eius operi, toti eius missioni. Verba « ecce ancilla Domini », huic spiritum Mariae patentem testificantur, quae in se perfecte iungit amorem, qui virginitatis est et amorem maternitatis proprium, inter se consertos et quodammodo permixtos.

Quapropter Maria facta est non solum « mater-nutrix » Filii hominis, sed etiam « generosa socia » modo prorsus peculiari[101] Messiae ac Redemptoris. Quemadmodum iam dictum est, ea in peregrinatione fidei procedebat atque tali in sua *peregrinatione* usque ad Crucis stipitem, simul eius *cooperatio* materna est effecta, quam toti missioni Salvatoris actionibus suis ac doloribus praestitit. In huius cooperationis via, quam operi Filii Redemptoris praebuit, ipsa Mariae maternitas singularem in modum est transformata, quatenus magis in dies « flagranti caritate » in omnes est repleta, ad quos Christi missio spectabat. Ope huius « flagrantis caritatis », pertinentis «ad vitam animarum supernaturalem restaurandam»,[102]

[100] *Ibid.,* 62.
[101] *Ibid.,* 61.
[102] *Ibid.,* 61.

Maria *ingressa est modo prorsus personali in unicam mediationem* ((inter Deum et homines », *quae est mediatio hominis Christi Iesu.* Quoniam ipsa prima in se est experta effectus supernaturales unicae huius mediationis — iam in annuntiatione ut « plena gratia » est salutata — affirmandum est eam ob talem plenitudinem gratiae vitaeque supernaturalis peculiari ratione paratam fuisse ad cooperandum Christo, unico Mediatori humanae salutis. Quae *cooperatio* est *ipsa mediatio subordinata* mediationi Christi.

Ad Mariam quod attinet, agitur de mediatione peculiari et * extraordinaria, in eius « plenitudine gratiae » innixa, quae in omnimodam promptitudinem « ancillae Domini » vertebatur. Hanc interiorem promptitudinem Matris rependens, Iesus Christus magis magisque eam composuit ut pro hominibus « mater in ordine gratiae » fieret. Hoc quidem significant, saltem oblique, res quaedam singulares, quas synoptici indicant (cfr. *Lc* 11, 28; 8, 20-21; *Me* 3, 32-34; *Mt* 12, 47-50), potius autem Evangelium secundum Ioannem (cfr. 2, 1-11; 19, 25-27); quas res iam illustravimus. Verba a Iesu in Cruce prolata, ad Mariam et Ioannem attinentia, hac ratione peculiarem in modum sunt significantia.

40. Post resurrectionis et ascensionis eventa Maria cum apostolis in cenaculum se conferens, ut Pentecosten exspectarent, huic rei interfuit ut Mater Domini glorificati. Non solum « in peregrinatione fidei processit » atque unionem cum Filio fideliter servavit « usque ad Crucem », sed *fuit etiam « ancilla Domini », a Filio suo intra Ecclesiam exorientem collocata ut mater:* « Ecce mater tua ». Ita factum est ut specialis nexus coeptus sit statui inter hanc Matrem et Ecclesiam. Ecclesia enim exoriens fructus fuit Crucis et resurrectionis Filii eius. Maria, quae inde ab initio sine ulla exceptione se personae et operi Filii devoverat, facere non potuit quin maternam hanc suam donationem in Ecclesiam, iam ab huius primordiis, ef-

funderet. Post Filii abitionem eius maternitas manet in Ecclesia ut mediatio materna: pro cunctis filiis suis intercedens, Mater actioni salvificae Filii Redemptoris mundi cooperatur. Re quidem vera Concilium docet: « Haec autem in gratiae oeconomia maternitas Mariae *indesinenter perdurat*... usque ad perpetuam omnium electorum consummationem ».[103] Materna mediatio ancillae Domini per mortem redemptricem Filii eius hanc universalem rationem est consecuta, quia opus redemptionis cunctos complectitur homines. Ita modo singulari efficacitas unicae et universalis mediationis Christi « inter Deum et homines » manifestatur. Cooperatio Mariae, indole quidem ((subordinata » praedita, *universalitatem mediationis Redemptoris,* unius Mediatoris, *participat.* Quod Concilium verbis modo allatis aperte edicit.

« In coelum enim assumpta » — ita etiam scriptum legimus — « salutiferum hoc munus non deposuit, sed multiplici intercessione sua pergit in aeternae salutis donis nobis conciliandis ».[104] Hac indole « intercessionis », quae primum in Cana Galilaeae est manifestata, mediatio Mariae in historia Ecclesiae et mundi continuatur. Maria, ut scriptum videmus, « materna sua caritate de fratribus Filii sui adhuc peregrinantibus necnon in periculis et angustiis versantibus curat, donec ad felicem patriam perducantur».[105] Hoc sane modo maternitas Mariae in Ecclesia indesinenter perdurat ut mediatio intercedens, atque Ecclesia fidem in hanc veritatem enuntiat invocans Mariam nominibus Advocatae, Adiutricis, Auxiliatricis, Mediatricis.[106]

[103] *Ibid.,* 62.

[104] *Ibid.,* 62.

[105] *Ibid.,* 62. Etiam in suis precibus Ecclesia confitetur celebratque «munus maternum» Mariae: munus «intercessionis et veniae, impetrationis et gratiae, reconciliationis et pacis » (cfr. praefatio Missae de Beata Maria Virgine, Matre et Mediatrice gratiae, *Collectio Missarum de Beata Maria Virgine,* ed. typ. 1987, I, 120).

[106] *Ibid.,* 62.

41. Per mediationem suam subordinatam mediationi Redemptoris Maria *peculiarem in modum* confert *ad efficiendam unionem Ecclesiae* peregrinantis in terra cum « *realitate* » eschatologica et caelesti communionis sanctorum, quippe cum sit iam « assumpta in coelum ».[107] Veritas de assumptione, a Pio XII definita, a Concilio Vaticano II rursus est affirmata, quod sic fidem Ecclesiae est professum : « Denique Immaculata Virgo, ab omni originalis culpae labe praeservata immunis, expleto terrestris vitae cursu, *corpore et anima ad coelestem gloriam assumpta est,* ac tamquam *universorum Regina* a Domino *exaitata,* ut plenius conformaretur Eilio suo, Domino dominantium (cfr. *Apc* 19, 16) ac peccati mortisque victori ».[108] Qua doctrina Pius XII Traditionem est secutus, quae in historia Ecclesiae sive in Oriente sive in Occidente, multipliciter est expressa.

Mysterio assumptionis in caelum in Maria omnes effectus unicae mediationis *Christi mundi Redemptoris* ac *Domini a mortuis suscitati* ad supremum evenerunt: « in Christo omnes vivificabuntur. Unusquisque autem in suo ordine : primitiae Christus, deinde hi, qui sunt Christi » *(i Cor* 15, 22-23). In assumptionis mysterio fides Ecclesiae significatur, secundum quam Maria vinculo arcto et indissolubili cum Christo coniungitur, quia, si mater virgo ei iuncta erat modo peculiari *in eius primo adventu,,* id propter continentem cooperationem cum eo etiam in alterius adventus exspectatione continget : « Intuitu meritorum Filii sui sublimiore modo redempta »,[109] etiam munus peculiare, proprium matris, mediatricis clementis, gerit *in adventu postremo,* cum omnes vivificabuntur, qui

[107] *Ibid.,* 62; cfr. S. IOANNES DAMASCENUS, *Horn, in Dormitionem,* I, 11; II, 2, 14; III, 2: *S. Ch.* 80, His.; 127-131; 157-161; 181-185; S. BERNARDUS, *In Assumptione Beatae Mariae Sermo,* 1-2: *S. Bernardi Opera,* V, 1968, 228-238.

[108] Const. dogm. *Lumen Gentium* de Ecclesia, 59; cfr. Pius PP. XII, Const. Ap. *Munificentissimus Deus* (1 Novembris 1950): *AAS* 42 (1950) 769-771; S. Bernardus ostendit Mariam circumfusam splendore gloriae Filii: *In Dominica infra oct. Assumptionis Sermo,* 3: *S. Bernardi Opera,* V, 1968, 263 s.

[109] CONC. OEC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen Gentium* de Ecclesia, 53.

sunt Christi, et « novissima inimica destruetur mors » *(1 Cor* 15, 26)."°

Cum hac exaltatione praecelsae « Filiae Sion »[111] per assumptionem in caelum conectitur mysterium aeternae eius gloriae. Mater enim Christi glorificata est ut « universorum Regina ».[112] Quae enim in annuntiatione se « ancillam Domini » appellavit, ea usque in finem fidelis perstitit in eo quod hoc nomen significat et sic comprobavit se esse veram « discipulam » Christi, qui indolem ministerii, in missione sua insidentem, vehementer praedicavit: « Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare et dare animam suam redemptionem pro multis » *(Mt* 20, 28). Sic ergo Maria prima evasit inter eos, qui « Christo etiam in aliis servientes, fratres suos ad Regem, cui servire regnare est, humilitate et patientia perducant »;[113] et illam « condicionem libertatis regalis » plene obtinuit, quae propria est Christi discipulorum: servire idem valet ac regnare !

« Christus, factus oboediens usque ad mortem ... propter quod et Deus exaltavit illum (cfr. *P hii* 2, 8-9), in gloriam regni sui intravit; cui omnia sunt subiecta, donec ipse subiciet Patri se ipsum et omnia, ut Deus sit omnia in omnibus (cfr. *1 Cor,* 15, 27-28) ».[114] Maria, ancilla Domini, hoc Filii regnum participat.[115] *Gloria serviendi* non desinit esse regalis eius exaltatio : illius in caelum assumptae non terminatur ministerium salvificum, in quo materna mediatio declaratur « usque ad per-

[110] Quod attinet ad hanc praecipuam partem intercessionis Mariae ut *impetratricis dementiae* apud « Filium Iudicem », cfr. S. BERNARDUS, *In Dominica infra oct. Assumptionis Sermo,* 1-2: *S. Bernardi Opera,* V, 1968, 262 s.; LEO PP. XIII, Ep. Enc. *Octobri Mense* (22 Septembris 1891): *Acta Leonis,* IX, 299-315.

[111] CONO. OEC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen Gentium* de Ecclesia, 55.

[112] *Ibid.,* 59.

[113] *Ibid.,* 36.

[114] *Ibid.,* 36.

[115] De Maria Regina, cfr. S. IOANNES DAMASCENUS, *Horn, in Nativitatem,* 6; 12; *Horn, in Dormitionem,* I, 12, 14; II, 11; III, 4: *8. Ch.* 80, 59 s.; 77 s.; 83 s.; 113 s.; 117; 151 s.; 189-193.

petuam omnium electorum consummationem ».[116] Sic ergo ea quae in terra «suam... unionem cum Filio fideliter sustinuit usque ad Crucem », pergit esse coniuncta cum eo, dum iam « subiecta fuerint illi omnia, *tunc ipse ... subiectus erit illi, qui sibi subiecit omnia, ut sit Deus omnia in omnibus* ». Maria ergo in assumptione in caelum quasi circumfusa est illa reali communione sanctorum atque ipsa eius unio cum Filio in gloria fertur tota ad supremam illam regni plenitudinem, *cum « Deus erit omnia in omnibus ».*

In hoc etiam spatio mediatio materna Mariae non desinit esse subordinata ei qui est unus Mediator, usque ad terminalem consummationem « plenitudinis temporum », id est usque ad recapitulanda omnia in Christo (cfr. *Eph* 1, 10).

42. Concilium Vaticanum II, cum Traditione cohaerens, novam lucem coniecit in partes Matris Christi in Ecclesiae vita. « Beata ... Virgo divinae maternitatis dono ... quo cum Filio Redemptore unitur, suique singularibus gratiis et muneribus, etiam cum Ecclesia intime coniungitur: *Deipara est Ecclesiae typus*... in ordine scilicet fidei, caritatis et perfectae cum Christo unionis ».[117] Ut iam supra vidimus, Maria inde ab initio cum apostolis mansit in exspectatione Pentecostes atque, cum sit « beata, quae credidit », in progenies et progenies praesens adest in Ecclesia, in fide peregrinante, et ut exemplum spei, quae non confundit (cfr. *Rom* 5, 5).

Maria credidit fore ut perficerentur ea quae dicta erant ei a Domino. Ut virgo credidit se concepturam et parituram esse filium: « Sanctum », cui congruit nomen « Filius Patris », nomen « Iesus » (Deus, qui salvum facit). Ut ancilla Domini fideliter omnino haesit personae et muneri huius Filii. Ut mater, « credens et oboediens, ... ipsum *Filium Dei* in terris genuit et quidem viri nescia, Spiritu Sancto obumbrata ».[118]

[116] CONC. OEC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen Gentium* de Ecclesia, 62.
[117] *Ibid.,* 63.
[118] *Ibid.,* 63.

Hac de causa Maria « speciali cultu ab Ecclesia merito honoratur »; iam ab antiquissimis temporibus titulo « Deiparae » colitur, sub cuius praesidium fideles in cunctis periculis et necessitatibus suis deprecantes confugiunt.[119] Hic cultus est omnino peculiaris: eo continetur et significatur arctus nexus *inter Matrem Christi et Ecclesiam.*[120] Maria, ut virgo et mater, « perenne exemplar » Ecclesiae manet. Itaque affirmari licet secundum hanc rationem, id est ut exemplar vel potius ut typum, Mariam, quae praesens adsit in mysterio Christi, iugiter praesentem adesse etiam in mysterio Ecclesiae. Ecclesia enim etiam « appellatur mater et virgo », quod nomen alta doctrina biblica ac theologica probatur.[121]

43. *Ecclesia* « per verbum Dei fideliter susceptum et ipsa *fit mater* ».[122] Ut Maria, quae prima credidit, verbum Dei in annuntiatione sibi revelatum suscipiens atque fidem ei servans in omnibus tribulationibus usque ad Crucem, Ecclesia « fit mater » cum, *fideliter suscipiens verbum Dei,* « praedicatione ac baptismo *filios,* de *Spiritu Sancto* conceptos et ex Deo natos, *ad vitam novam et immortalem generat*».[123] Haec proprietas « materna » ab Apostolo gentium est praedicata his verbis: « Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis!» *(Gal* 4, 19). Quibus in verbis sancti Pauli vestigium, studium excitans, continetur conscientiae maternae Ecclesiae primaevae, ministerio apostolico inter homines deditae. Quae conscientia effecit et efficit continenter ut Ecclesia existimet mysterium vitae suae, *exemplo ipsius Genetricis Filii praefulgente,* qui est « primogenitus in multis fratribus » *(Rom* 8, 29).

[119] *Ibid.,* 66.

[120] Cfr. S. AMBROSIUS, *De Institutione Virginis,* XIV, 88-89: *PL* 16, 341 s.; S. AUGUSTINUS, *Sermo* 215, 4: *PL* 38, 1074; *De Sancta Virginitate,* II, 2; V, 5; VI, 6: *PL* 40, 397; 398 s.; 399; *Sermo* 191, II, 3: *PL* 38, 1010 s.

[121] Cfr. CONC. OEC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen Gentium* de Ecclesia, 63.

[122] *Ibid.,* 64.

[123] *Ibid.,* 64.

Ecclesia a Maria, ut asseri licet, etiam propriam discit maternitatem. Ea agnoscit maternam rationem vocationis suae, quae cum natura eius sacramentali essentialiter conectitur, « eius arcanam sanctitatem contemplans et caritatem imitans, voluntatemque Patris fideliter adimplens».[124] Ecclesia, si est « sacramentum seu signum intimae cum Deo unionis », id ipsum est ob suam maternitatem, quia, a Spiritu vivificata, « generat » filios et filias humanae familiae in vitam novam in Christo. Quemadmodum *Maria mysterio Incarnationis inservit,* ita *Ecclesia* per gratiam ministrat mysterio *adoptionis filiorum.*

Simul vero Ecclesia, exemplo Mariae, virgo fidelis Sponso suo esse perseverat: « Et ipsa est virgo, quae fidem Sponso datam integre et pure custodit ».[125] Ecclesia enim est sponsa Christi, quemadmodum ex Epistulis sancti Pauli elucet (cfr. *Eph* 5, 21-23; *2 Cor* 11, 2) atque ex appellatione a Ioanne usurpata: « Sponsa Agni » *(Apc* 21, 9). Si *Ecclesia* ut sponsa « fidem Christo datam custodit », haec fidelitas, quamvis in Apostoli doctrina facta sit imago matrimonii (cfr. *Eph* 5, 23-30), habet tamen simul vim typi omnimodae donationis Deo in caelibatu factae « propter regnum caelorum » *(Mt* 19, 12), seu *virginitatis Deo consecratae* (cfr. *Mt* 19, 11-12; 2 *Cor* 11, 2). Haec ipsa virginitas, exemplo Virginis Nazarethanae, fons est peculiaris fecunditatis spiritualis: scilicet est *fons maternitatis in Spiritu Sancto.*

Ecclesia vero etiam fidem tuetur a Christo *acceptam:* exemplo Mariae, quae conservabat et conferebat in corde suo (cfr. *Lc 2,* 19. 51) quaecumque ad Filium suum divinum spectabant, satagit verbum Dei custodire, eius ubertatem cum iudicio et prudentia investigare ut omnibus temporibus fideliter id exponat cunctis hominibus.[126]

[124] ***Ibid.,*** 64.

[125] *Ibid..* 64.

[126] Cfr. CONC. OEC. VAT. II, Const. dogm. *Dei Verbum* de Divina Revelatione, 8; S. BONAVENTURA, *Comment, in Evang. Lucae,* Ad Claras Aquas, VII, 53, n. 40; 68, n. 109.

44. Cum ergo haec egregii exempli ratio habeatur, Ecclesia cum Maria convenit annititurque ut ei similis reddatur. « Imitans Domini sui Matrem, virtute Spiritus Sancti, virginaliter servat integram fidem, solidam spem, sinceram caritatem ».[127] Est igitur Maria ut *exemplar* praesens in mysterio Ecclesiae. Verumtamen mysterium Ecclesiae in eo est etiam positum ut ad vitam novam et immortalem homines generet: agitur de eius maternitate in Spiritu Sancto. Hac vero in re Maria non est solum exemplar ac typus Ecclesiae, sed multo plus ei oportet tribuatur. Re quidem vera « *materno amore cooperatur ad gignendos et educandos* » filios et filias matris Ecclesiae. Maternitas Ecclesiae non efficitur solum secundum exemplar ac typum Dei Genetricis, sed etiam eius « cooperatione ». Haurit abunde Ecclesia ex hac cooperatione, id est ex speciali mediatione materna Mariae, quatenus iam in terra cooperata est ad gignendos et educandos filios et filias Ecclesiae, ut Mater illius Filii, <(quem Deus posuit primogenitum in multis fratribus ».[128]

« Materno amore cooperatur » : sic Concilium Vaticanum II docet.[129] Hic germana vis perspicitur verborum, a Iesu, quo tempore in Cruce pendebat, dictorum Mariae : « Mulier, ecce filius tuus», et Ioanni: «Ecce mater tua» *(Io* 19, 26-27). Quibus verbis *locus statuitur, quem Maria in vita Christi discipulorum obtinet.* Atque ut iam asseruimus, significatur nova eius maternitas ut Matris Redemptoris: maternitas spiritualis, exorta e profundo mysterii paschalis Redemptoris mundi. Est maternitas in ordine gratiae, quia donum Spiritus Sancti implorat, qui novos filios Dei suscitat, sacrificio Christi redemptus : illius dicimus Spiritus, quem etiam Maria una cum Ecclesia die Pentecostes accepit.

Haec eius maternitas a populo christiano peculiari modo

[127] CONC. OEC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen Gentium* de Ecclesia, 64.
[128] ***ma.,*** 63.
[129] Cfr. *ibid.*

animadvertitur et in vitae usum deducitur in *sacro Convivio* — id est in celebratione liturgica Redemptionis — in quo Christus fit praesens, eius *verum corpus natum de Maria Virgine.*

Merito ergo populus christianus pro pietate sua semper arctum nexum inter devotionis officia erga Beatam Mariam Virginem et cultum eucharisticum conspexit : quod quidem in Liturgia sive occidentali sive orientali, in traditione Familiarum religiosarum, in spirituali disciplina motuum huius aetatis, etiam iuvenilium, in re pastorali Sanctuariorum marialium potest observari. *Maria fideles ad Eucharistiam deducit.*

45. Maternitatis praecipuum est ut referatur ad personam. Ea semper constituit *unicam neque iterabilem rationem* inter duas personas: *rationem matris cum filio* et *filii cum matre.* Etiam quando mulier aliqua multorum filiorum est mater, personalis eius ratio cum unoquoque eorum denotat maternitatem, ad huius essentiam quod attinet. Unusquique enim filius modo unico et non iterabili est genitus, quod quidem pertinet sive ad matrem sive ad filium. Unusquisque filius amore illo materno fovetur, in quo eius educatio et maturatio in humanitate innituntur.

Asseverari licet maternitatem « in ordine gratiae » similitudinem habere illius rei, qua coniunctio matris cum filio « in ordine naturae » signatur. Hac luce affulgente, facilius comprehenditur in testamento a Christo in loco Golgotha nuncupato novam maternitatem Matris ipsius numero singulari de uno viro esse declaratam : « Ecce filius tuus ».

Praeterea verbis illis plene significatur id quod causam *rationis marialis discipulorum Christi constituat:* non solum Ioannis, qui tunc iuxta Crucem stabat cum Matre Magistri sui, sed etiam cuiusque discipuli Christi, cuiusque christiani. Redemptor Matrem suam Ioanni committit quia Ioannem committit Mariae. Maternitas Mariae, quae hereditas fit hominis, est donum : *donum, quod Christus ipse* personali modo cuique

homini tribuit. Ut Redemptor Mariam Ioanni committit, ita simul Ioannem concredit Mariae. Iuxta Crucem ille actus incipit peculiaris, quo *homo Matri Christi committitur,* quique postea in Ecclesiae historia variis modis exercebatur atque exprimebatur. Cum idem apostolus et evangelista, postquam verba a Iesu in Cruce pendente Matri et sibimet ipsi facta attulit, addit : « Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua » *(Io* 19, 27), haec locutio sine dubio significat discípulo filii munus traditum esse eumque curam Matris dilecti Magistri suscepisse. Et quoniam Maria ipsimet ut Mater est data, sententia talis demonstrat, licet oblique, quiquid intimam illam rationem declarat, quae inter filium et matrem intercedit. Totum hoc contineri potest verbo « commendationis ». *Commendatio* respondet amori alicuius personae, ac modo peculiari *matris amori.*

Marialis ratio vitae discipuli Christi peculiari modo declaratur ipsa hac actione se, filii more, commendandi Matri Dei : testamento incohata, quod Christus in loco Golgotha fecit. Fidelis, se filii in modum dedens Mariae, ut Ioannes apostolus, accipit « in sua » [130] Matrem Christi atque in omnia inducit, quae eius propriam vitam interiorem constituunt, videlicet in suum « ego » humanum et christianum : « *accepit eam in sua* ». Sic ergo in orbem illum ingredi studet, ubi « materna eius caritas » operatur, qua Mater Redemptoris « de fratribus Filii sui curat » ; [131] « ad quos gignendos et educandos ... cooperatur », [132] secundum mensuram doni, quae uniuscuiusque est propria, virtute Spiritus Christi. Ita etiam maternitas illa

[130] Ut est notum, in Graeco textu illa dictio «sic rà Ï8ux» significat plus quam **a** discípulo Mariam receptam esse in aliquod hospitium vel curam corpoream domi ipsius, potius *vitae communitatem* inter eos constitutam ex Christi morientis verbis: cfr. S. AUGUSTINUS, *In Ioan. Evang. tract.* 119, 3: *CCL* 36, 659: «Suscepit ergo eam in sua, non praedia, quae nulla propria possidebat, sed officia, quae propria dispensatione exequenda curabat ».

[131] CONC. OEC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen Gentium* de Ecclesia, 62.

[132] *Ibid.,* 63.

secundum Spiritum explicatur, quae munus Mariae iuxta Crucem s tantis et in cenáculo praesentis evasit.

46. Haec ratio filii propria, hic habitus, quo filius se Matri dedit, non solum in Christo exordium cepit, sed, ut fas est dicere, ad summum *in eum dirigitur*. Affirmari licet Mariam pergere cunctos iisdem verbis iterum alioqui, quae in Cana Galilaeae protulit: «Quodcumque dixerit vobis, facite». Re quidem vera ipse, Christus, unus est Mediator inter Deum et homines, ipse est « via, veritas et vita » *(Io* 14, 6); ipse, quem Pater dedit mundo ut homo « non pereat, sed habeat vitam aeternam » *(Io* 3, 16). Virgo Nazarethana prima effecta est « testis » huius amoris salvifici Patris atque *semper et ubique* pergere cupit esse eius « *humilis ancilla* ». Respectu cuiusque christiani, cuiusque hominis, Maria est illa « quae credidit » prima, atque ipsa hac fide Sponsae et Matris omnes vult efficaciter movere, qui ei ut filii sese committunt. Notum est hoc: quo magis hi filii perseverant hac in affectione ampliusque in ea progrediuntur, eo propius Maria eos adducit ad « investigabiles divitias Christi » *(Eph* 3, 8). Et tantundem illi melius in dies agnoscunt dignitatem hominis secundum totam eius plenitudinem necnon supremam significationem vocationis eius, quia « Christus ... hominem ipsi homini plene manifestat ».[133]

Haec ratio marialis in vita christiana ponitur peculiari in lumine, si ad mulierem eiusque condicionem spectatur. Re enim vera muliebritas versatur in *necessitudine singulari* cum Redemptoris Matre, quod argumentum alias poterit penitius tractari. Hic solum animadvertere placet Mariam Nazarethanam lucem effundere *in mulierem ut talem* eo ipso quod Deus, in praecelso eventu Incarnationis Filii, ministerio libero et actuoso mulieris est usus. Itaque asseri licet mulierem, si

[133] CONC. OEC. VAT. II, Const. past. *Gaudium et spes* de Ecclesia in mundo huius temporis, 22.

Mariam intueatur, in ea invenire viam digne vivendi e sua muliebri ta te atque veram promotionem suam perficiendi. Mariae habita ratione, Ecclesia in vultu cuiusque mulieris quasi repercussam pulchritudinem conspicit, speculum videlicet praestantissimorum animi sensuum, qui in corde humano inesse possunt; cuiusmodi sunt: amor, qui totum se offert; vis maximis doloribus renitendi; fidelitas nullis finibus circumscripta et navitas infatigabilis ; facultas coniungendi aerem perspicientiam cum verbis, quae animum sustinent atque confirmant.

47. Inter Concilium Paulus VI sollemniter edixit *Mariam esse Matrem Ecclesiae,* « id est Matrem totius populi christiani, tam fidelium quam Pastorum ».[134] Postmodum, anno MCMLXVIII, in Professione Eidei, quae ut « symbolum » (« credo ») Populi Dei nota est, verbis etiam signicantioribus hanc iteravit sententiam: «Credimus Sanctissimam Dei Genetricem, novam Hevam, Matrem Ecclesiae, caelitus nunc materno pergere circa Christi membra munere fungi, quo ad gignendam augendamque vitam divinam in singulis hominum redemptorum animis opem confert ».[135]

Magisterium Concilii inculcavit veritatem de Sanctissima Virgine Maria, Matre Christi, esse idoneum instrumentum ad penitius perspiciendam veritatem de Ecclesia. Ipse Paulus VI, loquens de Constitutione, a verbis « Lumen Gentium » incipiente, quam Concilium modo approbaverat, dixit: « *Cognitio* verae doctrinae catholicae *de Beata Maria Virgine* semper subsidium erit efficax ad *recte intellegendum mysterium Christi et Ecclesiae* ».[136] Maria in Ecclesia praesens adest ut Mater Christi ac simul ut Mater illa quam Christus in mysterio redemptionis dedit homini in persona Ioannis apostoli. Qua-

[134] Cfr. PAULUS PP. VI, *Allocutio habita die 21 Novembris 196$: AAS* 56 (1964) 1015.
[135] PAULUS PP. VI, *Sollemnis Professio Fidei* (30 Iunii 1968), n. 15: *AAS* 60 (1968) 438 s.
[136] PAULUS PP. VI, *Allocutio habita die 21 Novembris 196.',: AAS* 56 (1964) 1015.

propter Maria, nova maternitate in Spiritu praedita, complectitur universos et unumquemque *in* Ecclesia, complectitur etiam universos et unumquemque *ope* Ecclesiae. Hac significatione Mater Ecclesiae est etiam exemplar Ecclesiae. Haec enim — ut Paulus VI desideravit postulavitque — « a Deipara Virgine absolutissimum exemplum sumat, quo perfecte Christum imitari oporteat ».[137]

Hoc singulari nexu, quo Mater Christi iungitur Ecclesiae, *magis patefit mysterium illius « mulieris »*, quae a prioribus capitibus Libri *Genesis* usque ad *Apocalypsin* sociatur revelationi consilii Dei de genere humano. Maria enim, praesens in Ecclesia ut Mater Redemptoris, materno animo participat illam « arduam colluctationem contra potestates tenebrarum ... quae universam hominum historiam pervadit ».[138] Atque hoc eo quod e sententia ecclesiali idem est ac « mulier amicta sole » *(Apc* 12, 1),[139] haec licet affirmari: « Ecclesia in Beatissima Virgine ad perfectionem iam pertingit, qua sine macula et ruga exsistit ». Ideo « christifideles, oculos suos ad Matrem per fidem in terrena peregrinatione attollentes, nituntur ut in sanctitate crescant ».[140] Maria, praecelsa filia Sion, universos filios suos, ubicumque et utcumque vivunt, adiuvat *ad inveniendam in Christo viam ad domum Patris ducentem.*

Sic igitur Ecclesia, in tota vita sua, vinculum servat cum Dei Matre, quod tempus praeteritum, praesens, futurum complectitur in mysterio salvifico eamque ut Matrem quidem hominum spiritualem et « gratiae advocatam » veneratur.

48. Ipsum hoc peculiare vinculum inter genus humanum et hanc Matrem nos induxit ut temporis spatio, quod finem secundi millennii a Christo natali praecedit, Annum Marialem in

[137] *Ibid.,* 1016.

[138] Cfr. CONC. OEC. VAT. II, Const. past. *Gaudium et spes* de Ecclesia in mundo huius temporis, 37.

[139] Cfr. S. BERNARDUS, *In Dominica infra oct. Assumptionis Sermo: S. Bernardi Opera,* V, 1968, 262-274.

[140] CONC. OEC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen Gentium* de Ecclesia, 65.

Ecclesia in diceremus. Simile inceptum iam superiore aetate contigit fieri, cum Pius XII statuit ut annus MCMLIV esset Marialis, eo consilio ut in lumine poneret singularem sanctitatem Matris Christi, quae in mysteriis Immaculatae Conceptionis eius (uno admodum saeculo antea definitae) eiusque Assumptionis in caelum declararetur.[141]

Nunc vero, sententiam Concilii Vaticani II secuti, *singularem praesentiam* Deiparae in mysterio Christi eiusque Ecclesiae cupimus efferre. Haec enim est ratio fundamentalis, quae ex mariologia Concilii emanat, a cuius fine iam amplius viginti anni abierunt. Synodus extraordinaria Episcoporum, anno MCMLXXXV celebrata, omnes est cohortata ut magisterium et normas Concilii fideliter observarent. Asseverari licet in iis — in Concilio et Synodo — id contineri quod ipse Spiritus Sanctus cupiat « dicere Ecclesiae » hoc historiae tempore.

Qua in rerum condicione Annus Marialis oportet mentes inducat ut etiam ea nova ratione ac penitius perspiciantur, quae Concilium docuit de Beata Virgine Maria, Matre Dei, in mysterio Christi et Ecclesiae, de qua re considerationes monent harum Encyclicarum Litterarum. Agitur hic non solum *de doctrina fidei, sed etiam de vita ex fide ducta* ideoque de vera « spiritualitate mariali », quatenus e Traditione eruitur, ac maxime de spirituali disciplina, ad quam Concilium nos hortatur.[142] Praeterea « *spiritualitas* » marialis, perinde atque ei congruens *devotio,* uberrimum fontem habet in experientia historica variarum communitatum christianarum, quae inter diversos populos et nationes in toto degunt orbe terrarum.

Ad hoc quod attinet, iuvat nos, inter tot testes et magistros huiusmodi « spiritualitatis », commemorare sanctum Ludovicum Mariam Grignion de Montfort, qui christifidelibus pro-

[141] Cfr. Litt. Enc. *Fulgens Corona* (8 Septembris 1953): *AAS* 45 (1953) 577-592. Pius PP. X Litt. Enc. *Ad diem illum* (2 Februarii 1904) instante L anno a definito dogmate Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis indixerat et ipse Iubilaeum extra ordinem aliquot mensium: *Pii X P. M. Acta,* I, 147-166.

[142] Cfr. Const. dogm. *Lumen Gentium* de Ecclesia, 66, 67.

posuit consecrationem Christo, per manus Mariae praestandam, ut efficax subsidium ad vivendum fideliter secundum promissiones baptismales.[143] Significare gaudemus temporibus etiam nostris novas rationes huiusce « spiritualitatis » ac devotionis non deesse. Itaque certa quaedam habemus, quo nos referamus, quo spectemus, quibuscum nos coniungamus per hunc Annum Marialem.

49. Indictus Annus Marialis *in sollemnitate Pentecostes, die VII mensis Iunii proximi, initium capiet.* Non tantum id agitur ut memoretur Mariam praecessisse ingressum Christi Domini in historiam generis humani, sed etiam ut probe explicetur, mentis oculis ad Mariam conversis, inde ab impleto mysterio Incarnationis historiam generis humani intravisse in « plenitudinem temporis » atque Ecclesiam esse huius plenitudinis signum. Ut Populus Dei, *Ecclesia* peregrinatur per fidem ad aeternitatem versus, inter omnes populos ac nationes, exordio sumpto a die Pentecostes. *Mater Christi,* quae primordiis « temporis Ecclesiae » interfuit, cum Spiritum Sanctum praestolando inter apostolos ac discipulos Filii sui insistebat orationi, continenter « praecedit » Ecclesiam in hoc *itinere* eius inter vicissitudines generis humani. Ea est etiam, quae sane ut « ancilla Domini » indesinenter se operi salutis consociat, quod a Christo, eius Filio, patratur.

Itaque per hunc Annum Marialem universa *Ecclesia vocatur* non solum ad ea commemoranda omnia, quae praeteritis temporibus testificantur peculiarem maternam cooperationem a Deipara operi salutis Christi Domini praestitam, sed etiam ad *praeparandas* in tempus futurum vias huiusce cooperationis, quam Ecclesia praebet: siquidem finis alterius millennii est simul initium tertii millennii.

[143] Cfr. S. LUDOVICUS MARIA GRIGNION DE MONTFORT, *Traité de la vraie dévotion à la sainte Vierge.* Cum hoc Sancto sociari merito potest S. Alfonsus Maria de' Liguori, cuius hoc anno celebratur bis centenarius dies mortis. Cfr. inter opera eius: *Le glorie di Maria.*

50. Perinde atque iam est commonitum, etiam inter fratres seiunctos complures Matrem Domini colunt ac celebrant, praesertim apud Orientales. Sic lux marialis effunditur super oecumenismum.

Peculiari ratione rursus in memoriam cupimus revocare fore ut per Annum Marialem expleatur *Millennium baptismi* sancti Vladimiri, Magni Principis Kioviae (anno DCCCCLXXXVIII), unde Christianismus sumpsit exordium in amplis territoriis Rus[5], ut illa erat aetate, ac postmodum aliis in regionibus Europae Orientalis atque hac via, opere evangelizationis patrando, Christianismus etiam ultra Europam est diffusus usque ad loca ipsa septentrionalia continentis Asiaticae. Itaque, praesertim Anno Mariali volvente, nos orando coniungere volumus cum omnibus, qui Millennium huius Baptismi celebrabunt, sive orthodoxi sive catholici, verba Concilii iterantes et confirmantes: « Sacrosanctae huic Synodo magnum affert gaudium et solatium ... quod Orientales ... ad cultum Deiparae semper Virginis fervido impulsu ac devoto animo concurrunt».[144] Licet tristes eventus separationis adhuc experiamur, quae postea est facta, tamen asseverare possumus *nos coram Beata Matre Christi sentire nos veros fratres et sorores* esse, intra Populum illum messianicum, qui vocatur ut una sit familia Dei in terra, quemadmodum novo anno ineunte annuntiavimus: <(Confirmare cupimus hanc universalem hereditatem omnium filiorum et filiarum istius terrae ».[145]

Cum Annum Marialem indiceremus, praestituimus etiam ut finem caperet anno proximo, *in sollemnitate Assumptionis Beatae Mariae Virginis* ut in lumine poneretur « signum magnum in caelo », de qua in Apocalypsi agitur. Hoc modo etiam adhortationem Concilii exsequi volumus, quod Mariam habet « signum certae spei et solatii peregrinanti Populo Dei praelucens ». Quam quidem hortationem Concilium hisce verbis

[144] Const. dogm. *Lumen Gentium* de Ecclesia, 69.

[145] Homilia in Petriana Basilica habita die 1 Ianuarii 1987.

edicit: « Universi christifideles supplicationes instantes ad Matrem Dei et Matrem hominum effundant, ut Ipsa, quae primitiis Ecclesiae precibus suis adstitit, nunc quoque in caelo super omnes beatos et angelos exaltata, in omnium Sanctorum Communione apud Filium suum intercedat, donec cunctae familiae populorum, sive quae christiano nomine decorantur, sive quae Salvatorem suum adhuc ignorant, cum pace et concordia in unum Populum Dei feliciter congregentur, ad gloriam Sanctissimae et individuae Trinitatis ».[146]

51. In fine cotidianae Liturgiae Horarum, inter alias antiphonas, haec ab Ecclesia ad Mariam dirigitur:

Alma Redemptoris Mater, quae pervia caeli
porta manes, et stella maris, succurre cadenti,
surgere qui curat, populo; tu quae genuisti,
natura mirante, tuum sanctum Genitorem!

« Natura mirante »! Haec antiphonae verba illum *stuporem fidei* significant, qui mysterio divinae maternitatis Mariae sociatur. Ei sociatur, quodammodo, quasi in corde totius creaturae et proxime in corde totius Populi Dei, in corde Ecclesiae. Quam longe — mirabiliter quidem — Deus, conditor ac dominus rerum omnium, est progressus homini « se ipsum revelando »![147] Quam dilucide superavit universa spatia infiniti illius « intervalli », quo creator a creatura separatur! Quodsi in se ipso esse pergit ineffabilis et inscrutabilis, magis ineffabilis et inscrutabilis est in veritate Incarnationis Verbi, quod homo factum est de Virgine Nazarethana.

Si ab aeterno statuit hominem asciscere ut esset « divinae consors naturae » (cfr. *2 Pe* 1, 4), affirmari licet eum sibi proposuisse « deificationem » hominis secundum huius condiciones

[146] Const. dogm. *Lumen Gentium* de Ecclesia, 69.

[147] Cfr. Const. dogm. *Dei Verbum* de Divina Revelatione, 2: «Hac itaque revelatione Deus invisibilis ... ex abundantia caritatis suae homines tamquam amicos alloquitur ... et cum eis conversatur... ut eos ad societatem Secum invitet in eamque suscipiat».

historicas, ita ut etiam post peccatum paratus sit pretio magno redintegrare consilium aeterni amoris sui ope « humanationis » Filii sibi consubstantialis. Tota creatura ac potissimum homo facere non potest quin propter hoc donum obstupescat, cuius factus est particeps in Spiritu Sancto. « Sic enim dilexit Deus mundum, ut Filium suum unigenitum daret » *(Io* 3, 16).

In huius mysterii penetralibus, in hoc fidei stupore Maria est constituta. Alma Redemptoris Mater prima hoc est experta : « Tu quae genuisti, natura mirante, tuum sanctum Genitorem » !

52. Verbis huius antiphonae liturgicae etiam *veritas de « magna mutatione* » declaratur, ad quam homo mysterio Incarnationis inducitur. Est mutatio, quae pertinet ad totam eius historiam, initio sumpto, quod in prioribus capitibus Libri Genesis patefit, usque ad terminum extremum, in prospectu finis mundi, cuius « neque diem neque horam » *(Mt* 25, 13) Christus nobis revelavit. Est discrimen indesinens et perenne inter lapsum et surrectionem, inter hominem peccati et hominem iustitiae. Liturgia, praesertim tempore Adventus, in huius mutationis seu discriminis momento difficillimo ponitur, cuius veluti indesinens « hodie » et « nunc » attingit, dum exclamat : « Succurre cadenti, surgere qui curat, populo » !

Haec verba ad unumquemque pertinent hominem, ad communitates, ad nationes et populos, ad generationes atque aetates humanae historiae, ad tempora nostra, ad hos annos Millennii, quod vergit ad finem : « Succurre, prorsus succurre cadenti, surgere qui curat, populo » !

Haec invocatio ad Mariam « almam Redemptoris Matrem » dirigitur, est invocatio, quae ad Christum dirigitur, qui per Mariam in historiam generis hominum est ingressus. Singulis annis haec antiphona adhibetur, dum temporis punctum commemoratur, quo praecipua haec mutatio historica evenit, quae quodammodo invertibiliter perdurat : est mutatio inter « lapsum » et <(surrectionem ».

Hominum genus miranda invenit atque in regione disciplinarum naturalium artisque technicae res incredibiles effecit, magna patravit opera, quod attinet ad progressionem cultumque civilem, atque recentiore aetate ipsum cursum historiae id dixeris festinasse; verumtamen mutatio fundamentalis, quae appellari potest « originalis », semper hominis itineri haeret et inter vicissitudines historicas haeret omnibus et singulis. Est mutatio inter « lapsum » et « surrectionem », inter mortem et vitam. Est etiam *perpetua provocatio* totius conscientiae historicae hominis: est provocatio, quae incitat ut via teratur « non cadendi » modis semper veteribus semperque novis, et via « surgendi », si quis ceciderit.

Ecclesia, dum una cum universo hominum genere limiti propinquat, quo duo millennia inter se seiunguntur, accipit, quod ad ipsam spectat, cum universa communitate credentium et in communione cum unoquoque homine bonae voluntatis, grandem provocationem, quae verbis illis antiphonae marialis continetur: « cadenti, qui curat surgere, populo »; atque simul ad Redemptorem convertitur eiusque Matrem hac invocatione: « Succurre ». Ecclesia enim conspicit — id quod haec oratio liturgica testatur — Beatam Dei Genetricem in mysterio salvifico Christi atque in mysterio sibi proprio; conspicit eam altissime insertam in historiam generis humani, in aeternam hominis vocationem, secundum consilium providum, quod Deus ab aeterno cepit de eo; eam conspicit materno more praesentem in multiplicibus et implicatis quaestionibus harumque participem, quae cum vita singulorum, familiarum, nationum *his temporibus* conectuntur; eam conspicit ut adiutricem populi christiani in luctatione indesinenti inter bonum et malum, ne ille « cadat » aut ut, si ceciderit, « surgat ».

Ex animo optamus ut hae quoque considerationes, quae his Encyclicis Litteris continentur, valeant ad renovandam in omnium credentium cordibus hanc rerum visionem.

Ut Romanus Episcopus omnes, quibus hae considerationes

destinantur, in osculo pacis complectimur, iis salutem dicimus et Benedictionem Apostolicam in Domino Nostro Iesu Christo impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die xxv mensis Martii, in sollemnitate Annuntiationis Domini, anno MCMLXXXVII, Pontificatus nostri nono.

IOANNES PAULUS PP. II

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

Detractis nonnullis territoriis ab Ecclesiis Galvestoniensi-Houstoniensi, Bellomontensi, Dallasensi, nova dioecesis conditur « Tylerensis » cognominanda.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ex quo divino consilio in vertice pontificalis officii constituti sumus, haec praecipua Nostra cura fuit, hoc studium, haec ingens sollicitudo : qua videlicet meliore ratione singulas Sedes episcopales, orbem terrae stellantes, disponeremus, dispositas per prudentes Episcopos moderaremur: non enim parva res est fines Ecclesiarum bene aptare necessitatibus, easque, ceu naves, impigris gubernatoribus concredere. Quare, cum Venerabiles Fratres Iosephus A. Fiorenza, Episcopus Galvestoniensis-Houstoniensis, Bernardus I. Ganter, Episcopus Bellomontensis, atque Thomas A. Tschoepe, Episcopus Dallasensis, audito Coetu Episcoporum Civitatum Foederatarum Americae Septemtrionalis, iam ab hac apostolica Sede id petierint, ut detractis e suarum Ecclesiarum flninibus quibusdam terris, nova conderetur dioecesis, Tylerensis appellanda; Nos, auditis quos oporteret, scilicet Venerabili Fratre Pio Laghi, Archiepiscopo titulo Maurianensi atque in Foederatis Civitatibus Americae Septemtrionalis Pronuntio apostolico, item Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, qui Congregationi pro Episcopis praesunt, haec auctoritate Nostra decernimus. A dioecesi Galvestoniensi-Houstoniensi hos comitatus, quos dicunt, separamus : Ander-

son, Freestone, Houston, Leon et Trinity; a dioecesi vero Bellomontensi, comitatus vulgo : Angelina, Cherokee, Nacogdoches, Sabine, San Augustine et Shelby; tandem a dioecesi Dallasensi, comitatus vulgo : Bowie, Camp, Gass, Delta, Franklin, Gregg, Harrison, Henderson, Hopkins. Iamar, Marion, Morris, Panola, Rains, Red River, Rusk, Smith, Titus, Upshur, Van Zandt et Wood ; quibus omnibus terris novam dioecesim condimus, *Tylerensem* cognominandam, scilicet iisdem finibus conterminandam atque comitatus. Novae dioecesis sedem in urbe vulgo Tyler collocamus, cathedram vero Episcopi in templo Immaculatae Conceptionis B. M. V. figi statuimus, in eadem urbe, factis civitati atque templo iustis honoribus. Natam praeterea Ecclesiam metropolitanae Sedi Sancti Antonii suffraganeam facimus, ad normam iuris; similiter eius Episcopum tali Archiepiscopo subicimus. Mensam episcopalem constituent Curiae emolumenta, fidelium collationes, atque pars bonorum quae ei obvenient e divisione bonorum, ad normam can 122 C. I. C. Adiuvando Episcopo quam primum Collegium Consultorum constituatur, ad normam Iuris; formandis vero candidatis ad sacerdotium observentur praescripta Iuris communis, prae oculis habitis legibus Concilii Vaticani II, seu decreti « Optatam totius », atque regulis a Congregatione pro Institutione Catholica statutis. Constituta dioecesi Tylerensi, sacerdotes Ecclesiae illi conseantur adscripti in qua officium seu beneficium ecclesiasticum habeant ; ceteri vero sacerdotes, clerici, tirones Seminarii in ea incardinati censeantur, in qua legitimo domicilio degunt, Documenta et acta, quae novam dioecesim quavis ratione respiciant, ad eius Curiam mittantur, ibique serventur, religiose. Ceterum, ad haec perficienda Venerabilem Fratrem Pium Laghi delegamus, cuius mentionem fecimus, vel quem ipse legaverit, factis in id facultatibus, quas poterit alii demandare, modo in ecclesiastica dignitate constituto. Re vero acta, documenta exarentur perfectae rei, atque ad Congregationem pro Episcopis mittantur sinceris exemplis.

Contrariis nihil obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die duodecima mensis Decembris, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo sexto, Pontificatus Nostri nono.

© AUGUSTINUS Card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

© BERNARDINUS Card. GANTIN
Congr. pro Episcopis Praef.

Angelus Lanzoni, *Proton. Apost.*
Hyginus Quadraroli, *Proton. Apost. s.n.*

Loco £8 Plumbi
In Secret. Status tab., n. 188.S52.

II

BELLOGRADENSIS

Ecclesiastica provincia conditur Belogradensis et archidioecesis ei cognomine ad gradum Metropolitanae evehitur.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quoniam, ut compertum habetur, pastoralis cura populi Dei « non dioecesium tantum sed provinciarum quoque ecclesiasticarum aptam expostulat circumscriptionem» *(CD,* 39), nonnulli, quorum res est, Episcopi Reipublicae Socialisticae Foederatae Iugoslaviae, expromentes sua quisque cleri ac populi vota, ab Apostolica hac Sede recens petiverunt ut quaedam circumscriptiones ecclesiasticae illic in praesens recognoscantur atque aptiore ordinentur ratione. Nos igitur, in ea quidem consentientes quae Christifidelium eorumque pastorum utilitati necnon arctiori inter se coniunctioni fovendis idonea videntur, consensu eorum quantumcumque opus est suppleto, quorum interest vel interesse censetur, e potestatis Nostrae plenitudine hisce ipsis Litteris hic ea decernimus, quae sequuntur, atque iubemus. Cathedralem Ecclesiam Belogradensem aeque ac Archiepiscopi sedem extollimus ad Ecclesiae Metropolitanae dignitatem, iura ac privilegia ei tribuentes, quae ad statutum ius sunt ceterarum eiusdem ordinis Ecclesiarum propria. Novam ita provinciam ecclesiasticam nomine *Belogradensem* condimus, quae et Ecclesia ei cognomine nunc Metropolitana facta constabit et Ecclesia Suboticana, hucusque Sanctae Sedi immediate subiecta, et Zrenianinensi, utraque Belogradensi Ecclesiae Metropolitanae suffraganea. Eademque de causa dioecesanos Episcopos Suboticanum et Zrenianinensem Archiepiscopi pro tempore Belogradensis iuri metropolitico subicimus. Ea denique hisce Litteris a Nobis statuta venerabilis Frater Gabriel Montalvo, Archiepiscopus titulo Celenensis necnon in Republica Socialistica Foederata Iugoslaviae Apostolicus Pro-Nuntius, exsequenda curet vi facultatum, quas ei facimus, una cum libertate id delegandi officium ad alium ecclesiasticum virum in dignitate constitutum, onere tamen imposito efficiendi ut certum verumque peractae exsecutionis litterarum exemplum ad Congregationem pro Episcopis transmittatur sedulo. Has Apostolicas Litteras nunc et in posterum ratas esse volumus, contrariis non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die decimo sexto mensis Decembris, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo sexto, Pontificatus Nostri nono.

33 AUGUSTINUS Card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

GB BERNARDINUS Card. G ANTIN
Congr. pro Episcopis Praef.

Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*
Angelus Lanzoni, *Proton. Apost.*

Loco gß Plumbi

In Secret. Status tab., n. 190.5S9.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Beatus Ioannes Grande, dioecesis Assidonensis-Ierezensis apud Deum caelestis confirmatur Patronus.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Beatorum caelitum cultus ad id videlicet tendit, ut non modo illi Dei viri ab hominibus congruenter honorentur, cum tot tantisque ingruentibus periculis atque discriminibus sint iidem apud Deum patroni, sed etiam ut homines ipsi qui vitae in angustiis versantur, eorum virtutis exempla propius persequantur. His perspectis rationibus, Venerabilis Frater Raphael Bellido Caro, Episcopus Assidonensis-Ierezensis, communia suscipiens vota, cum petiverit ut Nos beatum hunc caelitem, qui earum regionum in sublevandis aegrotis vitam olim consupsit suam quemque clerus atque Christifideles iam ad antiquo peculiari prosequuntur veneratione, auctoritate Nostra ipsius dioecesis caelestem Patronum confirmaremus, ad normam «Instructionis de Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis », n. 30, Nos Ipsi, omnia acta esse ad iuris normas pro comperto habentes scientesque rem christianorum fidei incrementum afferre posse atque pietatem augere, admotis precibus libenti concedimus animo. Itaque iis probatis quae Congregatio pro Cultu Divino de re statuit factis olim a Nobis facultatibus, placet Beatum Ioannem Grande Patronum dioecesis Assidonensis-Ierezensis esse et haberi, cum iuribus atque privilegiis quae hunc honorem con-

sequi solent iuxta rubricas, contrariis nihil obstantibus. Ceterum id re vera agentes, indubia spe ducimur fore ut aucta pietas erga hunc Patronum tum in Dei gloriam, tum etiam in fidelium bonum recidat, qui ipsius exemplis permoti, perfectiora usque exsequentes ad gloriae fastigium feliciter perducantur.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die x mensis Decembris, anno MCMLXXXVI, Pontificatus Nostri nono.

83 AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*

Loco 83 Sigilli
In Secret. Status tab., n. 187.S59.

II

Templum Dominae Nostrae Mediatricis omnium gratiarum, quod est in dioecesi S. Mariae, in Brasilia, ad honorem Basilicae Minoris evehitur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Frequentissimae dioeceses, urbes, tempa, Brasiliani quasi stellantia, quae e Dei Matris Superumque nominibus nomina sumunt, indicio sunt et argumento eius nationis populum tantopere sanctos Caelites honorare, venerari, diligere, ut historiae cultusque sui iam ab origine participes quodammodo atque custodes fecerit. In his autem sunt certe fideles dioecesis S. Mariae annumerandi, qui castissimam Dei Matrem Mediatricis omnium gratiarum titulo et prosecuti sint usquequaque singularissimo amore, et prosequantur. Non ergo mirum, si Venerabilis Frater Ivo Lorscheiter, Episcopus ipsius S. Mariae Sedis, suo suorumque cleri atque populi nomine ab hac apostolica Sede petierit ut Sanctuarium Dominae Nostrae omnium gratiarum Mediatricis, quod est in sua dioecesi et urbe, in quoque fidelium pietas erga Deum eiusque Matrem ceu tepentissima flamma alitur, ad Basilicae Minoris honorem eveheretur. Cuius sane Nos templi dignitatem considerantes ; item momentum ad sanctissimam Christi religionem propagandam atque augendam, precibus admotis aequo animo concedimus. Iis ergo probatis, quae Congregatio pro Cultu Divino de re egerit, factis olim a Nobis facultatibus, templum S. Mariae, cuius mentionem fecimus, ad dignitatem Basilicae Minoris evehimus, omnibus cum iuribus atque liturgicis privilegiis, ad tales Basilicas

respicientes, modo ea servata sint quae iuxta Decretum « De titulo Basilicae Minoris », die vi mesis Iunii anno MDCCCCLXVIII factum, servanda sunt. Quod faustum, felix, fortunatumque sit, sive dioecesis S. Mariae Praesuli, sive eius gregi filiorum, quos benevolentiae B. M. V. committimus, nitentis itineris nostri sideris.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die v mensis Ianuarii, anno MDCCCCLXXXVII, Pontificatus Nostri nono.

83 AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*

Loco © Sigilli

In Secret. Status tab., n. 187.860.

III

Beata Maria Virgo titulo « Nossa Senhora das Dores » nuncupata, Patrona apud Deum dioecesis Limeirensis in Brasilia confirmatur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Constat Beatam Virginem Mariam titulo ((Nossa Senhora das Dores » invocatam a Christifidelibus Ecclesiae Limeirensis in Brasilia impensa pietate coli tamquam amantissimam matrem de filiorum suorum bono sollicitam. Qua re ductus, Venerabilis Prater Ferdinandus Legal eiusdem dioecesis Episcopus, communia cleri populique excipiens vota, electionem Beatae Mariae Virginis sub memorato titulo in Patronam apud Deum Ecclesiae suae rite probavit atque, datis litteris die xv mensis Novembris superiore anno, petivit ut electio et approbatio huiusmodi iuxta « Normas de Patronis constituendis » et ad normam « Instructionis de Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis », n. 30, ab hac Apostolica Sede confirmaretur. Nos igitur, istius Pastoris cupientes preces audire, iis comprobatis, quae Congregatio pro Cultu Divino, factis a Nobis facultatibus, hac in re egit, Apostolica Nostra potestate, harum Litterarum virtute perpetuumque in modum Beatam Mariam Virginem titulo ((Nossa Senhora das Dores » invocatam Patronam apud Deum dioecesis Limeirensis confirmamus, cum omnibus iuribus et liturgicis privilegiis iuxta rubricas consequentibus. Denique

volumus ut hae Litterae Nostrae religiose serventur suosque sive nunc sive in posterum habeant effectus, contrariis nihil obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xni mensis Ianuarii, anno MCMLXXXVII, Pontificatus Nostri nono.

83 AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*

Loco 83 Sigilli

In Secret. Status tab., n. 190.460.

NUNTII GRATULATORII

I

VENERABILI FRATRI NOSTRO AGNELLO EPISCOPO SABINEN.-MANDELEN., S. R. E. CARD. Rossi, DECANO CARDINALIUM COLLEGII, ADMINISTRATORI PATRIMONII SEDIS APOSTOLICAE.

Qui sollemniores Venerabilium Fratrum Episcoporum eventus, laetos tristes, participare consuevimus (sunt enim <(Fratres Nostri, apostoli Ecclesiarum, gloria Christi » *2 Cor* 8, 23), praecipua tamen dilectione et affectu in Viros illos ferimur, qui Romana Purpura induti senatum Ecclesiae efficiunt : quorum et consiliis utimur, et sapientiam in negotiis explicandis adhibemus, et praesentia quasi Fratrum carissimorum laetamur.

Ad rem autem praesentem quod attinet, remur non paucos esse qui, propinquante anno quinquagesimo suscepti a te sacerdotii, in imo pectore gaudeant : non enim pauci sunt quos tibi sive necessitudo laborum, sive pietas egregia et humanitas tot per temporis lustra arcto vinculo iunxit, quique te summo studio prosequuntur.

Hauri ergo, Venerabilis Frater Noster, dulcem suavitatem quae e sacerdotio tuo ceu limpido fonte manat; sic remea prístinos illos dies, ut ille qui maturitatis tempore ad tempus iucundissimi veris mente redit, ut renascentis naturae admiretur miracula. Quod non modo cor laetitia pia cumulabit, ac quasi renovabit (id enim proprium divinae virtutis est, ut iuxta fidem faciat), sed stimulos etiam addet ad altiora usque petenda, si modo iam oportet Nos hortari currentem : « semper enim habet unde det, qui pectus habet plenum caritatis » (Aug. *In Ps. XXXII, Enarr. II,* 13). Quodsi post haec, perbrevi quidem sermone

de tua vita commemorare velimus; item quae sacerdos et episcopus gesseris, haec sane in medium afferre placet.

Natus in urbe Joaquim Egidio, in Brasiliae nobilissima terra, anno MCMXiii, mature a Deo vocatus es, matureque es sacerdotio initiatus : ac flamma illa vivax alita gratia, multos illuminavit multosque calefecit. Accessit autem, anno millesimo nongentesimo quinquagesimo sexto, episcopatus dioecesis Barrensis de Pirahy, et archiepiscopatus Rivi Nigri paulo post. Deinde, ad metropolitanam Sedem Sancti Pauli in Brasilia translatus es, quasi in cor nationis tuae, cuius profecto pater amantissimus factus es, qui filius egregius ac singularis fuisses. Mox, anno millesimo nongentesimo sexagesimo quinto, inter Patres Cardinales cooptatus es ; deinde Praefectus renuntiatus es Sacrae Congregationis Fidei Propagandae, quam pie sancteque longos annos rexisti. Tandem, ut rerum usum, quem multum consecutus esses, haec Apostolica Sedes e te perciperet, ad administrandum eius patrimonium te vocavimus, prudentiae, sapientiae, atque tuo fisi consilio. Quod munus adhuc tueris, diligenter.

Quod vero ad tuam tot annorum industriam attinet, ea multa ac probabilis. Cumque impossibile sit eam his perstringere, etsi breviter, placet tamen adfirmare te, in quovis vitae tuae studio, sic egisse, ut pater familias cum filiis quos genuit, ut prudens administrator bonorum, quae procuranda suscepit, ut filius, qui matris honorem, id est Ecclesiae, in omnibus spectet.

Est ergo cur tu gaudeas, laetetur Ecclesia, Nos gratulemur. Tamen, antequam his Litteris finem imponimus, facere non possumus quin, gratias agamus de laboribus, praesertim in Congregationis Christiano Nomini propagando utilitatem susceptis, in cuius gubernatione et administratione vires tuas bene collocasti.

Ceterum, te Deus quam aequissimis aspiciat oculis, cui per apostolicam Benedictionem omnia bona optamus.

Ex Aedibus Vaticanis, die vi mensis Martii, anno MCMLXXXVII, Pontificatus Nostri nono.

IOANNES PAULUS PP. II

II

VENERABILI FRATRI NOSTRO ALFONSO S. GEORGII IN VELABRO DIACONO CARDINALI STICKLER, BIBLIOTHECARIO ET ARCHIVISTAE S. R. E.

Qui libentissimi sane Nos presbyteratus tibi, Venerabilis Frater Noster, plenitudinem plus tres abhinc annos per episcopatus nempe sacrum contulerimus ordinem quique et dignitatem interea maximam et maxima simul in Ecclesia addiderimus munia, facile proin concipere animo potes quanta nunc ipsum in te benevolentia quamque simili prorsus amoris fraterni et egregiae aestimationis adfectu hasce tibi litteras committamus, quibus advenientem videlicet iam feliciter vitae tuae tibi gratulemur eventum ac Nostra quoque bene precantia verba et ominantia vota cum aliis domus tuae necessariis consociemus aperte cumque universis Societatis Sancti Francisci Salesii sodalibus necnon singulis operis tui apud Bibliothecam Apostolicam Vaticanam et Tabularium item Vaticanum Secretum sociis coniungamus.

Vicesimus enim et septimus huius Martii mensis dies annum definiet ipsum quinquagesimum, ex quo in Basilica Lateranensi Christi es sempiternus creatus sacerdos eodemque tempore ad frugiferam summe industriam destinatus tum inter fratres Salesianos tum inter Sedis Apostolicae ministeria. Nec quemquam reperiri arbitramur praestantem omnino tuam qui ignoret navitatem sedecim hosce annos in Bibliotheca Vaticana Tabularioque dein sapienter expletam.

Quem igitur toties praesentes Nos et salutavimus et bonis in coeptis confirmavimus adhuc, recipias tu, Venerabilis Frater Noster, velimus perscriptam hanc ex animo de sacerdotii tui initiis gratulationem ac precationem simul benignissimo Domino motam, cui per omnia ipse et in omnibus deservis, ut anniversarium exhilaret caelitus tuum diem teque proximis pariter annis faciendorum suasor comitetur factorumque largus remunerator, adspirante Nostra usque Apostolica Benedictione.

Ex Aedibus Vaticanis, die VIII mensis Martii, anno MCMLXXXVII, Pontificatus Nostri nono.

IOANNES PAULUS PP. II

ACTA CONGREGATIONUM

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

DECRETA

I

ADRIENSIS - RHODIGIENSIS

De nominis dioecesis mutatione deque Concathedralis erectione.

Cum procedere oporteret ad designanda nomina et sedes dioecesium Italiae, iuxta praescriptum art. 29 Normarum de institutis et bonis ecclesiasticis in Italia, quae Decreto Cardinalis Secretarii Status die 3 Iunii 1985 promulgatae sunt, Congregatio pro Episcopis e pluribus partibus sollicitata est ad sedulo ponderandam denominationem quarundam dioecesium, ad eum finem, ut nomina aptius novis dioecesium condicionibus accomodarentur et hodiernae civilis et socialis vitae necessitatibus magis responderent.

Quaestio pertractata est coniuncta opera Congregationis pro Episcopis, Consilii pro Publicis Ecclesiae Negotiis, Nuntiaturae Apostolicae in Italia et Conferentiae Episcopalis huius nationis ; exinde constitit, ad dioecesim Adriensem quod attinet, intra eius fines sitam esse urbem Rhodigium, quae est caput provinciae civilis eiusdem nominis, atque sedes praecipua vitae socialis, politicae ac religiosae censetur.

Quae cum ita sint, opportunum visum est veteri nomini Adriae addere nomen Rhodigium, ita ut nova denominatio sit « Dioecesis Adriensis-Rhodigiensis », simul etiam visum est expedire ut, ad aptius animarum bono prospiciendum, in eadem urbe Rhodigio basilica Deo dicata in honorem S. Stephani Papae et Martiris ad dignitatem Ecclesiae Concathedralis evehatur.

Horum laborum conclusiones, quae in ambitu continentur studiorum institutorum circa dioecesium italicarum recognitionem, subiectae sunt iudicio Summi Pontificis Ioannis Pauli II, Qui, in Audientia die 27 Septembris anni 1986, criterium adhibitum approbavit, atque Congregationi pro Episcopis speciales facultates contulit, ut procedere possit

in singulis casibus ad ea exsequenda, quae proposita sunt, et ad adimplenda quae necessaria videantur.

Praesenti igitur Decreto Congregatio pro Episcopis statuit ac decernit, ut dioecesis usque adhuc appellata « Dioecesis Adriensis », posthae denominetur « Dioecesis Adriensis - Rhodigiensis » eiusque Episcopus pro-tempore « Episcopus Adriensis-Rhodigiensis » vocetur, et Basilica in urbe Rhodigio Dei dicata in honorem S. Stephani Papae et Martiri» ad dignitatem Ecclesiae concathedralis evehitur.

Ad haec omnia exsecutioni mandanda Congregatio pro Episcopis deputat Exc.mum P. D. Ioannem Sartori necessarias et opportunas eidem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere ei imposito ad eandem Congregationem authenticum exemplar actus peractae exsecutionis quam primum remittendi.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Episcopis, die 30 mensis Septembris anno 1986.

© BERNARDINUS Card. GANTIN, *Praefectus*

L. 83 S.

© Fr. Lucas Mor eira Neves
Archiep. tit. Feraditanus maior, *a Secretis*

In Congr. pro Episcopis tab., n. 844/86.

II

APUANIENSIS

De nominis dioecesis mutatione.

Cum procedere oporteret ad designanda nomina et sedes dioecesium Italiae, iuxta praescriptum art. 29 Normarum de institutis et bonis ecclesiasticis in Italia, quae Decreto Cardinalis Secretarii Status die 3 Iunii 1985 promulgatae sunt, Congregatio pro Episcopis e pluribus partibus sollicitata est ad sedulo ponderandam denominationem quarundam dioecesium, ad eum finem, ut nomina aptius novis dioecesium condicionibus accommodarentur et hodiernae civilis et socialis vitae necessitatibus magis responderent.

Quaestio pertractata est coniuncta opera Congregationis pro Episcopi, Consilii pro Publicis Ecclesiae Negotiis, Nuntiaturae Aposto-

licae in Italia et Conferentiae Episcopalis huius nationis ; qua in re peragenda visum est hoc criterium generale adhibere, scilicet ut denominatio dioecesium complecteretur nomen urbis in qua sita est Ecclesia Cathedralis, hoc est nomen sedis dioecesis.

Horum laborum conclusione, quae in ambitu continentur studiorum circa dioecesium italicarum recognitionem, subiectae sunt iudicio Summi Pontificis Ioannis Pauli II, Qui in Audientia diei 27 Septembris anni 1986, criterium adhibitum approbavit, atque Congregationi pro Episcopis speciales facultates contulit, ut procedere possit in singulis casibus ad ea exsequenda, quae proposita sunt, et ad adimplenda quae necessaria videantur.

Ad normam igitur huius generalis criterii, Congregatio pro Episcopis praesenti Decreto statuit ac decernit, ut dioecesis usque adhuc appellata « Dioecesis Apuaniensis », posthac « Dioecesis Massensis » denominetur eiusque Episcopus pro-tempore « Episcopus Massensis » vocetur.

Ad haec omnia exsecutioni mandanda Congregatio pro Episcopis deputat Exc.mum P. D. Brunonem Tommasi, Episcopum Apuanum, Coadiutorem et Administratorem Apostolicum Massensem, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere eo imposito ad eandem Congregationem authenticum exemplar actus peractae exsecutionis quam'primum remittendi.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Episcopis, die 30 mensis Septembris anno 1986.

83 BERNARDINUS Card. GANTIN, *Praefectus*

L. 83 S.

83 Fr. Lucas Moreira Neves
Archiep. tit. Feraditanus maior, *a Secretis*

In Congr. pro Episcopis tab., n. 888/86.

III

GORITIENSIS ET GRADISCANAE

De nominis dioecesis mutatione.

Cum procedere oporteret ad designanda nomina et sedes dioecesium Italiae, iuxta praescriptum art. 29 Normarum de institutis et bonis ecclesiasticis in Italia, quae Decreto Cardinalis Secretarii Status die 3

Iunii 1985 promulgatae sunt, Congregatio pro Episcopis e pluribus partibus sollicitata est ad sedulo ponderandam denominationem quarundam dioecesium, ad eum finem, ut nomina aptius novis dioecesium condicionibus accommodarentur et hodiernae civilis et socialis vitae necessitatibus magis responderent.

Quaestio pertractata est coniuncta opera Congregationis pro Episcopi, Consilii pro Publicis Ecclesiae Negotiis, Nuntiaturae Apostolicae in Italia et Conferentiae Episcopalis huius nationis; qua in re peragenda visum est hoc criterium generale adhibere, scilicet ut denominatio dioecesium complecteretur nomen urbis in qua sita est Ecclesia Cathedralis, hoc est nomen sedis dioecesis.

Horum laborum conclusione, quae in ambitu continentur studiorum circa dioecesium italicarum recognitionem, subiectae sunt iudicio Summi Pontificis Ioannis Pauli II, Qui in Audientia diei 27 Septembris anni 1986, criterium adhibitum approbavit, atque Congregationi pro Episcopis speciales facultates contulit, ut procedere possit in singulis casibus ad ea exsequenda, quae proposita sunt, et ad adimplenda quae necessaria videantur.

Ad normam igitur huius generalis criterii, Congregatio pro Episcopis praesenti Decreto statuit ac decernit, ut dioecesis usque adhuc appellata « Archidioecesis Goritiensis et Gradiscana », posthac « Archidioecesis Goritiensis » denominetur, utque titulus Gradiscanus — ne pereat — in Indicem sedium titularium archiepiscopalem inseratur.

Ad haec omnia exsecutioni mandanda Congregatio pro Episcopis deputat Exc.mum P. D. Antonium Vitalem Bommarco, Archiepiscopum Goritiensem, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere eo imposito ad eandem Congregationem authenticum exemplar actus peractae exsecutionis quam primum remittendi.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Episcopis, die 30 mensis Septembris anno 1986.

83 BERNARDINUS Card. GANTIN, *Praefectus*

L. 83 S.

83 Fr. Lucas Moreira Neves
Archiep. tit. Feraditanus maior, *a Secretis*

In Congr. pro Episcopis tab., n. 849/86.

IV

HIERACENSIS - LOCRENSIS

De nominis dioecesis mutatione.

Cum procedere oporteret ad designanda nomina et sedes dioecesium Italiae, iuxta praescriptum art. 29 Normarum de institutis et bonis ecclesiasticis in Italia, quae Decreto Cardinalis Secretarii Status die 3 Iunii 1985 promulgatae sunt, Congregatio pro Episcopis e pluribus partibus sollicitata est ad sedulo ponderandam denominationem quarundam dioecesium, ad eum finem, ut nomina aptius novis dioecesium condicionibus accommodarentur et hodiernae civilis et socialis vitae necessitatibus magis responderent.

Quaestio pertractata est coniuncta opera Congregationis pro Episcopi, Consilii pro Publicis Ecclesiae Negotiis, Nuntiaturae Apostolicae in Italia et Conferentiae Episcopalis huius nationis; qua in re peragenda visum est hoc criterium generale adhibere, scilicet ut denominatio dioecesium complecteretur, et quidem primo loco positum, nomen urbis in qua sita est Ecclesia Cathedralis, hoc est nomen sedis dioecesis.

Horum laborum conclusione, quae in ambitu continentur studiorum circa dioecesium italicarum recognitionem, subiectae sunt iudicio Summi Pontificis Ioannis Pauli II, Qui in Audientia diei 27 Septembris anni 1986, criterium adhibitum approbavit, atque Congregationi pro Episcopis speciales facultates contulit, ut procedere possit in singulis casibus ad ea exsequenda, quae proposita sunt, et ad adimplenda quae necessaria videantur.

Ad normam igitur huius generalis criterii, Congregatio pro Episcopis praesenti Decreto statuit ac decernit, ut dioecesis usque adhuc appellata « Dioecesis Hieracensis - Locrensis », posthac « Dioecesis Locrensis - Hieracensis » denominetur, eiusque Episcopus pro-tempore « Episcopus Locrensis - Hieracensis » vocetur.

Ad haec omnia exsecutioni mandanda Congregatio pro Episcopis deputat Exc.mum P. D. Franciscum Tortora, Episcopum Locrensem - Hieracensem, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere eo imposito ad eandem Congrega-

tionem authenticum exemplar actus peractae exsecutionis quam primum remittendi.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Episcopis, die 30 mensis Septembris anno 1986.

© BERNARDINUS Card. GANTIN, *Praefectus*

L. © S.

© Fr. Lucas Moreira Neves
Archiep. tit. Feraditanus maior, *a Secretis*

In Congr. pro Episcopis tab., n. 890/86.

V

MARSORUM

De nominis dioecesis mutatione.

Cum procedere oporteret ad designanda nomina et sedes dioecesium Italiae, iuxta praescriptum art. 29 Normarum de institutis et bonis ecclesiasticis in Italia, quae Decreto Cardinalis Secretarii Status die. 3 Iunii 1985 promulgatae sunt, Congregatio pro Episcopis e pluribus partibus sollicitata est ad sedulo ponderandam denominationem quarundam dioecesium, ad eum finem, ut nomina aptius novis dioecesium condicionibus accommodarentur et hodiernae civilis et socialis vitae necessitatibus magis responderent.

Quaestio pertractata est coniuncta opera Congregationis pro Episcopis, Consilii pro Publicis Ecclesiae Negotiis, Nuntiaturae Apostolicae in Italia et Conferentiae Episcopalis huius nationis; qua in re peragenda visum est hoc criterium generale adhibere, scilicet ut denominatio dioecesium complecteretur nomen urbis in qua sita est Ecclesia Cathedralis, hoc est nomen sedis dioecesis.

Horum laborum conclusione, quae in ambitu continentur studiorum circa dioecesium italicarum recognitionem, subiectae sunt iudicio Summi Pontificis Ioannis Pauli II, Qui in Audientia diei 27 Septembris anni 1986, criterium adhibitum approbavit, atque Congregationi pro Episcopis speciales facultates contulit, ut procedere possit in singulis casibus ad ea exsequenda, quae proposita sunt, et ad adimplenda quae necessaria videantur.

Ad normam igitur huius generalis criterii, Congregatio pro Episcopis praesenti Decreto statuit ac decernit, ut dioecesis usque adhuc appellata ((Dioecesis Marsorum », posthac, servato nomine Curiae « Dioecesis Marsorum », ob eius historiae memoriam, lingua vernacula denominetur « Diocesi di Avezzano ».

Ad haec omnia exsecutioni mandanda Congregatio pro Episcopis deputat Exc.mum P. D. Blasium Victorium Terrinoni, Episcopum Marsorum, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere eo imposito ad eandem Congregationem authenticum exemplar actus peractae exsecutionis quam primum remittendi.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Episcopis, die 30 mensis Septembris anno 1986.

83 BERNARDINUS Card. GANTIN, *Praefectus*

L. 83 S.

83 Fr. Lucas Moreira Neves
Archiep. tit. Feraditanus maior, *a Secretis*

In Congr. pro Episcopis tab., n. 924/86.

VI

NEOCASTRENSIS

De nominis dioecesis mutatione.

Cum procedere oporteret ad designanda nomina et sedes dioecesium Italiae, iuxta praescriptum art. 29 Normarum de institutis et bonis ecclesiasticis in Italia, quae Decreto Cardinalis Secretarii Status die 3 Iunii 1985 promulgatae sunt, Congregatio pro Episcopis e pluribus partibus sollicitata est ad sedulo ponderandam denominationem quarundam dioecesium, ad eum finem, ut nomina aptius novis dioecesium condicionibus accommodarentur et hodiernae civilis et socialis vitae necessitatibus magis responderent.

Quaestio pertractata est coniuncta opera Congregationis pro Episcopis, Consilii pro Publicis Ecclesiae Negotiis, Nuntiaturae Apostolicae in Italia et Conferentiae Episcopalis huius nationis; qua in re peragenda visum est hoc criterium generale adhibere, scilicet ut

denominatio dioecesium complecteretur nomen urbis in qua sita est Ecclesia Cathedralis, hoc est nomen sedis dioecesis.

Horum laborum conclusione, quae in ambitu continentur studiorum circa dioecesium italicarum recognitionem, subiectae sunt iudicio Summi Pontificis Ioannis Pauli II, Qui in Audientia diei 27 Septembris anni 1986, criterium adhibitum approbavit, atque Congregationi pro Episcopis speciales facultates contulit, ut procedere possit in singulis casibus ad ea exsequenda, quae proposita sunt, et ad adimplenda quae necessaria videantur.

Ad normam igitur huius generalis criterii, Congregatio pro Episcopis praesenti Decreto statuit ac decernit, ut dioecesis usque adhuc appellata « Dioecesis Neocastrensis », posthac, servato nomine Curiae « Dioecesis Neocastrensis » ob eius historiae memoriam, lingua vernacula denominetur « Diocesi di Lamezia Terme ».

Ad haec omnia exsecutioni mandanda Congregatio pro Episcopis deputat Exc.mum P. D. Vincentium Rimedio, Episcopum Neocastrensem, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere eo imposito ad eandem Congregationem authenticum exemplar actus peractae exsecutionis quam primum remittendi.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Episcopis, die 30 mensis Septembris anno 1986.

83 BERNARDINUS Card. GANTIN, *Praefectus*

L. 83 S;

83 Fr. Lucas Mor eira Neves
Archiep. tit. Feraditanus maior, *a Secretis*

In Congr. pro Episcopis tab. n. 846/86.

VII

OLEASTRENSIS

De nominis dioecesis mutatione.

Cum procedere oporteret ad designanda nomina et sedes dioecesium Italiae, iuxta praescriptum art. 29 Normarum de institutis et bonis ecclesiasticis in Italia, quae Decreto Cardinalis Secretarii Status die 3

Iunii 1985 promulgatae sunt, Congregatio pro Episcopis e pluribus partibus sollicitata est ad sedulo ponderandam denominationem quarundam dioecesium, ad eum finem, ut nomina aptius novis dioecesium condicionibus accommodarentur et hodiernae civilis et socialis vitae necessitatibus magis responderent.

Quaestio pertractata est coniuncta opera Congregationis pro Episcopis, Consilii pro Publicis Ecclesiae Negotiis, Nuntiaturae Apostolicae in Italia et Conferentiae Episcopalis huius nationis; qua in re peragenda visum est hoc criterium generale adhibere, scilicet ut denominatio dioecesium complecteretur nomen urbis in qua sita est Ecclesia Cathedralis, hoc est nomen sedis dioecesis.

Horum laborum conclusione, quae in ambitu continentur studiorum circa dioecesium italicarum recognitionem, subiectae sunt iudicio Summi Pontificis Ioannis Pauli II, Qui in Audientia diei 27 Septembris anni 1986, criterium adhibitum approbavit, atque Congregationi pro Episcopis speciales facultates contulit, ut procedere possit in singulis casibus ad ea exsequenda, quae proposita sunt, et da adimplenda quae necessaria videantur.

Ad normam igitur huius generalis criterii, Congregatio pro Episcopis praesenti Decreto statuit ac decernit, ut dioecesis usque adhuc appellata « Dioecesis Oleastrensis », posthac, servato nomine Curiae ((Dioecesis Oleastrensisj), ob eius historiae memoriam, lingua vernacula denominetur ((Diocesi di Lanusei ».

Ad haec omnia exsecutioni mandanda Congregatio pro Episcopis deputat Exc.mum P. D. Antiochum Piseddu, Episcopum Oleastrensem, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere eo imposito ad eandem Congregationem authenticum exemplar actus peractae exsecutionis quam primum remittendi.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Episcopis, die 30 mensis Septembris anno 1986.

83 BERNARDINUS Card. GANTIN, *Praefectus*

L. 83 S.

83 Fr. Lucas Moreira Neves
Archiep. tit. Feraditanus maior, *a Secretis*

In Congr. pro Episcopis tab., n. 898/86.

VIII

SOANENSIS - PITILIANENSIS - URBETELLIENSIS

De nominis dioecesis mutatione.

Cum procedere oporteret ad designanda nomina et sedes dioecesium Italiae, iuxta praescriptum art. 29 Normarum de institutis et bonis ecclesiasticis in Italia, quae Decreto Cardinalis Secretarii Status die 3 Iunii 1985 promulgatae sunt, Congregatio pro Episcopis e pluribus partibus sollicitata est ad sedulo ponderandam denominationem quarundam dioecesium, ad eum finem, ut nomina aptius novis dioecesium condicionibus accommodarentur et hodiernae civilis et socialis vitae necessitatibus magis responderent.

Quaestio pertractata est coniuncta opera Congregationis pro Episcopi, Consilii pro Publicis Ecclesiae Negotiis, Nuntiaturae Apostolicae in Italia et Conferentiae Episcopalis huius nationis; qua in re peragenda visum est hoc criterium generale adhibere, scilicet ut denominatio dioecesium complecteretur, et quidem primo loco positum, nomen urbis in qua sita est Ecclesia Cathedralis, hoc est nomen sedis dioecesis.

Horum laborum conclusiones, quae in ambitu continentur studiorum circa dioecesium italicarum recognitionem, subiectae sunt iudicio Summi Pontificis Ioannis Pauli II, Qui in Audientia diei 27 Septembris anni 1986, criterium adhibitum approbavit, atque Congregationi pro Episcopis speciales facultates contulit, ut procedere possit in singulis casibus ad ea exsequenda, quae proposita sunt, et ad adimplenda quae necessaria videantur.

Ad normam igitur huius generalis criterii, Congregatio pro Episcopis praesenti Decreto statuit ac decernit, ut dioecesis usque adhuc appellata ((Dioecesis Soanensis - Pitilianensis - Urbetelliensis », posthac « Dioecesis Pitilianensis - Soanensis - Urbetelliensis » denominetur eiusque Episcopus pro-tempore « Episcopus Pitilianensis - Soanensis - Urbetelliensis » vocetur.

Ad haec omnia exsecutioni mandanda Congregatio pro Episcopis deputat Exc.mum P. D. Eugenium Binini, Episcopum Pitilianensem - Soanensem - Urbetelliensem, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere eo imposito ad ean-

dem Congregationem authenticum exemplar actus peractae exsecutionis quam primum remittendi.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Episcopis, die 30 mensis Septembris anno 1986.

83 BERNARDINUS Card. GANTIN, *Praefectus*

L. *m* S.

83 Er. Lucas Moreira Neves
Archiep. tit. Feraditanus maior, *a Secretis*

In Congr. pro Episcopis tab., n. 868/86.

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Ioannes Paulus Pp. II, per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros Praesules praefecit, videlicet :

die 16 Decembris 1986. — Titulari episcopali Ecclesiae Aquaenovensi in Numidia, R. P. Titum Solari, inspectorem Societatis Sancti Francisci Salesii in Bolivia, quem deputavit Auxiliarem archidioecesis Sanctae Crucis de Sierra.

die 18 Decembris. — Cathedrali Ecclesiae Boronganensi, R. D. Leonardum Medroso, hactenus Cancellarium Curiae archidioecesis Palensis.

die 5 Ianuarii 1987. — Praelaturae territoriali Coloratensi, noviter erectae, Exc.mum P. D. Aemilium Stehle, hactenus Episcopum titularem Teracleensem et Auxiliarem archidioecesis Quitensis.

die 12 Ianuarii. — Titulari ecclesiae Girensi, R. D. Camillum Gregorio y Diaz, moderatorem ephebei vulgo ((Immaculate Conception College » in urbe Cabanatuensi.

— Titulari ecclesiae Lesvitanae, R. D. Leopoldum Tumulak, curionem paroeciae Sancti Nicolai in urbe Caebuana.

die S Februarii. — Cathedrali ecclesiae Kidapavanensi, Exc.mum P. D. Ioannem de Dios Pueblos, hactenus Episcopum titularem Zabaënsem et Auxiliarem archidioecesis Davaënsis.

die 11 Februarii. — Cathedrali Ecclesiae Cloynensi R. D. Ioannem Iosephum Magee, e dioecesi Dromorensi, Societatis Sancti Patricii

pro Missionibus ad Exteros sodalem, Magistrum Caeremoniarum Pontificalium.

die 18 Februarii. — Titulari episcopali Ecclesiae Tacapitanae, R. P. Braulium Sáez García, O.C.D., Novitiorum Ordinis Fratrum Discalceatorum B. Mariae V. de Monte Carmelo Magistrum, in urbe Pacensi in Bolivia.

die 2Jf Februarii. — Metropolitanae Ecclesiae Pacensi in Bolivia, Exc.mum P. D. Aloisium Sáinz Hinojosa, O. F. M., hactenus Episcopum titularem Thuccae Terebentinae et Auxiliarem archidioecesis Cochabambensis.

die 3 Martii. — Metropolitanae Ecclesiae Strigoniensi Exc.mum P. D. Ladislaum Paskai, hactenus Archiepiscopum Coadiutorem Colocensem.

— Cathedrali Ecclesiae Vaciensi Exc.mum P. D. Isidorum Stephanum Marosi, hactenus Episcopum titularem Maxulitanum.

— Titulari episcopali Ecclesiae Midilensi R. D. Ladislaum Dankó, Prelatum honorarium Sanctitatis Suae, Pontificii Instituti Ecclesiastici Hungarici de Urbe Moderatorem, quem constituit Administratorem Apostolicum sede plena archidioecesis Colocensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Aulonitanae R. D. Conradum Krenn, e clero dioecesis Linciensis, Professorem Theologiae Systematicae apud Universitatem Ratisbonensem, quem deputavit Auxiliarem Exc.mi P. D. Ioannis Hermanni Groer, O. S. B., Archiepiscopi Viennensis.

die 10 Martii. — Titulari episcopali Ecclesiae Vannidensi R. D. Antonium Bianchin, e clero pisano, curionem ecclesiae matris in urbe vulgo Pontedera, quem constituit Consiliarium Generalem sodalitatis ab Actione Catholica Italica.

die 12 Martii. — Cathedrali Ecclesiae Cumanensi Exc.mum P. D. Alfredum Iosephum Rodríguez Figueroa, hactenus Episcopum titularem Laritanum et Auxiliarem archidioecesis Caracensis.

— Cathedrali Ecclesiae Altunensi-Iohnstoniensi, R. D. Iosephum Victorem Adamec, e clero dioecesis Nitriensis, curionem paroeciae Sancti Hyacinthi in oppido vulgo Bay City dioecesis Saginavensis.

— Coadiutorem Cristalandiensem, dignitate episcopali insignitum, R. P. Olivium Obalhe Teodoro, Ordinis Fratrum Minorum Custodem in Statu Goiano Brasiliae.

— Titulari Ecclesiae Seliensi R. D. Euricum dos Santos Veloso, Vicarium Generalem Iudiciforensem, quam deputavit Auxiliarem eiusdem Sedis metropolitanae.

die 13 Martii. — Titulari episcopali Ecclesiae XJppennensi R. D. Ioannem De Bie, e clero Mechliniensis-Bruxellensis archidioecesis, Collegii pro America Latina in civitate Lovanio moderatorem, quem deputavit Auxiliarem Em.mi P. D. Godefridi S. R. E. Cardinalis Danneels, Archiepiscopi Mechliniensis-Bruxellensis.

die 1I[. Martii. — Cathedrali Ecclesiae Viterbiensi Exc.mum P. D. Florinum Tagliaferri, hactenus Episcopum emeritum Cremonensem necnon Consiliarium Generalem sodalitatis ab Actione Catholica Italica.

*die **4** Aprilis.* — Cathedrali Ecclesiae Altensi Exc.mum P. D. Victorem Hugonem Martínez Contreras, hactenus Episcopum Gerontopolitanum.

CONGREGATIO PRO CULTU DIVINO

URBIS ET ORBIS

DECRETUM

quo fit publici iuris Collectio Missarum de beata Maria Virgine.

Christi mysterium celebrans, Ecclesia beatam Virginem Mariam saepe venerabunda commemorat, Filio intime devinctam : recolit enim mulierem novam quae, Christi mortis intuitu, in ipsa conceptione sublimiore modo est redempta ; matrem quae, Spiritus Sancti virtute, Filium virginaliter genuit; discipulam quae Magistri verba sedula in corde suo custodivit ; Redemptoris sociam quae, ex divino consilio, operi Filii generose totam se devovit.

In beata Virgine agnoscit quoque Ecclesia supereminens atque singulare membrum omni copia exornatum virtutum ; eam a Christo in ara crucis matrem sibi concreditam pio prosequitur amore eiusque patrocinium indesinenter postulat ; eam in itinere fidei et in aerumnis vitae comitem ac sororem profitetur ; in ea, iam in caelesti regno apud Filium locata, imaginem futurae suae gloriae laeta contemplatur.

Cum autem Patres, in Concilio Oecumenico Vaticano II congregati, doctrinam de beata Maria Virgine in mysterio Christi et Ecclesiae altius pervestigassent et principia et normas de instauranda liturgia edidissent, Ecclesiae particulares et plurima Instituta religiosa *Propria missarum* recognoverunt, monumenta liturgica adeuntes, Sanctorum Patrum tum Orientis tum Occidentis scripta considerantes, magisterii ecclesiastici documenta meditantes, antiqua denique cum novis sapienter componentes. Quo instaurationis opere evenit ut missae quoque de beata Maria Virgine vel accurate recenserentur atque emendarentur vel ex novo conficerentur.

Itaque petentibus compluribus pastoribus et fidelibus ac potissimum sanctuariorum marialium rectoribus, opportunum visum est ex iis missarum formularis, quorum multa doctrina, pietate textuumque momento pollent, nonnulla in unum colligere et per anni circulum apte distribuere, ut ope quoque huius instrumenti liturgici genuina pietas tum communitatum tum singulorum fidelium erga Matrem Domini foveretur.

Hanc *Collectionem missarum de beata Maria Virgine,* quae veluti appendix Missalis Romani haberi potest, Summus Pontifex Ioannes Paulus II Auctoritate Sua Apostolica approbavit evulgarique iussit.

Quapropter haec Congregatio pro Cultu Divino, de speciali mandato eiusdem Summi Pontificis, *Collectionem missarum de beata Maria Virgine* publici iuris facit, quae, lingua latina exarata, statim ac prodierit vigere incipiet; linguis autem vernaculis, cum interpretationes a Sede Apostolica sint recognitae, a die quem Conferentiae Episcoporum statuerint.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Congregationis pro Cultu Divino, die 15 augusti 1986, in sollemnitate Assumptionis beatae Mariae Virginis.

AUGUSTINUS Card. MAYER, *Praefectus*

L. 83 S.

83 Vergilius Noè, Archiep. tit. Voncariensis, *a Secretis*

In Congr. pro Cultu Divino tab., n. 809/86.

CONGREGATIO PRO GENTIUM EVANGELIZATIONE SEU DE PROPAGANDA FIDE

PROVISIO ECCLESIARUM

Ioannes Paulus divina Providentia Pp. II, latis decretis a Congregatione pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide, singulis quae sequuntur Ecclesiis sacros Pastores dignatus est assignare. Mmirum per Apostolicas sub plumbo Litteras praefecit :

die 22 Decembris 1986. — Cathedrali Ecclesiae Mysuriensi R. D. Franciscum Michaelappa, e clero Bangalorensis archidioecesis necnon curionem Sanctae Marthae valetudinarii ac aegrorum ministrarum scholae praeceptor em.

die 26 Ianuarii 1987. — Metropolitanae Ecclesiae Madraspolitanae et Meliaporensi Exc.mum P. D. Casimirum Gnanadickam, hactenus Archiepiscopum Madhuraiensem.

— Metropolitanae Ecclesiae Verapolitanae Exc.mum P. D. Cornelium Elanjikal, hucusque Episcopum Viiayapuramensem.

— Coadiutorem archidioeceseos metropolitanae Madanganae constituit Exc.mum P. D. Benedictum To Varpin, hactenus Bereinitanum Episcopum.

— Cathedrali Ecclesiae Chikmagalurensi R. B. Ioannem Baptistam Sequeira, eiusdem dioecesis Administratorem dioecesanum.

— Cathedrali Ecclesiae Reigangensi R. P. Alfonsum D'Souza, Societatis Iesu Provinciae Calcuttensis Superiorem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Sereddelitanae R. D. Gabrielem Simo, Vicarium Generalem dioecesis Bafussamensis necnon Directorem in Dicione Cammaruniense Operum Pontificalium, quem deputavit Auxiliarem archidioecesis Dualaënsis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Simininensi R. D. Simonem Victorem Tonyé, Vicarium Dualaënsis archidioeceseos Generalem, quem nominavit Auxiliarem eiusdem Dualaënsis archidioecesis.

die 28 Februarii. — Titulari episcopali Ecclesiae Sistronianensi B. D. Albertum Triearieo, e clero Lyciensi, Apostolicae Nuntiaturae Consiliarium, quem dignitate archiepiscopali ornavit eique munia Pro-Nuntii Apostolici in Nationibus Thailandiae et Singapurae necnon Delegati Apostolici in Laosiana atque Malaesiana et Bruneiensi Dicionibus contulit.

die 7 Martii. — Cathedrali Ecclesiae Sarhensi Exc.mum P. D. Matthiam N'Garteri Mayadi, hactenus Episcopum titulo Tuburnicensem et Auxiliarem eiusdem dioecesis.

— Cathedrali Ecclesiae Mbalaënsi R. D. Telesphorum Georgium Mpundu, e clero archidioecesis Kasamaënsis, Zambianae Conferentiae Episcopalis Secretarium Generalem.

CONGREGATIO PRO CAUSIS SANCTORUM

DECRETA

I

MONACEN, ET FRISINGEN.

Canonizationis Ven. Servi Dei Ruperti Mayer, Sacerdotis professi Societatis Iesu.

SUPER DUBIO

An et de quo miraculo constet, in casu et ad effectum de quo agitur.

Venerabilem Servum Dei Rupertum Mayer, sacerdotem professum Societatis Iesu, in urbe Stutgardia (Germania) natum die 23 Ianuarii anno 1876, atque Calendis Novembribus anno 1945 Monachii vita functum, virtutes théologales, nempe fidem, spem et caritatem tum in Deum tum in proximum, necnon cardinales, nimirum prudentiam, iustitiam, temperantiam et fortitudinem, eisque comites et socias, heroum modo exercuisse Ioannes Paulus II die 14 mensis Maii anno 1983 solemniter edixit.

Ad eiusdem autem Venerabilis beatificationem consequendam Causae actores unam, inter plurimas, sanationem mirum in modum a Deo patratam selegerunt eamque Apostolicae Sedi ad cognoscendum exhibuerunt.

Agitur in casu de viro qui, anno 1978, deprecatore Venerabili Servo Dei Ruperto Mayer, rapide, plene stabiliterque convaluit ab adenocarcinomate vegetanti et infiltranti variisque post-operatoriis complicationibus.

Super eadem miranda sanatione, apostolica inquisitio acta est anno 1985 et, apparata sueta Positione super miraculo, Consilium Medicum Congregationis pro Causis Sanctorum, die 5 Februarii anno 1986 coadunatum, praedictam sanationem diligenti acutoque examini, pro sua competentia, subiecit et disceptavit, censuitque agi de rapida, completa ac stabili sanatione, quae per naturae leges explicari haud potest.

Quam medicorum discussionem secuta est disceptatio theologorum, et quidem, die 22 mensis Martii eodem anno 1986, in Peculiari Congressu Consultorum, moderante Rev.mo D.no Antonio Petti, Fidei Promotore Generali, et postea, die 29 mensis Aprilis eodem anno, in Congregatione Ordinaria Patrum Cardinalium, ponente seu relatore Em.mo ac Rev.mo Domino Iosepho Cardinali Ratzinger.

Facta demum de hisce omnibus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis libenter excipiens, mandavit ut Decretum super eadem mira sanatione rite conscriberetur.

Quod cum esset factum, hodierna die, accitis cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae ponente seu relatore meque Antistite a Secretis Congregationis, ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater edixit : *Constare de miraculo divinitus patrato, intercedente Venerabili Ruperto Mayer, videlicet de rapida, perfecta et constanti sanatione ab « adenocarcinoma vegetante e infiltrante dell'antro e della grande curvatura dello stomaco, con infiltrazione del mesocolon traverso. Complicazioni post-operatorie :* 1) *Ascesso sin. con grave stato settico;* 2) *Insufficienza respiratoria molto grave da edema polmonare, broncopolmonite e versamento pleurico sinistro;* 3)*Insufficienze cardiaca latente ».*

Hoc autem Decretum in vulgus edi et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referri iussit.

Datum Romae, die 5 Iunii A. D. 1986.

PETRUS Card. PALAZZINI, *Praefectus*

L. © S.

83 Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

II

TARNOVIEN.

Canonizationis Servae Dei Carolinae Kózka, virginis saecularis, in odium fidei, uti fertur, interfectae (1898-1914).

SUPER DUBIO

An constet de martyrio eiusque causa et de signis seu miraculis, in casu et ad effectum de quo agitur.

Iesus, Dei Filius, vita sua pro nobis posita, docuit nos maiorem dilectionem neminem habere, quam qui animam suam pro Eo et pro fratribus suis ponit (cf. *1 Io* 3, 16 ; *Io* 15, 13). Hinc, inde a priscis temporibus quidam christiani vocati sunt — et quidem semper vocabuntur — ut maximum hoc dent testimonium amoris coram hominibus, praesertim autem persecutoribus. Martyrium igitur, quo discipulus Magistro pro mundi salute mortem libere accipienti assimilatur, Eique in effusione sangunis conformatur, ab Ecclesia eximium donum supremaque probatio caritatis aestimatur (cf. Conc. Oec. Vat. II, *Lumen Gentium,* 42).

Quos inter recenseri potest etiam Serva Dei Carolina Kózka, quae brevi vita sua Christo est similis facta Eumque in amore et in oboedientia erga voluntatem Patris imitata, martyrium tamquam supremum caritatis signum accepit, ut suam defenderet pudicitiam. Eius mors est etiam maximum amoris testimonium coram hominibus.

Serva Dei Carolina Kózka die 2 mensis Augusti anno 1898 orta est in pago *Wal-Ruda,* qui tum in finibus paroeciae oppidi *Radlów,* situs erat, ab anno autem 1913 in finibus paroeciae loci *Zabowa,* quarta undecim filiorum pauperis agrestisque familiae Ioannis et Mariae Borzecka.

In familia Kózka spiritus amoris Dei et proximi eminebat. Carolina in aura pietatis crescebat, in studio laboris et in loco modestiae. Viva domus paternae fides significabatur deprecatione communi, praecipue vesperi et antequam cibi sumerentur, cantu cotidiano laudum Virginis Mariae, impigra frequentatione Missae diei dominici et, saepe profestorum dierum, necnon sacramentorum assiduitate.

Familia Kózka ex ceteris familiis etiam spiritu apostolico excellebat. Frequenter namque in ea se congregaban t vicini et cognati,

Sacrarum Litterarum, vitarum Sanctorum et scriptorum catholicorum lectionis communis causa. Tempore quadragesimali « Lamentationes super Passione Domini » canebantur, tempore vero Natalis Christi cantus natalicii. Iure ergo omnes pagi incolae domum paternam Carolinae « ecclesiolam » appellabant.

Eeligio domus paternae Servam Dei adiuvabat in Dei amore augendo. Qui amor diversimode aperiebatur. Ea enim saepe Sanctae Missae intererat, tuncque Sanctam Communionem accipiebat et Dominum in Eucharistia adorabat. Peculiari etiam pietate Iesu Christi passionem colebat et exercitio « viae crucis » vacabat; item Sacrum Cor Iesu magna pietate venerabatur per peculiarem Communionem primo die Veneris cuiusque mensis sumptam ad mundi expianda peccata. Singulariter in corde suo religionem alebat erga Beatam Virginem Mariam, cotidie sanctum Rosarium recitando et summissa voce orando ((Ave Maria » per laborem, quandoquidem, sicut ipsa affirmabat, haec prex « eam magno cordis gaudio afficiebat ». Mensibus Maio et Octobri semper celebrationibus Mariae intererat. Eius privatae precationes ad multam vesperam extendebantur.

Eiusmodi amor oboedientia erga Dei voluntatem exprimebatur. Iam in ludis elementariis, inter optimas discipulas erat. Peculiari modo antecedebat aequales catechismi cognitione. Non raro Sacras Litteras legebat, Sanctorum vitas, scripta catholica. Libenter fratres sororesque minores natu aliosque pagi pueros christianam doctrinam docebat. Laborem cotidianum quam optime exsequi nitebatur. Laeta durum laborem exercebat in agris, quos parentes possidebant, et aliis eundem praebebat laborem. Tenera in necessitates vicinorum et pauperum, senes adiuvabat, aegrotos et egenos, in quibus ipsum Christum videbat. Vere puella erat magnae precationis magnique laboris pro Domino et pro proximo. Circa se benevolentiam et amicitiam diffundebat.

Hac agendi ratione ad locum ubi versabatur magno momento erat. Cum inter varios Apostolatus globos numeraretur, quales erant « Rosarium vivens », « Apostolatus orationis », ((Abstinentium Consociatio », sane erat exemplo. Apostolatus spiritum explicabat et perdiscebat etiam apud avunculum suum Franciscum Borzecki, vitae religiosae et doctrinae pagi provehendae fautorem. Ei in bibliotheca auxiliabatur et in exedra, in quam omnes municipes conveniebant. Qui Servam Dei cognoscebant, eam <(verum angelum » et « primam animam inter omnes municipes ad caelum destinatam » appellabant.

Die 18 mensis anni 1914 Novembris ultimus fuit vitae eius, quam devovit ut iuvenilem suam integritatem tueretur : septimum decimum aetatis annum agebat. Miles namque quidam exercitus Bussici, particeps copiarum quae illis diebus locum insidebant, domum ingressus patrem et puellam Carolinam coegit exire. Deinde, amoto patre annorum comminatione, in silvam puellam compulit, profecto ut ea abuteretur, sicut et duo pagi pueri intulerunt qui, in silva abditi, eam colluctantem viderunt et effugientem. Miles tamen post longum cursum eam consecutus est et, cum fortiter illa se defenderet, ense cecidit qui, praeter alia, venas iugulares secuit, statim mortem afferens. Postea eius corpus inventum est vulneribus onustum quidem, sed inviolatum. Accepta tunc vulnera testificantur fortissimam innocentiae defensionem. Cum se in vita Christo similem reddidisset semperque voluntati Dei esset obsecuta omnibus temporis vestigiis, nec illo supremo puncto peccare voluit, mortem accipiens tamquam maximum amoris in Deum testimonium. Hoc modo Serva Dei in sanguinis effusione Christo assimilata est.

Eius corpore invento et virginitate cognita, paroeciani loci *Zabawa*, sicut et populus totius regionis, coeperunt Servam Dei venerari. Idem corpus in paroeciali coemeterio sepultum est coram plurimis personis, de puellae martyrio persuasis. Multi frequenter ibant apud eius tumulum et in loco occisionis eius precaturi, ubi crux erat collocata. Servae Dei honorificus titulus est attributus « stella populi ».

Tertio post mortem eius anniversario die, die videlicet 18 mensis Novembris a. 1917, consulto Episcopi Tarnoviensis, Domini Leonis Walega, corpus Servae Dei e coemeterio paroeciali translatum est in peculiare sepulcrum, prope ecclesiam paroecialem in loco *Zabawa* situm.

Sanctitatis fama apud sacerdotes et populum Dei in Polonia, et praesertim in dioecesi Tarnoviensi, effecit ut Episcopus Tarnoviensis huius temporis, Georgius Ablewicz, annis 1965-1967 Processum Informativum iniret ((super fama martyrii eiusque causa, super non cultu et super scriptis Servae Dei ». Peracto Processu, idem Episcopus causae instrumenta ad S. Congregationem pro Causis Sanctorum misit.

Postea Congregatio pro Causis Sanctorum Decreta edidit super scriptis, die 10 Septembris anno 1977, super introductione causae, die 4 mensis Maii anno 1981, et, die 20 Septembris anno 1982, super vi et auctoritate Processus Ordinarii, concessa dispensatione a celebratione Processus Apostolici.

Finita praeparatione Positionis super martyrio Servae Dei, actus

est Congressus Peculiaris, moderante Rev.mo D.no Antonio Petti, Fidei Promotore Generali, die 22 mensis Ianuarii anno 1985, in quo Consultores Theologi, de eodem martyrio disceptarunt. Die 7 mensis Maii eodem anno, Ponente Causae Em.mo Cardinali Petro Palazzini, habita est Congregatio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, in qua, qui aderant, Cardinales et Episcopi suum quisque suffragium tulerunt.

Facta postmodum de hisce omnibus Summo Pontifici per subscriptum Cardinalem Praefectum relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis pro Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut Decretum super martyrio Servae Dei appararetur.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die Cardinali Praefecto simulque Causae Ponente meque Antistite a secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, Beatissimus Pater declaravit: ***Constare de martyrio et de causa martyrii Servae Dei Carolinae Kózka, in casu et ad effectum de quo agitur.***

Hoc autem Decretum in vulgus edi et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referri iussit.

Datum Eomae, die 30 mensis Iunii A. D. 1986.

PETRUS Card. PALAZZINI, ***Praefectus***

L. © S.

© Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, ***a Secretis***

III

MEXICANA

Canonizationis Servi Dei Michaelis Augustini Pro, Sacerdotis e Societate Iesu, in odium fidei, uti fertur, interempti.

SUPER DUBIO

An constet de martyrio eiusque causa et de signis seu miraculis, in casu et ad effectum de quo agitur.

« Pretiosa est in conspectu Domini mors sanctorum eius; nec ullo crudelitatis genere destrui potest sacramento crucis Christi fundata religio. Non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur; et semper Dominicus ager segete ditiore vestitur, dum grana, quae singula cadunt, multiplicata nascuntur » (S. Leo Magnus, Sermo 82, ***PL*** 54, 426).

Haec verba, in Natali dicta apostolorum Petri et Pauli, semper valent, quia in verbis Domini nituntur : « Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet : si autem mortuum fuerit, multum fructum affert » *(Io* 12, 24).

Id exitu comprobatum est tempore, quo Ecclesia in Mexico vexata est.

Multoties de iis acerbissimos casibus Pius XI locutus est : « Episcopi et sacerdotes, religiosi sodales et laici homines, divites et pauperes, viri et mulieres, grandiores natu et iuvenes, immo adulescentes et puellae, primo fruentes aetatis flore, de se plures iam menses edunt tale spectaculum, quod cum cordatis omnibus hominibus vel Dei angeli admirentur. Etenim, ut incolumis Dei honor et sua conscientiae dignitas consisteret, ut sua cuiusque vita a fide ne dissentirei, ut cum Ecclesia catholica apostolica romana, cum Iesu Christi Vicario eiusque praescriptis cohaerere ne desinerent, iniurias omne genus passi sunt, exsilia et vincula, indignitatesque morte ipsa atrociores; nec vitae multorum est parcitum. Hi quidem oppetiere mortem cum Christo Regi succlamabant et corona precatoria Deiparam Virginem consalutabant, fide sua suique fortitudine animi ceteris ad aemulandum veluti proposita; atque iidem, tam glorioso interitu, ut in omnem memoriam, communi non sine fructu, prodentur, ita pulchriorem augustioremque diem illum victoriae pacisque optatissimum effecturi sunt, quem profecto approperant ipsimet, paenitentiam ac veniam insectatoribus carnificibusque suis magna effusi sanguinis voce impetrando» (Allocutio diei 20 Decembris a. 1926: ***AAS*** XVIII [1926], 516).

In iis, qui tum mirum Christo et Ecclesiae fidelitatis dederunt testimonium, sine ulla dubitatione effulget Servus Dei Michael Augustinus Pro, Societatis Iesu sacerdos, qui, multis exantlatis laboribus pro animarum salute in periculis multis, libenti animo sanguinem profudit, ut a Domino libertatem religiosam patriae suae impetraret eorumque conversionem, qui Christi Sponsam adfligebant.

Natus is erat Guadalupae die 13 mensis Ianuarii a. 1891 a Michaele Pro, machinatore minerario, et a Iosepha Juárez, qui eum religiose et humane accurate educaverunt.

Quoniam paterna ars familiam impulit ad sedem frequenter mutandam, Servus Dei pueritiam et iuventutem in diversis urbibus egit, ubique aperta indole et iucunda, ingenii suavitate, pietate, pauperum et aegrotorum excellens amore.

Die 10 mensis Angusti a. 1911 est Societatis Iesu novitiatum ingressus in loco *El Llano* sermone patrio appellato, apud Zamoram in Mexico. Die 5 mensis Augusti a. 1913 vota religiosa nuncupavit, ad quae diligenter et ferventer se praeparaverat, sui continentiam, fidelitatem in suis officiis obeundis, caritatem erga novitiatus sodales, fidem, sinceritatem atque obsequii erga superiores, ostendens.

Propter civilem rerum commutationem, in religionem intensam, anno 1914 Zamoram se contulit, deinde Guadalaiaram, deinceps in Foederatas Civitates Americae Septemtrionalis et in Hispaniam, Granadam (annis 1915-1920), ubi studia continuavit, quae obierat, seseque aegris assidendo tradidit et nomadibus christianam doctrinam docendis, prospere quidem.

Postea missus est, uti praeceptor, in urbem Granadam, in Nicaragua (annis 1920-1922), et denuo in Europam, ubi theologiae studuit, primum in Collegio barcinonensi S. Ignatii *(Sarria),* in Hispania (annis 1922-1924) dein in urbem *Enghien* (in Belgio), vulgo vocatam (annis 1924-1926). Ibi ordinationem sacerdotalem accepit die 30 mensis Augusti anno 1925.

Ob incommodam valetudinem in Mexicum insequenti anno est reversus, in quod tum persecutio violenter incumbebat quae, legibus contrariis iuribus divinis et humanis, rabióse non solum operas et libertatem, sed ipsam Ecclesiae vitam exstinguere conabatur.

Ut crescentem et iniquam effugeret tempestatem, contra catholicos et praesertim contra sacerdotes concitatam, Superiorum consensu Mexicopolim ad familiares confugit. Periculorum neglegens et infirmae valetudinis, omnes curas impigro et animoso fervore in apostolatum contulit, in diversas urbis partes concedens ut Missam celebraret, sacramenta ministraret, in animarum moderationem, in exercitia spiritualia et in catechesim tradenda incumberet inque curam pauperum et oppressorum spiritualem et corporalem. Dextere insectatorum insidias declinabat, ut posset Christo servire in pauperibus et vexatis (cf. *Mt* 25, 35-36), secundum modum ab ipso Domino significatum (cf. *Io* 13, 34). Multimodis ostendit se vitae suae in hoc mundo odium habere, ut eam in vitam aeternam custodiret (cf. *Io* 12, 25) ; qua re numquam timuit maxima discrimina suscipere, dummodo fidei lucem funderet et christianae caritatis calorem, quam ipse modo sane miro est testificatus.

Crebra incommoda et periculosi apostolici labores eius consuetam hilaritatem et tranquillitatem r estinguere non potuerunt; quin, tam

firma erat eius animi pax, ut non solum oraret et orare iuberet pro inimicorum religionis conversione, sed ne turbatus quidem videretur obscurioribus et minacioribus eventibus. In qualibet occasione Providentiae manum videbat, unde affirmabat: « Omnia ad bonum eorum sunt, qui Deum diligunt)). Eius serenitas eiusque laetitia, praeterquam ex indole, ex persuasione profiuebant a Christo mundum esse victum (cf. *Io* 16, 33) et Dominum omnibus adesse, qui eum invocant et sincero pectore quaerunt, eorum deprecationes exaudiré eosque salvos facere (cf. *Ps* 144, 19).

Cotidie bonum fidei certamen oppetebat, gratiae divinae auxilio fisus, quam merere exquirebat altaris sacrificii celebratione, deprecatione assidua, protractis eucharisticis adorationibus, verbi Dei meditatione, sincero et indefatigato operum pastoralium studio.

Iniquitas temporum in eo curam progressus faciendi, continenter et sine ulla exceptione, auxit in Christi imitatione, nedum animum a propositis sevocaret; et revera emergit eum virtutum sacerdotalium ac religiosarum exemplo tenebras discussisse, quae in populum Mexicanum descenderant. Sed fulgidiore etiam luce pientissima morte luxit.

Iamdudum inquisitus, comprehensus est fortuito die 18 mensis Novembris anno 1927; iniuste accusatus quod socius fuisset insidiarum — quae tamen male cesserunt — ante paucos dies perpetratarum contra Praesidem Reipublicae designatum. At Servus Dei, qui numquam civiles publicasque res neque militares curaverat, et semper a qualibet violentiae et odii forma omnino abhorruerat, non solum corpore extra insidias fuit, sed ne animo quidem coniurationem participavit, quam tantummodo patratam cognovit. Sed accusatores, quamvis certi essent eum esse innocentem, mortem eius volebant, tum quia sacerdos catholicus erat, tum quia ad id tempus ardens et efficax apostolicum ministerium expiraverat ; praeterea statutum habebant causae Ecclesiae gravem addere plagam.

Hinc falsis insimulationibus et sine legitimo iudicio eum morte per pyrobolum multarunt.

« Sicut agnus, qui ad occisionem ducitur, et quasi ovis, quae coram tondentibus se obmutuit» *(Is* 53, 7), non est renisus eis, qui in eum vim adhibebant. Id non durum ei fuit, cum se a bonis terrenis seiunxisset paratusque esset ad sanguinem pro Christo fundendum. Ideo, dum prehendebatur, dixit: « Nostram offerimus vitam Deo Domino nostro pro Mexici libertate religiosa ». Dum, brevi, in carcere est custoditus, semper intento animo fuit, pius et laetus. Saepe totum se in precatione

collocabat privata et, cupiens utilis esse iis, qui cum eo in vinculis tenebantur, eos consolabatur, sua cum illis communicabat, eosdemque adhortabatur ut Domino confiderent et decori sibi ducerent pro Christo pati. Cum iis Virginis Mariae rosarium recitabat aliasque preces, simulque hymnos religiosos canebat. Omnibus fuit exemplo, custodiae traditis et militibus, humilitate sua, caritate, patientia, sui neglegentia, incommodorum acceptione. Precabatur et patiebatur ut Ecclesiae tranquillitatem impetraret et insectatorum aeternam salutem. Pro certo habens se in manibus Dei esse, nihil fecit ut libertatem recuperaret vitamque servaret.

Die 23 mensis Novembris, mane, ductus est ad locum supplicii. Ibi petiit et obtinuit ut mentem in deprecationem intenderet: postea genibus nisus est, e sinu vestis extraxit Beatae Virginis rosarium et Christum cruci affixum e materia fictum, quem deosculatus est; deinde aliquantisper in deprecatione constitit, oculis ad caelum allevatis. Paulo post surrexit seseque ad globum militum, iussum ultimo supplicio illum afficere, vertit; rursus Christum cruci affixum est osculatus, quem in manu dextera habebat; in manu sinistra rosarium tenebat B. M. Virginis. Demum decussatis brachiis, nutu capitis innuens, se praeparavit ad suum sacrificium offerendum. Ultima eius verba, alta voce prolata, fuere: « Vivat Christus rex ». Plumbeis glandibus acceptis, humi procubuit, et quia etiam tum vitae signa mittebat, magister globi militum saucium confecit.

Ita in pacem ingrediebatur; in paucis correptus in multis est bene dispositus, quoniam Deus tentaverat eum et invenerat illum dignum se. Tamquam aurum in fornace probaverat illum et quasi holocausti hostiam accepit illum (cf. *Sap* 3, 5-6).

Statim Servus Dei ab omnibus habitus est verus fidei martyr. Procedente tempore eiusmodi opinio confirmata est et fines Mexicanae nationis est transgressa, ut ad diversas terrae regiones dimanaret. Quocirca Curia Archiepiscopalis Mexicopolitana censuit eius canonizationis causam esse incipiendam. Processus Ordinarii celebrationem (annis 1935-1937) secuta sunt Decreta super scriptis (anno 1947), super Introductione Causae (die 11 mensis Ianuarii anno 1952), super non cultu (anno 1952). Instructo Processu Apostolico (annis 1952-1954), editum est Decretum de vi et auctoritate horum Processuum. Dein (anno 1963), quo planiora fierent adiuncta et causae interiectionis Servi Dei per pyroboli ictum, actus est apud eandem Curiam Processiculus Apostolicus Additicius. Apparata Positione super martyrio,

Consultores Theologi, in Congressu Peculiari die 29 mensis Aprilis anno 1986 habito, agnoverunt Servum Dei Michaelem Augustinum Pro esse martyrem fidei putandum, secundum Ecclesiae translaticiam theologicam et iuridicam doctrinam.

Idem, quod Consultores Theologi, professi sunt Patres Cardinales et Episcopi in Congregatione Ordinaria die 1 mensis Iulii eodem anno acta, Ponente Causae Eminentissimo Cardinali Mario Aloisio Ciappi.

Facta postmodum de hisce omnibus per subscriptum Cardinalem Praefectum relatione Summo Pontifici Ioanni Paulo II, Sanctitas Sua vota Congregationis pro Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut super martyrio Servi Dei Decretum rite appararetur.

Quod cum esset factum, hodierna die, accitis ad Se cardinalibus Praefecto Congregationis praedictae necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis, ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater edixit : ***Constare de martyrio et martyrii causa Servi Dei Michaelis Augustini Pro, sacerdotis e Societate Iesu, ut, concessa a signis seu miraculis dispensatione, ad luteriora procedi posset, in casu et ad effectum de quo agitur.***

Hoc Decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referri iussit.

Datum Bomae, die 10 Novembris A. D. 1986.

PETRUS Card. PALAZZINI, ***Praefectus***

L. © S.

© Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, ***a Secretis***

IV

Ï ARB ACONEN.

Canonizationis Servi Dei Francisci a Iesu Maria Ioseph (in saeculo: Francisci Palau y Quer), Sacerdotis professi Ordinis Carmelitarum Discalceatorum, Fundatoris Instituti Sororum Carmelitarum Missionariarum Teresianarum et Instituti Sororum Carmelitarum Missionariarum (1811-1872).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

« Omnes qui volunt pie vivere in Christo Iesu, persecutionem patientur » *(2 **Tim*** 3, 12). Si hoc ad omnes verum est, verius esse videtur

ad eos, qui ad arctiorem cum Domino coniunctionem vocati sunt. Idem sentit etiam S. Teresia a Iesu : « Viam crucis dilectis suis Dominus servat; quo magis eos amat, eo magis onerat laboribus. Stultum est cogitare eum ad suam familiaritatem admittere animas voluptatis studiosas et non dolorum : quin persuasum habeo illum contemplativis graviores mittere cruces, quam ceteris ... Pauci veri contemplavi sunt, quos non videam animosos et pati paratos » (S. Teresia a Iesu, *Camino de perfección,* 18, 1-2).

In eos, qui magnam interiorem vim ostenderunt et perseverantiam in difficultatibus et in casibus adversis, latis ut Christo suam fidelitatem testificarentur, ascribere possumus etiam Servum Dei Franciscum a Iesu Maria Ioseph (in saeculo : Franciscum Palau y Quer), qui magnam partem vitae suae ambulavit super ignés ardentes molestiarum, periculorum, vexationum, sed divina gratia adiuvante calliditates diaboli et inimicorum vicit et expedite progressus est usque ad montem Dei, videlicet usque ad perfectionem. Coenobiorum et Ordinum monasticorum Hispanicorum (anno 1835) abolitione adductus ut stabile domicilium non haberet et extra clausuram viveret, ab accepta vocatione non discessit et valuit ad accommadandum solitudinis et contemplationis amorem impigerrimae salutis animarum curae.

Et, quoniam difficilibus illis temporibus religiosi e monasteriis expulsi prohibiti sunt ne in coenobia redirent et iussi se permittere potestati sui quisque Ordinarii, Servus Dei dioecesi Barcinonensi incardinatus est : sed haec omnia non evellerunt e pectore eius amorem Carmeli, nec prohibuerunt quo minus se haberet verum Carmelitam et verus Carmelita putaretur, et spiritui Ordinis sui fidelis maneret ac, quantum fieri posset, etiam Regulis.

Natus est in oppido *Aytona,* in finibus dioecesis Illerdensis, die 29 mensis Decembris anno 1811; eodem die sacramento baptismatis renatus est. A piis parentibus, Iosepho Palau et Antonia Quer, mox amorem pietatis et precationis didicit. Bona intellegentia praeditus, libenter et fructuose in studia incubuit, quae in solo natali iniit et Illerdae est persecutus. Hic ad primam Communionem accessit et, cognita vocatione ad sacerdotium, coepit frequentare Seminarium dioecesanum, primum uti alumnus externus, deinde uti internus (annis 1828-1832). Anno 1832, victis familiarium et superiorum ecclesiasticorum dissensionibus, intravit ut postulans inter Carmelitas Discalceatos Illerdenses. Eodem anno in Carmelo Barcinonensi vestem religiosam induit, nomine sumpto Fratre Francisco a Iesu Maria Ioseph,

et anni novitiatus initium fecit. Die 15 mensis Novembris anno 1833 vota sollemnia nuncupavit.

Studiosus per omnia respondendi vocationi Carmelitanae, suam formationem diligenter excoluit, eminens exercitio silentii, oboedientiae, paupertatis, seiunctionis a mundo ; et quoniam « in via vitae non progredi, regredi est » (S. Bernardus, *In purificatione* B. M. V., sermo 2, n. 3. ML 183, 369), continenter in rebus spiritus se exercebat, cum nihil aliud appeteret, quam celeriter consequi perfectam Christi similitudinem, supremi perfectionis exemplaris.

Die 25 mensis Iulii a. 1835 coenobium ubi Servus Dei habitabat, incursatum est et incensum a rerum novarum molitoribus. In tutum receptus, die 2 mensis Aprilis anno 1836 ab Episcopo Barbastrensi sacrum Presbyteratus Ordinem accepit. Postea duos mansit annos in oppido *Aytona,* navitatem apostolicam vita solitaria varians in antro. Ut populi necessitatibus occurreret, suis orbati pastoribus, aut interiectis aut in exsilium eiectis, diversis in dioecesibus se dedidit sedulo praedicationi et ministerio confessionum. Anno 1840, propter rerum mutationem, quae Hispaniam premere pergebat, in Galliam confugit, ubi mansit usque ad annum 1851, degens in dioecesibus Perpinianensi et Montis Albani. Propte templum Dominae Nostrae loci *Livron* conatus est communitatem religiosam constituere, sed multae auctoritatis ecclesiasticae et civilis repugnantiae effecerunt ut propositum deponeret.

Cum in patriam reversus esset, ab Episcopo Barcinonensi ei delegatum est officium magistri spiritus Seminarii et mandatum gentes illas evangelizandi. Ut hoc assequeretur, aperuit etiam « Scholam virtutis », seu scholam catechesis adultis tradendae ; quod inceptum mox prospere successit copiososque edidit fructus. Sed religionis inimici non otiosi fuerunt; namque Scholam sustulerunt et eius conditorem in insulam Ebusum relegaverunt (anno 1854). Iniusta poena animum eius non f regit, semper paratum ad patiendum propter regni Dei amplificationem : « Nihil aliud exspectemus, quam poenas et dolores — scripsit — fortiter patiamur, magno animo toleremus, sinceri simus et fideles erga Iesum cruci adfixum ». Incolumi tas pro relegatis publicis sivit eum Barcinonem reverti anno 1860 : etenim vi regii Decreti diei 28 Iunii a. 1860 declarabatur plena Servi Dei innocentia post tam longum exsilium.

Interiore illuminatione quodammodo fulguratus illis annis praesen**tes** et altius cognovit Ecclesiae mysterium et est incensus amore eius vehementissimo et elatissimo, quam Amatam suam appellabat, Spon-

sam suam; tamque ardens erat eius cupiditatis ardor, ut diceret: ((Amore Ecclesiae pereo ; in eius ministerio sum ; in ara crucis caput meum devo veo pro ea, quietem meam et quae mihi carissima sunt ». In Christi corpore mystico cum gaudio contemplabatur Sanctissimae Trinitatis gloriam et peculiarem Virginis Mariae praesentiam, « quae figura perfectissima est ad significandam nobis Ecclesiam. Sanctam », etenim « omne quod perfectum, quod purum, quod sanctum est et de Virgine Maria celebratur, modo excellentissimo et praestantissimo quadrat in Ecclesiam. Virginitas, maternum nomen, pudicitia Mariae, Ecclesiae eadem declarant ». Tam magnis cogitationibus et sensibus firmatus et ductus, exinde vehementem appetitionem coluit : «Vivo et vivam pro Ecclesia; pro Ecclesia vivere et mori volo». Iam eius munus clarum erat : se sine ulla exceptione dedere triumpho Sponsae suae per praedicationem Evangelii et divinae misericordiae. Scripsit : ((Meum munus positum est, o Ecclesia, in nuntiando populis te esse ad immensum pulchram et amabilem, et in praedicando iis ut te ament ».

Quo se Amatae suae utiliorem redderet, egenae pastorum, funditus vitam suam mutavit, quae ex anachoretica facta est praecipue apostolica et missionalis. Cum fervore, efficientia et solida doctrina, in diversis Cataloniae et Insularum Balearium locis verbum Dei nuntiabat, caritatem exercebat pro aegris, fidei veritates docebat, libere et audacter contra mala ad mores et societatem populi pertinentia contendebat, paratus vitam fundere pro ovibus suis similiter ac bonus Pastor (cf. *Io* 10, 11).

Anno 1864 exorcismorum usu impavidam contra principem tenebrarum pugnam iniit, quem existimabat maiorum humani generis et odii in Ecclesiam fontem; sed haec quoque apostolatus forma non paucas ei genuit simultates et acerbitates.

Tam diligens apostolus non poterat non habere discipulos ; ab exordio enim eius sacerdotii coetus virorum et mulierum circum eum se congregaverunt, qui, eius illecti virtutibus et institutione, voluerunt eius exempla imitari, primum in vita anachoretica et deinde in vita apostolica. Annis 1860-1861 in oppido *Cindadela*, in insula Minorica, Sorores Tertiarias a Virgine Carmeli Sanctae Teresiae a Iesu instituit, quae in contemplationem, in apostolatum apud scholarum iuventutem et in aegrotorum curam incumberent. Idem consilium persequens constituit Fratres a Caritate Tertii Ordinis Carmelitani. Cum Servo Dei munus concreditum est Rectoris Tertiariorum Carmelitarum (anno

1867), potuit iuridiciali structura sua Opera Fundata instruere, quae usque ad illud tempus fuerant simplices sodalitates privatae ; antequam mortuus est Constitutiones conscripsit, quae sunt postea approbatae. Cum Fratres sint re exstincti conversione rerum publicarum Hispanica (annis 1936-1939), Institutum muliebre contra crevit in duas Congregationes seiunctas, nempe Carmelitidum Missionariarum Teresianarum et Carmelitidum Missionariarum.

Quamvis ampla, multiplicia et solida essent eius apostolica incepta, non semper Servus Dei laborum suorum carpsit fructus, quin immo non raro solummodo tempestates violentas vidit, quae necopinatae et implacabiles in opera eius proruebant simul ac oriri coeperant. Forti cum animo et inconcussa cum fide experimentum tulit serendi et non videndi proventum. ((Tu seminabis et non metes, tu calcabis olivam et non ungeris oleo, mustum et non bibes vinum » *(Mich* 6, 15) ; nam : ((Alius est qui seminat, et alius est qui metit » *(Io* 4, 37). Ut patet, non fuit haec castigatio, sed vocatio ad plenius solitudinem et infirmitatem communicandam, quam Christus passus erat in Gethsemani et in Calvaria. Profecto Dominus erat cum eo, ut eum defenderet (cf. *Ier* 1, 8) ; numquam adversarios et res adversas extimuit, nec umquam laborare et pugnare destitit, ut animas ad Deum adduceret. Magna spe fultus, praeclare operi redemptionis interfuit, semper promptus ad adimplenda in carne sua ea quae desunt passionum Christi pro corpore eius, quod est Ecclesia (cf. *Gol* 1, 24).

Apparet igitur Servum Dei non fuisse arundinem vento motam (cf. *Lc* 7, 24) appetituum et eventuum historicorum, nec virum rerum facilium et mollium amantem. Obsequens, contra, verbo Dei omnibus viribus suis et suae sacerdotali vocationi, firmiter Domino adhaesit, petrae aeternae (cf. *Is* 26, 4), et Ecclesiae, columnae et firmamento veritatis (cf. *1 Tim* 3, 15). Ut verus vir Dei, bonum certamen fidei certavit (cf. *Ib* 6, 12), armis lucis (cf. *Rom* 13, 12), id est fiducia divinae potentiae, humilitate, voluntariis incommodis, paupertate. Et quoniam longum iter confici non potest nec feliciter meta contingi sine cibo valido (cf. *1 Reg* 19, 7-8), is animam suam sine intermissione et copiose aluit deprecatione, exercitio praesentiae Dei, Sacrarum Litterarum meditatione, Missae sacrificio et fervida erga Eucharistiam et Virginem Mariam pietate.

Uti addecet spiritualem filium S. Teresiae a Iesu, Virginis Abulensis, et S. Ioannis a Cruce, Servus Dei constanter suum zelum apostolicasque actiones flamma orationis et precationis nutriebat et susten-

tabat. Ad modum virorum, qui contemplativae vitae dono sunt fruiti in Ecclesia Dei, noster quoque solitudinis anhelitum necnon veluti invincibilem necessitatem ascendendi, sicut Dominus, montis cacumen persentiebat, ut inde novis instructus viribus ad Evangelii praedicationem pauperumque servitium rediret.

Eius valetudo, vigens et firma in iuventute, ultimis vitae annis coepit ex indefatigata navitate damnum accipere, ex diuturnis paenitentiis, ex indigentiis, ex multis aegritudinibus, ex longis itineribus. Gravis ictus eius valetudini est impositus laboribus sustentis in assidendo peste corruptis in urbe *Calasanz;* paulo enim post pie de vita decessit inflammatione pulmonea Tarracone, die 20 mensis Martii, primo mane, anno 1872.

Fama sanctitatis, quam sibi vivus comparaverat, post eius mortem non inter misit; attamen Causa beatificationis et canonizationis, ob rationes ab ea extraneas, nonnisi anno 1950 initium cepit celebratione processuum Ordinariorum Tarraconensium super non cultu, super scriptis et super fama sanctitatis. Omnia instrumenta, ut par erat, tradita sunt Officio Historico Sacrae id temporis Congregationis Rituum, quod documentis inquirendis accurate prospexit, quae ad vitam, ad opera et ad virtutes Servi Dei pertinebant. Interea, die 21 mensis Decembris a. 1968, editum est Decretum super scriptis. Typis descripta *Positio* (anno 1979) recognita est a Consultoribus Historicis die 16 mensis Decembris anno 1980; die 27 mensis Septembris anno 1981 proditum est Decretum super Causae Introductione. Aliae pervestigationes ex tabulariis aliaque studia facta sunt, donec actus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum qui, in conventu die 15 mensis Aprilis habito anno 1986, convenerunt de virtutibus Servi Dei heroum in modum exercitis. Idem Patres Cardinales et Episcopi agnoverunt in Congregatione Ordinaria die 8 mensis Iulii eodem anno congressa, Ponente Causae Eminentissimo Cardinali Mario Aloisio Ciappi.

Facta postmodum de hisce omnibus per subscriptum Cardinalem Praefectum relatione Summo Pontifici Ioanni Paulo II, Sanctitas Sua vota Congregationis pro Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus Decretum rite appararetur.

Quod cum esset factum, hodierna die, accitis ad Se cardinalibus Praefecto Congregationis praedictae necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis, ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater edixit : *Constare de virtutibus theologalibus Fide*,

Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Francisci a Iesu Maria Ioseph (in saeculo: Francisci Palau y Quer), Sacerdotis professi Ordinis Carmelitarum Discalceatorum, Fundatoris Instituti Sororum Carmelitarum Missionariarum Teresianarum et Instituti Sororum Carmelitarum Missionariarum, in casu et ad effectum de quo agitur.

Datum Romae, die 10 Novembris A. D. 1986.

PETRUS Card. PALAZZINI, ***Praefectus***

L. © S.

® Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, ***a Secretis***

V

FRIBURGEN.

Canonizationis Ven. Servae Dei Ulricae Nisch, Religiosae professae Congregationis Sororum a Caritate S. Crucis de Ingenbohl (1882-1913).

SUPER DUBIO

An constet de miraculo, in casu et ad effectum de quo agitur.

Ex tenui orta genere, die 18 mensis Septembris anno 1882 in finibus dioecesis Rottenburgensis in Germania, Serva Dei Ulrica Nisch, post spectatum in saeculo famulatum, vitam religiosam amplexata est anno 1904 apud Sorores a Caritate S. Crucis de Ingenbohl.

Eamdem Famulam Dei heroicas coluisse virtutes christianas, nempe théologales Fidem, Spem et Caritatem tum in Deum tum in proximum, necnon cardinales, videlicet Prudentiam, Iustitiam, Temperantiam et Fortitudinem earumque adnexas, Summus Pontifex Ioannes Paulus II per peculiare Decretum Congregationis pro Causis Sanctorum die 14 mensis Decembris anno 1984 declaravit.

Ut autem Beatorum Caelitum honoribus eadem Venerabilis Ulrica Nisch rite condecoraretur, Causae actores sanationem proposuerunt, divinitus effectam per eiusdem intercessionem. Agitur nempe de mira sanatione dominae Hildis Burchard Gehards, quintum supra quinquagesimum agentis vitae annum, in urbe Colonia Agrippina, quae, humanis remediis in vanum adhibitis, caelesti ope Venera-

bilis Ulricae Nisch, a chirrhosi hepática terminali cum hypertensione portali repente et perfecte convaluit. Sanata, quae erat Protestanticae confessionis, gratitudinis causa erga Deum et erga Venerablem catholicam fidem amplexata est.

Qua super mira sanatione instructus est apud Curiam archiepiscopalem Friburgensem, a die 17 Decembris a. 1979 ad diem usque 4 Iunii anni 1981 processus cognitionalis, auditis novem testibus. Cuius inquisitionis forma et iuridica vis agnitae sunt per Decretum huius Congregationis die 18 mense Novembris, anno 1983. Exinde disceptatio iure praescripta apud eandem Congregationem agi coepta est de eodem miro eventu, et primum quidem, die 22 mensis Ianuarii anni 1986 in sessione Consilii Medici ipsius Congregationis, in qua edictum est praefatam sanationem praeter naturae leges contigisse. Successit deinde descussio in Congressu Peculiari Consultorum theologorum, moderante Eev.mo D.no Antonio Petti, Fidei Promotore Generali, die 27 mensis Iunii anno 1986 habito ; et demum, die 11 Novembris a. 1986, in Congregatione Ordinaria Patrum Cardinalium, Ponente Em.mo cardinali Alfonso Stickler. Et in utroque Coetu, sive Consultores sive Cardinales, proposito dubio *an constet de miraculo,* adfirmantes responderunt.

Facta postmodum de hisce omnibus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua decretum super praedicta sanatione apparari praecepit.

Quod cum rite factum esset, accitis ad Se hodierna die Cardinalibus infrascripto Praefecto et Causae Ponente meque Antistite a Secretis ceterisque de more convocandis, iisque astantibus, Beatissimus Pater edixit : *Constare de uno miraculo a Deo, intercedente Ven. Serva Dei Ulrica Nisch, patrato, scilicet de rapida, perfecta ac stabili sanatione dominae Hildis Burchard Gerhards, a chirrhosi hepática terminali, cum hypertensione portali.*

Hoc autem Decretum in vulgum edi et in acta Congregationis referri mandavit.

Datum Romae, die 3 Ianuarii A. D. 1987.

PETRUS Card. PALAZZINI, *Praefectus*

L. © S.

© Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

VI

HISPALEN.

Canonizationis Servi Dei Francisci de Paula Tarín, Sacerdotis professi Societatis Iesu (1847-1910).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

<(Presbyteri primum habent officium Evangelium Dei omnibus evangelizandi, ut, mandatum exsequentes Domini : « Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae » *(Me* 16, 15), Populum Dei constituant et augeant. Verbo enim salutari in corde non fidelium suscitatur et in corde fidelium alitur fides, qua congregatio fidelium incipit et crescit, secundum illud Apostoli : « Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi » *(Rom* 10, 17). Omnibus ergo debitores sunt Presbyteri, ut cum eis communicent veritatem Evangelii, qua in Domino gaudent » (Conc. Oec. Vat. II, Decretum de Presbyterorum ministerio et vita ***Presbyterorum Ordinis,*** 4).

Ab origine sane Ecclesiae sacerdotes fuerunt, qui verbo Dei inserviendo omnino se dediderunt, adhortationem S. Pauli fideliter explicantes : « Praedica verbum, insta opportune, importune : argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina » *(2* ***Tim*** 4, 2).

Refulgit inter hos etiam Servus Dei Franciscus de Paula Tarín, qui summis opibus et acri studio animum in curam pastoralem animarum intendit, praesertim praedicationis et paenitentiae ministerio, laetus in dies impendere vitam pro Christi grege (cf. ***Io*** 10, 11).

Is natus est a Michaele Tarin et Teresia Arnau in viculo ***Godelleta,*** in finibus archidioecesis Valentinae in Hispania sito, die 7 mensis Octobris anno 1847, eodemque die sacramentum baptismatis accepit.

Viginti sex annos natus, relicta domo paterna et patriae, ingressus est novitiatum Societatis Iesu in ***Poyanne,*** in Gallia meridiana, die 30 Octobris anno 1873. Cum fervore et constanti diligentia suam religiosam formationem coluit, insignis humilitate, oboedientia erga superiores, alacritate laboris. Calendis Novembribus anno 1875 vota

simplicia nuncupavit, sed perpetua. In Hispaniam reversus (anno 1878), studia perrexit in loco communiter dicto *Carrion de los Condes* (in provincia Palentina), apud Studiorum Universitatem Salmanticensem, et in oppido *Oña* (prope *Burgos).*

Ordinatus sacerdos die 29 mensis Iulii anno 1883, addictus est Ephebeo Portus Sanctae Mariae (ad Gades), in quo enixum et fructuosum exercuit apostolatum in iuvenibus et cholera morbo affectis, quibus libenter humillima praestitit officia. Illis annis, dum Ephebei alumnos tuebatur, fortuito altum vulnus crure excepit, quod usque ad mortem perduravit eique acerbos excivit dolores, quos forti animo toleravit, cupiens adimplere in carne sua ea quae desunt passionum Christi pro Ecclesia (cf. *Col* 1, 24). Postea variis functus muneribus, in aliis Ordinis sui domibus degit : in urbibus *Talavera de la Reina, S. Jerónimo de Murcia,* Matriti, ubi sollemnem professionem fecit die 2 mensis Februarii anno 1891, Cordubae, Hispali, Civitate Eegia et, demum, rursus Hispali. Ubique omnia egregie explevit officia sibi a Superioribus delegata ; sed maxime fratribus sodalibus et populo admirationem sui iniecit apostolatu, in quem, ab anno 1888, impensa cum assiduitate et mira cum efficacia incubuit in multis Hispaniae regionibus. Quamvis tenui valetudine uteretur, diuque noctuque labores et incommoda innumerabilia suscepit ut utilis esset animis, quas ad Dei cognitionem et amorem ducere volebat. Ob eam rem diligentissimus erat in praedicandis « missionibus popularibus », quae dicuntur, quibus magno vigore, alta doctrina et sermonis simplicitate copiose distribuebat, tum credentibus tum non credentibus, nutrimentum verbi Dei. Neminem eius pastoralis sollicitudo latebat; namque aptis christianae doctrinae institutionibus et praeceptionibus diversas hominum classes erudiebat, aegrotos visebat et in carceribus inclusos; pauperibus succurrebat, bonos confirmabat, neglegentes movebat et tepidos; peccatores monebat; ardenti animo oppugnabat errores religioni et fidei populi infestos, mores reformabat. Multa et opportuna capessivit incepta ut puerorum institutioni religiosae prospiceret : hoc persequens propositum, praeterquam ipse catechismum docebat, idoneos christianae doctrinae institutores curavit formandos, magno hoc et singulari ministerio ludi magistros implicans. Hortatus est et sustinuit Servam Dei Mariam Perdolentem Rodríguez Ortega Sopeña (a. 1848-1918) in condendo Instituto Dominarum Catechistarum. Ut amplius gloriam Dei dilataret, longe lateque vulgavit pietatem in SS.mam Eucharistiam, praesertim multis in locis constituendo ((adorationem

nocturnam ». Quolibet ibat, insuper, nitebatur erga S. Cor Iesu pietatem provehere, idque tam vehementer tamque fructuose fecit, ut « apostolus S. Cordis » appellatus sit. Pari sedulitate et accuratione fovit in populo filialem erga Virginem Mariam amorem, cuius precibus magnopere confidebat : signum eximium huius rei est, quod eius dies apostolici initium semper ducebant a « Rosario aurorae », seu a cantu Rosarii pro forma pompae, cui fideles intererant.

Cum paenitentiae sacramentum maxime conferat ad sustentandam vitam christianam (cf. Conc. Oec. Vat. II, Decretum de pastorali episcoporum munere in Ecclesia *Christus Dominus,* 30), multa eius navitatis pars posita erat in ministerio confessionum, quas audiebat etiam nocturnis horis, semper impigre, prudenter et aequabiliter.

Cum similis per omnia vellet esse Christo, qui acerbis passionis doloribus mundum redemit, Servus Dei amavit et large explicavit paenitentiam et castigationes voluntarias; etenim, non solum aequo animo graves apostolatus labores tolerabát et incommoda imbecillae valetudinis, sed nullam omittebat occasionem ut se abnegaret (cf. *Mt* 16, 24) et Deum glorificaret in corpore suo (cf. *1 Cor* 6, 20). Ut hoc assequeretur, perfecte naturae suae moderabatur; iniuste sibi aegritudines parientibus aut suo obstantibus ministerio non reluctabatur ; sine intermissione utebatur cilicio ; paucissimas tantum dormiebat horas, in sella sedens; longa itinera pedibus faciebat; ieiunium exercebat et, quando cibum sumebat, in edendo et in bibendo maxime sobrius erat ; frigus non vitabat.

Haec omnia faciebat, quia cor eius amore Domini flagrabat, cui quam optime servire statuerat. Dicit S. Bernardus : « Exigit Deus timeri ut dominus, honorari ut pater, ut Sponsus amari » *(In Cantica,* sermo 83; ML 183-1183). Id ipsum cotidie fecit etiam Servus Dei, qui habuit in Deum timorem, observantiam et imprimis amorem ; et quoniam amor exigit animorum communionem, Pater Tarín optavit impense unum esse cum Amato suo. Hinc diu meditabatur supremas veritates, obsequenter divina consilia accipiebat, et continenter affectus et oculos defigebat in intima anima, ubi sui Redemptoris praesentiam intuebatur. In eo vivebat et movebatur (cf. *Act* 17, 28) ; pro eo se abdebat in humilitate ; cum eo manebat in deprecatione et contemplatione ; ei se ipsum offerebat et bonum quod eius gratiae auxilio faciebat. Manifesto cum fervore Missae sacrificium celebrabat ceterisque religionibus satisfaciebat ; fervidissima pietate multas agebat horas in adoranda Eucharistia. Ita Servus Dei mire temperavit vitam activam

cum vita contemplativa, ut altera alteram aleret, altera alteram contemplantur et ambae gloriam et honorem Deo darent.

Fratres sodales et populus confestim in eo imaginem viderunt perfecti discipuli Christi et egregii religiosi, qui, aversa mente ab omnibus rebus terrenis, fideliter officia exsequitur status sui, vota religiosa et Regulam sui Ordinis diligenter observat seque dedit non communi voluntate, assiduitate et laetitia propriae et alienae sanctificationi consequendae. Ideo vivus solidam et magnam sibi sanctitatis famam comparavit; et cum pie Hispali de vita decessit, die 12 mensis Decembris anno 1910, haec fama non solum non evanuit, sed contra dilatata est et corroborata et in Societate Iesu et in natione Hispanica.

Qua re archiepiscopus Hispalensis Causam iniit canonizationis. Celebratis Processibus Ordinario Informativo (annis 1924-1928) necnon Rogatorialibus Valentino (anno 1924), Matritensi (anno 1926) et Illeberitano (anno 1927), die 10 mensis Decembris anno 1930 proditum est Decretum super scriptis Servi Dei, et deinde, die 14 mensis Novembris anno 1934, Decretum super Introductione Causae. Decreto obtento de non cultu (die 16 mensis Ianuarii anno 1935), instructi sunt Processus Apostolici in Curiis Hispalensi, Matritensi et Valentina. Agnita vi et auctoritate horum Processuum (die 13 mensis Aprilis anno 1945), acta est Congregatio Antepraeparatoria, die 19 mensis Februarii anno 1957 ; postid Summus Pontifex Pius XII decrevit ((procedatur ad ulteriora ». Apparata *Nova Positione super virtutibus,* die 24 mensis Iunii anno 1986, habitus est, prospero cum exitu, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum.

Patres Cardinales et Episcopi in Congregatione Ordinaria diei 18 mensis Novembris eodem anno, Ponente Causae Em.mo Cardinali Antonio Innocenti, professi sunt Servum Dei Franciscum de Paula Tarín virtutes théologales, cardinales et adnexas heroum more exercuisse.

De hisce omnibus facta dehinc Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum cardinalem Praefectum fideli et accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis excipiens, ut Decretum appararetur super heroicis eiusdem Servi Dei virtutibus mandavit.

Quod cum rite esset factum, hodierno die accitis ad Se cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis, ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit : *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et*

Fortitudine eisque adnexis in gradu heroico Servi Dei Francisci de Paula Tarín, sacerdotis professi Societatis Iesu, in casu et ad effectum de quo agitur.

Hoc autem Decretum in vulgum edi et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referri iussit.

Datum Romae, die 3 Ianuarii A. D. 1987.

PETRUS Card. PALAZZINI, *Praefectus*

Ii. © S.

© Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

VII

IANUEN.

Canonizationis Ven. Servae Dei Benedictae Cambiagio Frassinello, Fundatricis Congregationis Sororum Benedictinarum a Providentia (1791-1858).

SUPER DUBIO

An et de quo miraculo constet, in casu et ad effectum de quo agitur.

Sanctitas adeo est Ecclesiae peculiaris, ut nota eius sit et proprietas. Quae quidem, quamvis ex capite quod est Christus Dominus atque ex eius doctrina in primis sit repetenda, in membris quoque, quae ad Ecclesiam pertinent, eluceat necesse est, iuxta illud Divini Magistri praeceptum : « Estote ergo vos perfecti sicut et Pater vester perfectus est» *(Mt* 5, 48), quod et Apostolus sic interpretatus est: «Haec est voluntas Dei, sanctificatio vestra» *(1 Thess* 4, 3). Inde fit, ut nullo non tempore christifideles pietate et religione insignes extiterint, qui omni virtutum genere in exemplum enituerunt atque ad aliorum lucra naviter incubuerunt.

Quorum in numero iure est recensenda et Venerabilis Benedicta Cambiagio Frassinello, nata Langasci (Ianuae) die 2 mensis Octobris anno 1791 et vita iuncta die 21 Martii anno 1858 apud Ronchum Scriviam in finibus eiusdem archidioecesis Ianuensis. Consilium secuta parentum, honesto nupsit iuveni Ioanni Baptistae Frassinello, qui simul, post biennium, uno consensu proposuerunt emisso castitatis voto, sese Deo omnino dicare. Inde factum est ut Famula Dei Institutum conderet puellis pauperibus ac derelictis congregandis foven-

disque sub nomine Sororum Benedictinarum a Providentia. Tempore autem progrediente huiusmodi Institutum in duos crescit ramos, alterum, cum sede apud Ronchum Scriviam, alterum cum propria sede apud Iriam, in finibus dioecesis Dertonensis; utrumque nunc sui iuris est.

Venerabilem autem Benedictam Cambiagio Frassinello heroicas coluisse virtutes théologales, nempe fidem, spem et caritatem tum in Deum tum in proximum, necnon cardinales, videlicet prudentiam, iustitiam, temperantiam et fortitudinem ceterasque earum comites et socias, Ioannes Paulus Papa II die 6 Iulii anno 1985 sollemni Decreto edixit.

Porro, Ecclesia eam sanctitatem dicit altarium honoribus dignam, quae non solum virtutum omnium exercitatione in gradu heroico comprobatur, sed cui Deus ipse, veluti externum sigillum ab ipsa divina manu impressum, miraculorum addat splendorem. Cum autem Deus supernis signis et favoribus Venerabilis huius sanctitatem aperte ostendere et commendare videretur, actio fuit instituta apud Congregationem pro Causis Sanctorum super mira quadam sanatione, quae eadem Venerabili intercedente divinitus patrata dicebatur, ut eadem Beatorum caelitum honoribus condecoretur. Constanter enim Fundatrix suas spirituales adhortabatur filias : « Orate, orate, nam ab oratione omne venit bonum ; nolite fiere, etenim ex caelo auxilio vobis subveniam ». Et quod promisit, complevit ; namque eius apud Deum intercessione, multae fuerunt a fidelibus receptae gratiae et favores, nisi forte miracula.

Ex variis eiusmodi divinis favoribus, nondum unius anni interiecta mora, ex quo Decretum de heroicis Famulae Dei virtutibus editum est, sollertes actuosique Causae actores prodigium selegerunt Sedique Apostolicae proposuerunt ad cognoscendum utrum revera de miraculo ageretur, quo sanctitas illustris huius mulieris divino testimonio confirmaretur.

Agitur de mira sanatione Carolae Garlaschelli, puellae quartum fere agenti aetatis suae annum, domicilium habentis in parvo pago vulgo appellato *Aïbuzzano* in Ticinensi territorio sito. Attenta infausta quoad vitam a medicis edita prognosi atque omni spe recuperandae salutis humanis subsidiis deiecta, puellae parentes Venerabilis Benedictae opem caelestem enixe invocaverunt; et ecce, post sex hebdomadas, puella ex improviso perfecte convaluit a meningoencephalitide typhosa, remotis omnibus aegritudinis symptomatibus.

Cum praeter naturae vires et leges eiusmodi sanatio contigisse diceretur, processus canonicus est adornatus anno 1985 apud Curiam episcopalem Ticinensem, cuius iuridica vis et auctoritas agnita est ab Apostolica Sede per Decretum diei 17 Ianuarii anno 1986.

Praehabitis deinde duobus Peritorum ex officio votis, coadunatum est die 10 Iulii eodem anno 1986 Consilium Medicum Congregationis pro Causis Sanctorum, quod sententiam edidit de praedicta sanatione, uti scientifice inexplicabili. Denique quaestio subiecta est iudicio consultorum theologorum in Congressu Peculiari, moderante Rev.mo D.no Antonio Petti, Fidei Promotore Generali, die 7 Novembris a. 1986; et tandem, die 23 Decembris eiusdem anni, in Ordinaria Congregatione Patrum Cardinalium et Episcoporum, ponente seu relatore Em.mo Cardinali Mario Ciappi, dubium positum est : *An constet de miraculo, in casu et ad effectum de quo agitur.* Porro, in utroque Coetu responsum est datum agi de mira sanatione divinitus patrata per intercessionem Venerabilis Benedictae Cambiagio Frassinello.

De praemissis autem omnibus certior factus per subscriptum Cardinalem Praefectum, Summus Pontifex Ioannes Paulus II suffragia Congregationis pro Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut super mira eadem sanatione Decretum rite appararetur.

Quod cum factum esset, accitis ad Se hodierna quidem die Cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente seu Relatore meque Antistite a Secretis ceterisque de more convocan dis, iisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit : *Constare de uno miraculo, intercedente Venerabili Serva Dei Benedicta Cambiagio Frassinello, a Deo patrato, scilicet de rapida, perfecta stabilique sanatione puellae Carolae Carlaschelli a meningoencephalitide typhosa.*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc Decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 3 mensis Ianuarii A. D. 1987.

PETRUS Card. PALAZZINI, *Praefectus*

L. *m* S.

© Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

VIII

NEAPOLITANA

Canonizationis Servae Dei Mariae Iosephinae a Iesu Crucifixo (in saeculo: losephinae Catanea), monialis professae Ordinis Carmelitarum Discalceatorum (1894-1948).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

« Iesus, sponsus hic cruci afiixus, sponsas suas vult cruci rerum huius mundi afiixas. Iesu Christi sponsae nihil aliud est exoptandum, nisi amor; non alia re est ei vivendum, nisi amore; nihil aliud quaerendum, nisi in amore progredi : continenter est ei amore flagrandum in choro, in cella, in cubiculo dormitorio, in horto et ubique; eius amoris ardor tantus esse debet, ut eius flammas non solum in monasterio, sed etiam foras effundat » (S. Alfonsus **M.** de Liguori, *Opere ascetiche*, vol. XIV, I, Romae anno 1935, pp. 72-73).

Haec cupivit et voluit etiam Serva Dei Maria Iosephina a Iesu Crucifixo, Carmelitis Discalceata, quae amoris et crucis alis subvecta celeriter ad culmen perfectionis pervenit; tamque Amati sui — Lucis verae quae illuminat omnem hominem (cf. *Io* 1, 9) — similis facta est, ut etiam in vita omnibus videretur lucerna super candelabrum posita (cf. *Mt* 5, 15), et flamma ignis ardens in monte (cf. *Ex* 3, 2-3). Suarum enim fulgore virtutum et peculiaribus charismatibus non solummodo monasterium suum suumque Ordinem illuminavit, verum etiam quotquot bona caelestia et animi pacem exquirebant. Ad eam praesertim Neapolitani, eius luce capti et allecti, quae clarissima manabat ex eius operibus, tormentis, verbis, tamquam mirus sanctitatis Dei repercussus, confugiebant.

Haec Christi fidelis (liscipula Neapoli nata est die 18 mensis Februarii anno 1894, a Francisco Catanea et Concepta Messina, qui ei in baptismo nomina indiderunt Iosephinam, Annam Mariam et Thomasiam. Domi didicit amare Dominum, deprecationem et proximum, pro quo, puellula, laeta de suis commodis detrahebat ut per omnia utilis esset.

Precox et ardens appetitio se intime cum Iesu coniungendi ad effectum est adducta mense Maio anno 1904, cum primum ad mensam Eucharisticam accessit; eodem mense eodemque anno sacramentum Confirmationis accepit.

Gratiae divinae obsequens, mox intellexit in terra omnia esse vanitatem (cf. *Qo* 1, 2), praeter cognoscere et amare Deum illique servire et sine intermissione coram eo vivere. Idcirco, post longum considerationis et exspectationis tempus, quo studia perfecit, die 9 mensis Maii anno 1914 ingressa est eam in orationis et recollectionis domum, unde Neapoli, in Montibus ad Pontes Rubros, exsurgere deinde debebat, opera sororis germanae Antoniolae (in religione, Sororis Mariae Teresiae), Monasterium Carmelitarum Discalceatarum a SS. Ioseph et Teresia.

Inde a primo die, cum gaudio et multa diligentia oboedivit Regulae Communitatis, paupertatem, laborem, detrimenta sororum religiosarum participavit; sed iter, quod alacriter inierat, mater interrupit, valetudini timens gracili et incertae filiae. Hinc impulsa est domum redire ; at eius cor erat in Carmelo, ad quem frequenter se conferebat inque semel intravit mense Martio anno 1918.

Exinde, usque ad mortem, potissimum appetiit ambulare in dilectione (cf. *Eph* 5, 2) et esse cum Christo cruci afiixa, ut unum cum eo efficeretur possetque dicere : « Vivo autem iam non ego, vivit vero in me Christus» *(Gal* 2, 20). Idque vere potuit quia, mirabiliter acceptae vocationi respondens, Deum amavit ex toto corde, ex tota mente et ex tota virtute sua (cf. *Me* 12, 30). « Volo Deum amare —• scripsit — iisdem eius Divini Spiritus ardoribus, ardenti eius Amoris unctione; eum amare usque eo, ut ei soli vivam idemque fiam cum eo : una voluntas, unum votum, unus spiritus ».

Ut hoc consequeretur, perfectam videlicet cum Domino coniunctionem, seipsam abnegavit, cotidie crucem suam sustulit et est ferventer Magistrum suum secuta (cf. Lc 9, 23).

Sine intermissione coram Deo erat, Sacras Litteras meditabatur, impense ex liturgia vivebat. Praecepta divina, Ecclesiae leges, Regulas quas susceperat quam optime observabat. Quamlibet oderat peccati speciem. Mente et voce assidue in precatione se exercebat ; flagranti cum fervore, diu et frequenter, Sanctissimam Eucharistiam adora bat : Mysterium Sanctissimae Trinitatis, Incarnationis Verbi, Passionem Domini nostri magna cum pietate colebat. Firma cum voluntate humilitatem, paupertatem, paenitentiam et castigationem adhi-

bebat. Virginem Mariam amabat et imitabatur, nitens testificari vita quae Ea dixit cum est ab angelo salutata : « Ecce ancilla Domini » (Loi, 38).

Cum amor non solum parem faciat, sed amantem rei vel personae amatae subiciat (cf. S. Ioannes a Cruce, *Subida del Monte Carmelo,* 1, 4, 3), ea nihil aliud volebat, nisi quod Sponso ratum erat : « Volo quod tu vis, et solummodo quod tu vis ». Et Deus, qui ad suam familiaritatem animas non admittit patiendi non amantes (cf. S. Teresa a Iesu, *Camino de perfección,* 18, 2), ab initio vitae claustralis eam cum Passione Iesu devinxit, ut adimpleret in carne sua ea, quae desunt passionum Christi pro corpore eius, quod est Ecclesia (cf. *Col* 1, 24). Hinc quinque annos (aa. 1918-1923) eam gravibus morbis et doloribus fatigavit, unde in suspenso est relicta inter vitam et mortem, veluti rami folium autumnale. ((Aquae multae non potuerunt exstinguere caritatem nec flumina obruent illam » *(Ct* 8, 7). Ita aegritudines et dolores nullam in cor Servae Dei vim habuerunt, quin etiam copiose ignem amoris aluerunt et studium auxerunt se devovendi; qua re non desistebat Amato suo supplicare : « Hoc tantum rogo te, ut te amem faciasque ut pro te in terra tantum patiar ».

Voluntas autem Dei fuit ut sanaretur (die 26 mensis Iunii anno 1923) deprecante Sancto Francisco Xaverio; sed, ipsamet rogante, non est liberata a doloribus corporis et animi et aliis molestis infirmitatibus, quae eam numquam solam reliquerunt, quaeque ea sua pretiosa monilia non recusanda existimavit.

Nuntius mirae sanationis omnes, ut par erat, in eam convertit : omnes illam videre volebant, illi loqui, suos significare moerores, postulare ut levaret manus ad caelum, sicut Moyses (cf. *Ex* 17, 11) gratias et benedictiones impetratura. Eam ob rem, superioribus mandantibus, magnam dierum et annorum insequentium partem in locutorio monasterii egit, in quod admittebat, ubi in christianis veritatibus erudiebat, consilia dabat et confirmabat eos, quibus opus erat peculiare signum bonitatis, sapientiae et misericordiae divinae accipere. Cum affabilitate, simplicitate, prudentia et patientia gaudebat cum gaudentibus, fiebat cum flentibus (cf. *Rom* 12, 15), lumen praeferebat eorum mentibus, qui in tenebris erant, lánguidos sustinebat, qui in peccatis erant excitabat, qui in via veritatis erant adhortabatur.

Impossibile dictu quot fuerint, qui eius auxilium tum ad animos tum ad corpora pertinens acceperunt : maerentes, pauperes, peccatores, francomurarii, milites, religiosi, sacerdotes, praelati, docti et ru-

des, credentes et non credentes, christiani et non christiani, iuvenes et senes. Poterat uti Sanctus Paulus dicere : « Cum liber essem, omnium me servum feci, ut plures lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum, ut aliquos utique facerem salvos» *(1 Cor* 9, 19. 22).

Qui eam adibant, saepe multas horas eam distinebant, supra modum illam fatigantes; sed aviditas adducendi homines ad Deum eam incendebat eiusque viribus fortior erat. Quo eius corpus, exile et infirmum, languidius erat, eo impensior et operosior cupiditas consolandi Cor Christi, fidem prolatandi et animis serviendi. In lassitudine et aegrimonia quietem suam inveniebat et in amaritudine laetitiam : non sine causa dicebat se nidum suum construxisse in arbore crucis. Ne nocte quidem desistebat animis esse utilis : pro eis deprecabatur, patiebatur, expiabat. Insuper preces et dolores pro sacerdotibus offerebat proque eorum ministerii fecunditate. Videbatur Sanctus Indiarum Apostolus, impetrata ei virium corporis recuperatione, indomito suo apostolico studio ita animum eius contagione affecisse, ut eam paratam redderet etiam ad mortem, dummodo peccatorum conversiones obtineret, conscientiarum tranquillitatem, disseminationem Evangelii, incrementum regni Dei toto terrarum orbe.

Apostolatum suum explicavit tamquam optatum caritatis martyrium et fecundissimam spiritalem maternitatem, temperans aerem silentii et solitudinis alléetationem cum impensa apostolica navitate. Et magnus quidem exitus fuit: namque tota contemplativa fuit et tota apostolica. Quod perfecte congruit cum doctrina Sanctae Teresiae a Iesu, quae vult filias suas apostolicas esse, paratas videlicet ad mille vitas impendendas, si tot haberent, modo ut una anima plus Dominum laudet assequantur (cf. S. Teresia a Iesu, *Moradas, Yl,* 6, 4).

Iisdem sensibus, eadem diligenti et sedula caritate Sorores sodales prosecuta est, quas tenere diligebat quibusque quantum poterat serviebat. Aderat eis praesertim benigna amicitia, precatione, consilio, exemplo humili et significanti virtutum suarum et accuratae votorum religiosorum observantiae. Eximie ad bonum Communitatis contulit, fovendo mutuam benevolentiam, patientiam in rebus adversis, oboedientiam superioribus.

Momenti oboedientiae testis fuit credibilis et certa. Scripsit : « Volumusne nostro divino Sponso placere? Vivamus ex oboedientia, nostris superioribus pareamus : sinamus nos nostra sancta Regula regi. Oremus, loquamur, laboremus, taceamus, cibum sumamus, deambulemus, stemus, colloquamur cum Deo, quando ipse id vult et per

nostram Regulam praecipit; quando ipse id nobis indicat per Antistitam. Oboedientia miracula facit, oboedientia sanctos format». Etsi male affecta, diffundebat circa se laetitiam, serenitatem, fiduciam Dei et ardentem rerum caelestium appetitionem. Efficaciter operam dedit obtinendae canonicae approbationi sui Car meli tamquam alterius Ordinis Carmelitani Discalceati (anno 1932), cum clausura papali et sub iurisdictione Archiepiscopi Neapolitani.

Post hunc eventum, qui necessario exegit graves novitates quoad vitam singularum religiosarum et totius Communitatis, vestem religiosam induit (die 30 mensis Maii anno 1933), nomine sibi sumpto Sorore Maria Iosephina a Iesu Crucifixo. Die 6 mensis Augusti eodem anno professionem sollemnem fecit in manibus Cardinalis Alexii Ascalesi, Archiepiscopi Neapolitani, qui eam magni aestimabat. Ab anno 1934 ad annum 1945 munere iuncta est Subpriorissae ; die 6 mensis Augusti, anno 1945 nominata est Vicaria ab eodem Cardinali, et die 29 mensis Septembris insequentis, quamvis ob infirmitatem nonnisi sella rotulis acta se moveret, rite est electa Priorissa. Nemo enim melius quam ea poterat recens monasterium in via verae spiritualitatis carmelitanae, in via rerum coelestium meditationis, amoris qui se devovet, sanctitatis, gubernare. Hoc quidem fecit summa cum moderatione, amabili fortitudine et spiritu vere materno ad mortem usque.

Sed iam in eo erat ut victima immolaretur. Sclerosis « a placche », quae dicitur, plena immobilitas et gangraena membrorum ultimae fuerunt margaritae, quas Sponsus imposuit in diadema Amatae suae. Solito risu haec magnifica dona excepit, felix esse vivens holocaustum. Eius cantus semper idem : « Quam pulchrum pro Iesu amore pati ; quam dulce amare patiendo, quam divinum Iesu Passioni se iungere ».

Peregrinatio ad metam pervenit. Alia insuper etiam erat eius precatio : « O Iesu, absorbe me in te, transfunde te in me, muta me in te et fac ut vivam solum ex te ». Alia denuo invocatio : « Mater mea, fiducia mea ». Dein frequenter dulce et sanctum Iesu nomen repetebat. Cardinalis Ascalesi, qui aliquot ante dies ab ea postulaverat ut etiam in vita maneret, ei benedixit et crucem porrexit, quam illa amanter deosculata est ; postea dixit : « Si te Deus vult, proficiscere, filia, liberam te dimitto: fac Dei voluntatem». Paulo post Serva Dei semel obviam Domino suo se dedit die 14 mensis Martii, vesperi, anno 1948.

Populus eam vivam « Monialem sanctam » appellabat. Quae opinio aucta est et evulgata singulari modo in eius morte. Deus ipse vo-

luit omnibus aperte significare religiosam illam fuisse sibi carissimam : multos dies enim eius corpus mortuum inexplicabiliter integrum mansit, intactum, inolens et flexibile. Incorrupta sepulta est die 27 mensis Martii, concinentibus campanis alleluia paschale.

Magnae famae sanctitatis ratione habita, die 27 mensis Decembris eodem anno Curia archiepiscopalis Neapolitana causam iniit canonizationis. Celebratum Processum Ordinarium Informativum (annis 1948-1952) secuta sunt Decreta super scriptis (anno 1964), super Causae Introductione (die 5 mensis Aprilis anno 1976) et super non cultu (anno 1976). Annis 1977-1980, apud eandem Curiam instructus est Processus Apostolicus, cuius vis et auctoritas probatae sunt die 18 mensis Martii anno 1982.

Faventi exitu Consultores Theologi, in Congressu Peculiari die 8 mensis Iulii anno 1986 acto, de virtutibus Servae Dei deliberaverunt.

Die 11 sequentis mensis Novembris, Patres Cardinales et Episcopi, in Congregatione Ordinaria, Ponente Causae Excellentissimo ac Reverendissimo Domino Ambrosio Marchioni, Archiepiscopo titulari Severianensi, professi sunt Servam Dei Mariam Iosephinam a Iesu Crucifixo heroum in modum virtutes théologales, cardinales et adnexas exercuisse.

Facta postmodum de hisce omnibus Summo Pontifici Ioanni Paulo II fideli relatione per subscriptum Cardinalem Praefectum, Sanctitas Sua vota Congregationis libenter excipiens mandavit ut super heroicis virtutibus eiusdem Servae Dei decretum rite appararetur.

Hodierno demum die, accitis cardinali Praefecto Congregationis pro Causis Sanctorum atque Exc.mo ac Rev.mo causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis, ceterisque de more convocandis, iisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit : *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis in gradu heroico Servae Dei Mariae Iosephinae a Iesu Crucifixo (in saec.: Iosephinae Catanea), monialis professae Ordinis Carmelitarum Discalceatorum, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem Decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referri praecepit.

Datum Romae, die 3 Ianuarii A. D. 1987.

PETRUS Card. PALAZZINI, *Praefectus*

L. © S .

© Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

IX

TAURINEN.

Canonizationis Servi Dei Philippi Rinaldi, Sacerdotis professi et Rectoris Maioris Societatis S. Francisci Salesii.

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

« Dedit (illi) Deus sapientiam et prudentiam multam nimis et latitudinem cordis quasi arenam quae est in litore maris » *(1 Reg* 5, 9). Rectissime haec verba dici possunt de Servo Dei Philippo Rinaldi, cui Deus rerum caelestium gustatum et experientiam abundanter concessit, raram in longo auctoritatis exercitio prudentiam et erga omnes inexhaustam bonitatem, paternitatis Dei participationem et signum.

Philippus Rinaldi natus est in loco vulgari sermone *Lu Monferrato* appellato, in finibus dioecesis Casalensis, die 28 mensis Maii anno 1856 ex agricolarum familia, firmis moribus christianis insigni, et quidem in loco qui, superiore saeculo copia vocationum ecclesiasticarum et religiosarum enituit.

Annum 1866 egit in Parvo Seminario vici communiter *Mirai) ello* vocati, ubi secunda fortuna usus est peccata sua confitendi sacerdoti S. Ioanni Bosco, qui experientia institutoria aut divino quodam instinctu intellexit in eo indubitatas facultates inesse ad vitam religiosam et sacerdotalem aptas. Sed Philippus, illo exacto anno, domum rediit et in agrorum laborem incubuit, pro sua condicione impensam vitam religiosam vivens.

Interea S. Ioannes Bosco eum curare perrexit consiliis, etiam atque etiam invitamentum iterans ut sacerdos fieret, adeo ut anno 1877 Philippus, plus viginti annos natus, omni conscientiae haesitatione superata, statuerit salesianus fieri. In ephebeo oppidi, cui nomen *Sampierdarena* (in provincia Genuensi) tribus annis egregie studia gymnasii ((classica », quae dicuntur, peregit ; anno 1879 Sancti Benigni Canapicii novitiatum confecit, quem est professio perpetua secuta in manibus ipsius Sancti fundatoris Societatis Salesianae, die 13 mensis

Augusti anno 1880. Paterne hoc sancto moderante, qui eius philosophiae et theologiae celere iter ipse observavit, se ad ordinationem sacerdotalem praeparavit, quam anno 1882 accepit.

Vix post annum sanctus Fundator, eum vocationibus adultis, quae dicuntur, praefecit, primum in oppido *Mathi*, deinde in urbe Augusta Taurinorum. Illi anni fuerunt vita spiritali et prosperis exercitationibus institutoriis inter iuvenes insignes, ipseque, cum Augustae Taurinorum moraretur, fortunatus fuit, quod saepius potuit et familiariter sermones cum S. Ioanne Bosco conferre, ei peccata sua confiteri et eius spiritu acriter imbui.

Anno 1889 beatus Michael Rua eum in Hispaniam misit ut rectorem domus in parva urbe *Sarria* sitae, tempestate sane difficillima. Prudentia Servi Dei omnes vicit difficultates, sibi is omnium aestimationem comparavit sicque numerum domorum salesianarum auxit, ut anno 1892 factus sit salesianarum domorum in península Hiberica Inspector, de quibus bene sperare licebat. Decem annos tali laboravit successu, ut opera et religiosi sodales multum increbuerint isque verus dici possit Congregationis salesianae in Hispania conditor.

Anno 1902 idem B. Michael Rua Augustam Taurinorum eum revocavit uti Vicarium Generalem, onere imposito disciplinae religiosae et administrationi generali prospiciendi. Exinde vigenti anni transierunt laboris immanis et difficilis, quo cotidie longas horas in sede manere obstringebatur, ut negotia expediret. Non tamen operis corporeis et ad administrationem pertinentibus se tenuit, et omni via usus est, ut sacerdotale ministerium exerceret. Singulis diebus peccatorum confessiones audiebat in Basilica Mariae Auxiliatricis et evasit conquisitus magister spiritus, praesertim pro vocationibus; praedicationi serviebat, simplici sed efficacissimae ; operam dedit, tamquam rector, Oratorio feminino Mariae Auxiliatricis in loco *Yaldocco*, quod cura sua, innumerabilibus religiosis, socialibus, ludicris inceptis, unam reddidit ex floridissimis Pedemontii religiosis sedibus.

Quidam eius temporis coeptus veram novitatis formam ostendunt : pro apostolatu librorum typis edendorum instituit et sustinuit Societatem Editricem Internationalem, quae una est ex maximis Italicis officinis librariis catholicis; toto orbe terrarum ordinavit eos, qui quondam alumni fuerunt Salesianorum et eas, quae quondam alumnae fuerunt Filiarum Mariae Auxiliatricis, antecedens hac re quodlibet aliud Institutum Religiosum ; Consociationem Cooperatorum provexit ; Sodalicium femininum constituit laicum (cui nunc nomen est « Voluntariae

domini Bosco », quodque plus mille sodales numerat), quae Institutorum Saecularium originem antevenit; primus Sodalitatem fovit magistrorum et professorum catholicorum; acroasibus paedagogicis, quas aliquot annos fecit in Studentatu Theologico salesiano, fuit verus disciplinae et naturae salesianae magister, modo et ratione, si non erudite et arte, doctrinam S. Ioannis Bosco colligendo ; scholis in Instituto Magistrali Mciensi explicatis, novo sensu quaestiones tractavit ad mulierem pertinentes; etsi multorum operum praecursoriorum suasor erat, officiis laicos obstrinxit, quorum campos observavit.

Anno 1922 creatus est Rector Maior; quo ultimo temporis spatio, Congregationis primus, clarius oculis omnium aperuit vitae suae spiritualis et apostolicae divitias. Proposuit imprimis religiosos formare, quos praecipue commonefecit laboris religiose acti secundum eiusdem S. Ioannis Bosco exemplum : hoc spectabant eius litterae passim dimissae; colloquia et epistularum commercium cum religiosis sodalibus; visitatio Communitatum; adhortationes ad meditandum Fundatorem et ad regulam servandam. Quo tempore is Rector fuit, Religiosorum numerus processit a 4788 ad 8836.

Alia provincia, quam praeoptavit, missiones fuerunt — pro quibus aedificandas curavit domus ad hoc ipsum institutas — ad quas apostolica cum audacia religiosos misit valde iuvenes, qui se in homines resque locorum insérèrent et linguam atque humanum civilemque cultum eorum discerent. Conatus missionalis, eo gubernante explicatus, initium fuit miri proventus vocationum et operum, unde Congregatio amplitudinem consecuta est pro Ecclesiae et orbis terrarum mensura.

Beatificatio Conditoris Bosco, quae anno 1929 cecidit, culmen fuit eius regiminis, hincque is occasionem est nactus et stimulum, ut religiosos sodales ad genuinum Fundatoris charisma revocaret.

Extremis annis, ob incommodam valetudinem, minuenda ei fuit vitae intentio, etsi semper quieta, sed etiam tum auctoritas quam habebat, quam maxime efficax fuit apud religiosos sodales et extra Congregationem. Est vita defunctus die 5 mensis Decembris anno 1931, sanctus existimatus.

Servus Dei Philippus Rinaldi eminuit vivus intima et consueta cum Dei coniunctione, tranquillitate animi et aequabilite omni turbulento terreno eventu maiore, spiritu humilis paternitatis, qui corda alliciebat fecitque eum S. Ioannis Bosco « imaginem viventem » ; sed fuit etiam vir activus, fautor indefatigatus operum iuvenilium et apostolicorum, apertus omnibus temporum necessitatibus, et singularis nova-

rum apostolatus christiani formarum antecursor. In hac congruentia constantis vitae interioris et apostolicae fidentiae posita est proprietas sanctitatis Servi Dei Philippi Rinaldi.

Sanctitatis fama Servi Dei post eiusdem obitum minime deferbuit, immo in dies magis percrebruit, eamque Deus caelestibus signis confirmare visus est. Quapropter Causa de Beatorum Caelitum honoribus eidem tribuendis agi coepta est. Itaque post processus auctoritate episcopali constructos apud Curiam Taurinensem (aa. 1947-1952) et per rogatoriam apud Curiam Barcinonensem (aa. 1949-1950), Causa introducta est penes Apostolicam Sedem per Decretum diei 11 Iunii anni 1977. Apostolicis deinde processibus absolutis in eadem Curia archiepiscopali Taurinensi, de virtutibus theologalibus et cardinalibus eiusdem Famuli Dei est disceptatum; primum quidem, die 14 Octobris a. 1986, in Congressu Peculiari Consultorum theologorum, moderante Rev.mo D.no Antonio Petti, Fidei Promotore Generali; deinde, die 23 Decembris a. 1986, in Congregatione Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, ponente Em.mo Cardinali Alfonso Stickler. In utroque autem Coetu cunctis suffragiis dubio num constaret de virtutum heroicitate affirmative responsum est.

Facta postmodum de hisce omnibus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis pro Causis Sanctorum libenter excipiens, ut Decretum super heroicis Servi Dei virtutibus appararetur praecepit.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierna die Cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis eiusdem Congregationis, ceterisque de more convocandis, iisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit : ***Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Philippi Rinaldi, in casu et ad effectum de quo agitur.***

Hoc autem Decretum rite promulgari et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 3 Ianuarii A. D. 1987.

PETRUS Card. PALAZZINI, ***Praefectus***

L. © S.

© Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, ***a Secretis***

X

VALENTINA

Canonizationis Servae Dei losephae Naval Girbés, virginis saecularis (1820-1893).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

« Omnis perfectionis divinus Magister et Exemplar, Dominus Iesus, sanctitatis vitae, cuius vitae Ipse et auctor et consummator exstat, omnibus et singulis discipulis suis cuiuscumque condicionis praedicavit : "Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester caelestis perfectus est" *(Mt* 5, 48) » (Conc. Oec. Vat. II, Constitutio dogmatica de Ecclesia *Lumen Gentium,* 40).

Quo hortamento omnes fideles cuiuscumque status vel ordinis ad plenitudinem vocantur vitae christianae, ad perfectionem caritatis, ad operam navandam propagationi regni Dei in terra ; « vocatio enim christiana, natura sua, vocatio quoque ad apostolatum est» *(Ib.,* Decretum de apostolatu Laicorum *Apostolicam Actuositatem,* **2)** ; hinc laicis, participibus factis muneris sacerdotalis, prophetici et regalis Domini Iesu, officium et ius est. Ecclesiae munus communicandi et ad eius augmentum conferendi « secundum mensuram donationis Christi » *(Eph* 4, 7).

Doctrina universalis vocationis ad sanctitatem et vocationis laicorum ad apostolatum mire est ad effectum deducta etiam a Serva Dei Iosepha Naval Girbés tum vita tum operibus; quae, simplex et humilis mulier, nec magna quaesivit, nec suis viribus maiora (cf. *Ps* 130, 1), sed fideliter, iucunde et assidue voluntatem Dei fecit in consuetis vitae condicionibus et in officiorum status sui exsecutione. Cum se ipsam et alios sanctos reddere vellet, egregie gratiae baptismatis et confirmationis satisfecit; talentis usa est a Deo acceptis; impigra et sedula fuit in sua communitate paroeciali ; impensum et fructuosum exercuit apostolatum, praesertim pro loci puellis, quas multimodis

et multos annos amorem docuit Dei et Ecclesiae et vias christianae perfectionis.

Serva Dei nata est a Francisco Naval et Iosepha Maria Girbés die 11 mensis Decembris anno 1820 in loco communiter *Almegesi* appellato, intra fines archidioecesis Valentinae, eodemque die baptismatis sacramentum accepit, nominibus sumptis Maria Iosepha. Pie a parentibus educata, a pueritia Deum et Virginem Mariam cognoscere et amare didicit. Die 10 mensis Novembris anno 1828 est ab Archiepiscopo Valentino chrismate confirmata; insequenti denique anno primum ad Eucharisticam mensam accessit et suum ardens impetravit optatum se arctius cum Iesu coniungendi.

Matre praemature orbata (anno 1833), in Virginis Mariae fidem se contulit, quam semper tenera filialique pietate coluit, eam cotidiana recitatione Eosarii aliisque religionibus venerans.

Quamvis iuvenilis esset aetatis acri ardore et matura conscientia multis suis familiaribus curandis se dedidit, exemploque omnibus fuit domesticorum laborum sedulitatis et alacris erga proximum caritatis; itafi domi abdita, silentio apostolatum exercitavit, adhortationem explicans S. Pauli : « Omne, quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Iesu gratias agentes Deo Patri per ipsum)) *(Gol* 3, 17).

Opinamur hoc non ei nimium difficile fuisse, cum eius anima, perfectionis studiosissima, sine ulla intermissione in salutaribus caritatis undis esset defixa, quam continenti alebat deprecatione, communione cotidiana, religione erga Christi Passionem, hilari erga Dei voluntatem obsequio.

Etsi erat humanae institutionis expers, non tamen scientia et prudentia carebat, quae exeunt ex ore Altissimi (cf. *Prv* 2, 6). Quare, in sana doctrina catholica bene fundata, vehementer ad caelestia tendebat, bona et gaudia terrestria, et quae ferme animos iuvenum accendunt, qui nec malignum vicerunt nec spem suam in Deo collocaverant, inania existimans. Fallacem gratiam et vanam pulchritudinem putabat (cf. *Prv* 31, 30) ; non desistebat, contra, cordis sui interiora exornare incorruptis pietatis monilibus, timore Domini, custodiae verbi divini, castigationis sui ipsius; quin immo, quo melius Deo placeret eique se dederet, die 4 mensis Decembris anno 1838 Iesum unicum sponsum elegit, cui in perpetuum suam virginitatem consecravit. Indiviso corde (cf. *1 Cor* 7, 32-34) in coniunctione cum Christo continenter

progressus fecit et omnibus viribus in suam sanctificationem incubuit et in Ecclesiae atque animarum ministerium, reapse ostendens virginitatem vere esse signum et stimulum caritatis, ac quendam peculiarem fontem spiritualis foecunditatis in mundo (cf. Conc. Oec. Vat. II, Constitutio dogmatica de Ecclesia *Lumen Gentium,* 42).

Quoniam paroeciae « quodammodo repraesentant Ecclesiam visibilem per orbem terrarum constitutam » (cf. *Ib.,* Constitutio de Sacra Liturgia *Sacrosanctum Concilium,* 42), Serva Dei paroeciam suam habuit tamquam Matrem in fide et in gratia et, uti talem, eam amavit eique servivit cum humilitate atque abstinenti voluntate. Quapropter sincera veneratione parochum prosequebatur, cui animam suam credidit regendam; supellectilis, sacrae confectioni, custodiae et munditiae consulebat et altarium curae; cotidie ecclesiam paroecialem frequentabat ut sacrificio eucharistico interesset; sed imprimis enituit ingenioso et fecundo apostolatu, quem semper exercuit concorditer cum suis pastoribus, in quos plenam observantiam et oboedientiam est professa.

Sibi persuasum habens christianos esse debere salem terrae et lucem mundi (cf. *Mt* 5, 13-14), non satis habuit intra domum virtutes exercere, sed voluit prorsus Domini exsequi mandatum, qui dixit : <(Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera et glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est » *(Mt* 5, 16) ; omnes enim quaerebat opportunitates ut verbo et operibus Christum nuntiaret, tum non credentibus, ut eos ad fidem adduceret, tum fidelibus, ut eos erudiret, confirmaret et ad vitam ageret ferventiorem (cf. Conc. Oec. Vat. II, Decretum de Apostolatu Laicorum *Apostolicam Actuositatem,* 6). Id spectans, puellulas christianam doctrinam docebat, aegros visitabat, pauperes adiuvabat, omnibus dabat consilia, qui eam adibant, pacem instaurabat in familiis dissentientibus; pro matribus in domo sua circulum instituit formationi christianae persequendae ; ad virtutem revocabat mulieres a recta via abductas; prudenter peccatores monebat. Opus autem in quod maximas conferebat curas viresque educatio humana et religiosa puellarum fuit; pro quibus in domo sua scholam aperuit gratuitam artis acu pingendi, cuius ipsa peritissima erat. Illa officina vestium promercalium, quam multae puellae omnis ordinis assidue et ardenter frequentabant, congressio fuit fraterni commercii, precationis, laudis Domini, auditionis et pervestigationis Sacrarum Litterarum et aeternar um veritatum. Ma-

terna humanitate Serva Dei fuit alumnis vera vitae magistra, exemplar ferventis Dei amoris, lampas illuminans et calefaciens. Manu eas elucebat in via sanctitatis, eas excitans, ut quam optime suum exsequerentur officium, per omnia gratiae Dei responderent, sine pigritia virtutes colerent, se voluntarie castigarent, Ecclesiam atque paroeciam diligerent et iuvarent. Exempla praebuit eis innumerabilia fidei vivae et diffusoriae, sedulae caritatis, laetae obtemperationis erga Domini et superiorum voluntatem, plenae salutis animarum curae, singularis prudentiae, constantis exercitii humilitatis, paupertatis, silentii, patientiae in rebus adversis et in difficultatibus. Omnibus notus erat fervor, quo vitam suam interiorem excolebat, precationem, meditationem, incommodorum acceptionem, pietatem erga Eucharistiam, Virginem Mariam, Sanctos.

Hac ratione Serva Dei efficaciter contulit ad incrementum religiosum suae paroeciae, optimas formando matres familias, ortui non paucarum vocationum ad vitam consecratam favendo, docendo omnes quid significet membra viva esse populi Dei.

Idcirco magnam sibi comparavit aestimationem et famam sanctitatis apud clerum et populum. Etiam post mortem, quae pie evenit die 24 mensis Februarii anno 1893, sui memoriam prodere perrexit ob vitae sanctitatem et opera; quare Curia archiepiscopalis Valentina eius canonizationis causam iniit celebratione Processus Ordinarii Informativi (annis 1950-1952), quem secutus est Processus Additicius (anno 1956). Anno 1957 editum est Decretum super scriptis et anno 1982 Decreta super introductione Causae et super non cultu; eodem anno vis et auctoritas agnita est horum Processuum.

In Congressu Peculiari, die 16 mensis Septembris, anno 1986, acto, felici cum exitu Consultores Theologi Servae Dei virtutes in quaestionem vocaverunt.

Patres Cardinales et Episcopi, Ponente Causae Em.mo Cardinali Mario Aloisio Ciappi, in Congregatione Ordinaria die 9 mensis Decembris anno 1986 habita, professi sunt Iosepham Naval Girbés heroum in modum virtutes théologales, cardinales et adnexas exercuisse.

Facta de hisce omnibus per subscriptum Cardinalem Praefectum Summo Pontifici Ioanni Paulo II accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis excipiens, mandavit ut super heroicis Servae Dei virtutibus decretum rite conscriberetur.

Quod cum esset factum, accitis hodierna die Cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a secretis

Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: ***Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis Servae Dei Iosephae Naval Girbés, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.***

Hoc autem Decretum in vulgus edi et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referri praecepit.

Datum Romae, die 3 Ianuarii A. D. 1987.

PETRUS Card. PALAZZINI, ***Praefectus***

L. © S.

© Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, ***a Secretis***

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Udienza:

Sabato, 7 Marzo 1987, S. E. il Maresciallo MOBUTU SESE SEKO, Presidente della Repubblica dello Zaire.

Sabato, 28 Marzo 1987, S. E. il Signor WASHINGTON BELTRAN, Ambasciatore straordinario di Uruguay in Missione speciale presso la Santa Sede.

Giovedì, 19 Marzo 1987, il Santo Padre si è recato in Apostolico pellegrinaggio a Civitavecchia, in Italia.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Breve Apostolico il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

7 marzo 1987. S. E. mons. Edoardo Kovida, Arcivescovo tit. di Taormina, Nunzio Apostolico in Svizzera, *Nunzio Apostolico nel Principato di Liechtenstein.*

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

5 marzo 1987. Mons. Piero Marini, *Membro del Comitato Centrale per VAnno Mariano.*

7 » » I sig.ri Alberico Novelli e Giuseppe Picca, *Capi Ufficio nell'Amministrazione del Patrimonio della Sede Apostolica.*

12 » » L'E.mo Signor Card. Friedrich Wetter, Arcivescovo di München und Freising, *Membro della Congregazione per VEducazione Cattolica.*

» » » I padri Louis Ligier, S. I. e Louis Vereeke, C. SS. B., *Consultori della Congregazione per la Dottrina della Fede a in aliud quinquennium».*

14 » » Il sac. Antonio Bianchin, elevato alla sede titolare vescovile di Vannida, *Assistente Ecclesiastico Generale dell'Azione Cattolica per U prossimo triennio.*

17 marzo 1987. Mons. Igino Bagni, Prelato Uditore del Tribunale della Bota Bomana, *Consultore della Congregazione per le Cause dei Santi.*

18 » S. E. mons. Maximino Bomero de Lema, Arcivescovo titolare di Oittanova, e P. Marino Maccarelli, dell'Ordine dei Servi di Maria, rispettivamente *Primo e Secondo Vice-Presidente della Pontificia Accademia dell'Immacolata.*

25 » S. E. mons. Fiorino Tagliaferri, Vescovo di Viterbo, *Membro Vescovo diocesano della Congregazione per il Clero.*

Assistente al Soglio:

18 dicembre 1986. S. E. mons. Maximino Bomero de Lema, Arciv. tit. di Oittanova.

Protonotari Apostolici soprannumerari:

15 ottobre 1985. Mons. Daniel S. Bichardson (Nashville).
19 novembre » Mons. John F. Sammon (Orange in California).
18 gennaio 1986. Mons. William I. V'arsanyi (Providence).
22 » » Mons. Baymond J. Page (Worcester).
4 settembre » Mons. Audomar Scheuermann (München und Freising).
19 » » Mons. Maurizio Galli (Milano).
» » » Mons. Angelo Manzoni (Milano).
8 gennaio 1987. Mons. Angelo Dolcini (Como).
10 febbraio » Mons. Vincenzo Begina (Trapani).

Prelati d'Onore di Sua Santità:

19 ottobre 1972. Mons. Lawrence B. Overbaugh (Harrisburg).
10 aprile 1979. Mons. Joseph G. Gotwalt (Harrisburg).
» » » Mons. Bobert C. Gribbin (Harrisburg).
» » » Mons. Mercurio A. Fragapane (Harrisburg).
» » » Mons. Francis J. Taylor (Harrisburg).
» » Mons. Hugh A. Overbaugh (Harrisburg).
» Mons. Thomas B. Brenner (Harrisburg).
22 settembre 1983. Mons. Francis J. MeCullough (Harrisburg).
» » » Mons. Vincent J. Smith (Harrisburg).
» Mons. Thomas J. Kujovsky (Harrisburg).
» Mons. Thomas H Smith (Harrisburg).
» » » Mons. Bichar A. Youtz (Harrisburg).
8 novembre 1985. Mons. Daniel M. O'Grady (Providence).
» » » Mons. Paul J. Higgenbottom (Fort Worth).
» » » Mons. Salvator B. Matano (Providence).
11 » » Mons. Francis Leonard Bradican (Arlington).
7 gennaio 1986. Mons. Thomas J. Klinzing (Greensburg).
» » » Mons. William G. Charnoki (Greensburg).
» » » Mons. Lino Bamellini (Greensburg).
» » » Mons. Nicholas A. Mitolo (Greensburg).

7	gennaio	1986.	Mons. Andrew A. Chúpela (Greensburg).
»	»	»	Mons. Aloysius L. Zwolinski (Greensburg).
14	»	»	Mons. Bernard Keating (Baker).
16	giugno		Mons. Karl Plafenbicher (Sankt Pölten).
»	»	»	Mons. Theodor Unzeitig (Sankt Pölten).
2	luglio	»	Mons. Anton Nenning (Feldkirch).
»		»	Mons. Albert Holenstein (Feldkirch).
25	»		Mons. Joseph Gowing Bataona (Larantuka).
26	»	»	Mons. Franz Calliari (Salzburg).
28	»	»	Mons. Leander D'Costa (Calcutta).
29	»	»	Mons. Heinrich Haug (Passau).
4	settembre	»	Mons. Heribert Schmitz (Trier).
»	»		Mons. Patrick Gallagher (Killala).
»		»	Mons. Gregory Albert Weaver (Sydney).
»	»	»	Mons. Giovanni Fabro (Trieste).
»	»	»	Mons. Gottfried Griesl (Salzburg).
»	»	»	Mons. John Francis Walsh (Sydney).
12	»		Mons. Francis Lyne (Sydney).
17		»	Mons. Kerry Anthony Bayada (Sydney).
18	»	»	Mons. Peter William Ingham (Sydney).
21	»	»	Mons. Francis George Correy (Sydney).
24	»	»	Mons. Alexander Maxwell Johnson (Sydney).
15	ottobre	»	Mons. Nikol Beinhardt (Mainz).
»	»	»	Mons. Josef Seuffert (Mainz).
18	»	»	Mons. José Bivera Martínez (Arequipa).
»	»	»	Mons. Vicente Bomano (Sorsogon).
21	»	»	Mons. Telesphorus Kayinamura (Kibungo).
28		»	Mons. Friedhelm Hammes (Trier).
6	novembre	»	Mons. Eafko Valencic (Köper).
8	»		Mons. Tomas Mac Aoidh (Clonfert).
11			Mons. Paul Louis (Alleppey).
15	»	»	Mons. Kelekolio Kaiiao (Tonga).
24	»	»	Mons. Mieczyslaw Józefczyk (Warmia).
2	dicembre	»	Mons. Mario Dionisio Mendoza (Santa Fe - Argentina)
5			Mons. Duilio Toni (Massa Marittima-Piombino).
»		»	Mons. Enrique Kuizon (Butuan).
22	»	»	Mons. Kazimierz Suder (Krakow).
»	»	»	Mons. Michele Scandiffio (Matera-Irsina).
5	gennaio	1987.	Mons. William F. Murphy (Boston).
12	»	»	Mons. Carlo Ferrerò (Casale Monferrato).
10	febbraio	»	Mons. Antonino Adragna (Trapani).
»	»	»	Mons. Gaspare Agnano (Trapani).
»	»	»	Mons. Ludovico Puma (Trapani).
»	»	»	Mons. Diego Taranto (Trapani).
»	»	»	Mons. Alberto Catalano (Trapani).

Cappellani di Sua Santità:

12	dicembre	1985.	Il sac. William M. Bichardson (Harrisburg).
»	»	»	Il sac. Francis M. Kumontis (Harrisburg).

22	maggio	1986.	Il	sac. Ismael B. Misólas (Masbate).
9	giugno	»	II	sac. Leonhard Eisner (Münster).
»	»	»	II	sac. Konrad Newrezella (Olomouc).
27	»	»	II	sac. Carlo Ministroni (Macerata-Tolentino-Becanati-Cingoli-Treia).
2	luglio	»	II	sac. Ferdinand Pfefferkorn (Feldkirch).
»	»	»	II	sac. Josef Lampert (Feldkirch).
»	»	»	II	sac. John Kink (Feldkirch).
4	settembre	»	II	sac. Budolf Sviben (Zagreb).
17		»	II	sac. Anton Scheible (Bottenburg-Stuttgart).
15	ottobre		II	sac. Ernst Kalb (Mainz).
»		»	II	sac. Franz Waldaff (Bottenburg-Stuttgart).
»	»		II	sac. Bernhard Krautter (Bottenburg-Stuttgart).
			II	sac. Werner Bedies Bottenburg-Stuttgart).
»	»	»	II	sac. Ante Cirimotic (Skopje-Prizren).
	»		II	sac. Damjan Kurti (Skopje-Prizren).
	»	»	II	sac. Nikola Duckié (Skopje-Prizren).
16	»		II	sac. Gaspare Caselli (Forlì-Bertinoro).
»		»	II	sac. Livio Lombardi (Folì-Bertinoro).
»	»	»	II	sac. Giuseppe Mariani (Forlì-Bertinoro).
18	»	»	II	sac. Angel María Guzmán (Arequipa).
21	»	»	II	sac. Vincent Hill (Pretoria).
6	novembre	»	II	sac. Vincenzo Pasetti (Fidenza).
13		»	II	sac. Jozko Beneditió (Köper).
»	»		II	sac. Salvatore Vitellaro (Palermo).
20	»		II	sac. Józef Matusik (Katowice).
5	dicembre		II	sac. Adamo Mercuri (San Benedetto del Tronto-Bipatransone-Montalto).
»	»	»	II	sac. Mariano Giannetti (San Benedetto del Tronto-Eipatransone-Montalto).
	»	»	II	sac. Urbano Simonetti (San Benedetto del Tronto-Bipatransone-Montalto).
	»	»	II	sac. Pierino Vallorani (San Benedetto del Tronto-Bipatransone-Montalto).
»	»		II	sac. Piergiorgio Brodoloni (Terni-Narni-Amelia).
9	»	»	II	sac. Elvio Scipioni (Camerino-San Severino Marche).
»		»	II	sac. Ezio Mosca (Camerino-San Severino Marche).
»	»	»	II	sac. Settimio Be (Camerino-San Severino Marche).
»		»	II	sac. Loris Carducci (Camerino-San Severino Marche).
»		»	II	sac. Carlo Porfiri (Camerino-San Severino Marche).
18		»	II	sac. Francesco Grammatico (Aversa).
»	»	»	II	sac. Bosario Grimaldi (Aversa).
	»	»	II	sac. Domenico Trappolieri (Aversa).
	»	»	II	sac. Vincenzo Farina (Aversa).
»	»	»	II	sac. Giuseppe Batto (Aversa).
»	»	»	II	sac. Andrea Mugione (Aversa).
22	»	»	II	sac. Janusz Bielanski (Krakow).
»	»	»	II	sac. Stanislaw Bylko (Krakow).
8	gennaio	1987.	II	sac. Edoardo Caturano (Benevento).

8 gennaio 1987. II sac. Vincenzo Petti (Benevento).
» » » II sac. Tommaso Boscarino (Benevento).
» » » II sac. Nicola Finelli (Benevento).
12 » » II sac. Alfredo Cardano (Novara).
29 » » II sac. Camille Perl (Luxembourg).
31 » » II sac. Gino Saretta (Treviso).
» » » II sac. Adriano Bernuzzi (Vigevano).
7 febbraio » II sac. Paul Bichard Gallagher (Liverpool)
10 » II sac. Sebastiano Garfì (Trapani).
» » » II sac. Nicolò Laudicina (Trapani).
» » » II sac. Angelo Mustazza (Trapani).
» » » II sac. Giuseppe Baineri (Trapani).
» » II sac. Bosario Boccia (Trapani).
» II sac. Andrea Scandariato (Trapani).

ONOBIFICENZE

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II **ha** conferito:

La Commenda con Placca dell'Ordine Piano:

20 novembre 1986. Al sig. André Mulliez (Lille).
13 dicembre » Al sig. Miguel Heiremans Etcheberry *(Cile).*

La Commenda dell'Ordine Piano:

26 luglio 1986. Al sig. Jean Kremers (Boermond).

La Commenda con Placca dell'Ordine di san Gregorio Magno, classe civile:

7 febbraio 1987. Al sig. Francesco Silvano (Torino).

La Commenda dell'Ordine di san Gregorio Magno, classe civile:

28 ottobre 1985. Al sig. Georg Pfligersdorffer (Salzburg).
» » » Al sig. Kurt Schmalzl (Salzburg).
» » » Al sig. Kurt Asamer (Salzburg).
29 gennaio 1986. Al sig. Carlos Dante Heredia (Santo Domingo).
23 maggio » Al sig. Gerbard Pfohl (München und Freising).
» » » Al sig. Jean Cherioux (Paris).
2 giugno » Al sig. Hubert Boos (Limburg).
28 luglio » Al sig. Johannes Cornelius Muchelmans (Bois-Le-Duc).
30 agosto » Al sig. Hendrik Jean Van de Poel (Botterdam).
17 settembre » Al sig. Sylvester J. Muidowney (Ferns).
» » » Al sig. Michael J. Harrington (Ferns).
24 » » Al sig. Wilhelm Polders (Münster).
» ottobre » Al sig. Beinhold Voth (Augsburg).
11 novembre » Al sig. Miguel Woites (Buenos Aires).
8 dicembre » Al sig. Natale Paziani (Boma).
13 » Al sig. Jean-Yves Berthault *(Francia).*

30	dicembre	1986.	Al sig. Elmar Bordfeld *(Repubblica Federale di Germania).*
»	»	»	Al sig. Eugenio Travaglini (Brindisi-Ostuni).
5	gennaio	1987.	Al sig. Maximilian Beiss (Limburg).
17		»	Al sig. Daniele Sipione (Udine).
29	»	»	Al sig. Giovanni Celoro Parascandolo (Sorrento-Castellammare di Stabia).
10	febbraio	»	Al sig. Antonio Cirino (Trapani).

II Cavalierato dell'Ordine di san Gregorio Magno, classe civile:

21	luglio	1986.	Al sig. Jean Schmitz (Botterdam).
28	»	»	Al sig. Iosephus Lambertus van Delft (Bois-Le-Duc).
»	»	»	Al sig. Waltherus Cantrijn (Breda).
»	»	»	Al sig. Lambertus Antonius Struik (Botterdam).
31	»	»	Al sig. James Vettorel (Peterborough).
15	ottobre	»	Al sig. Percy Gygax Coloma (Arequipa).
18	»	»	Al sig. Francisco Herrera (Arequipa).
»	»		Al sig. Michael Micheli Stafford (Arequipa).
»	»	»	Al sig. Budolf Degkwitz (Freiburg im Breisgau).
8	novembre	»	Al sig. Antonius Theodoras Heijmans (Bois-Le-Duc).
11	»		Al sig. Winfried Schroer (Essen).
25	»		Al sig. Nicolaus Theodor van Zui (Bois-Le-Duc).
2	dicembre	»	Al sig. Fabrizio Mancinelli (Borna).
»	»		Al sig. Marco Ferrazza (Borna),
	»	»	Al sig. Nazzareno Gabrielli (Boma).
»	»	»	Al sig. Pier Paolo Francini (Boma).
»	»	»	Al sig. Pier Carlo Cuscianna (Boma).
8	»	»	Al sig. Eugenio Santagá (Boma).
»	»	»	Al sig. Giovanni Morgia (Boma).
11	»	»	Al sig. Boberto Tempesta (Camerino-San Severino Marche).
»	»	»	Al sig. Serafino Dell'Avvocato (Camerino-San Severino Marche).
»	»	»	Al sig. Ugo Suoni (Camerino-San Severino Marche).
13	»	»	Al sig. Georges Bingard (Arras).
»	»	»	Al sig. Jacques Lamberthe (Bayeux).
»	»	»	Al sig. Jean de France de Tersant (Bayeux).
20	gennaio	1987.	Al sig. Albert Garrigues (Bordeaux).
27	»	»	Al sig. Georges Patacchini (Lille).

La Commenda dell'Ordine di san Silvestro Papa:

24	febbraio	1986.	Al sig. Bupert Enderle (Tokyo).
4	luglio	»	Al sig. Jzak Willem van Spiegel (Utrecht).
17	»	»	Al sig. Walter Brockers (Limburg).
26	»	»	Al sig. Francesco Barberi (Boma).
28	»	»	Al sig. Gisbertus Johannes de Win (Bois-Le-Duc).
29	settembre	»	Al sig. Giovenale Miglio (Fossano).
4	ottobre	»	Al sig. Aldo Augusto Bossi (Fossano).

4 ottobre 1986. Al sig. Herman Beichl (Linz).
6 » » Al sig. Luigi Valenzano (Roma).
10 » » Al sig. Lawrence A. Fleischman (New York).
11 » » Al sig. Giampiero Palazzi (Montepulciano-Chiusi-Pienza).
» » » Al sig. Giancarlo Landi (Montepulciano-Chiusi-Pienza).
18 » » Al sig. Darío Porcella (Arequipa).
24 » » Al sig. Agostino Poggialini (Siena-Colle Val D'Elsa-Montalcino).
» » » Al sig. Etienne Del Vaulx (Mechelen-Brussel).
8. Quae cum ita sint, hodiernum Ecclesiae magisterium plene et congruenter cohaerere pergit cum iis quae Sacra Scriptura et constans Traditio docent. Etiamsi mundus hodiernus ob multas rationes vere differat, nihilominus christiana communitas probe novit se cum aetatibus, quae ipsam « in signo fidei » praecesserunt, intimo ac numquam perituro vinculo colligari.

Hodie tamen magis magisque augescit eorum numerus qui, etiam intra Ecclesiae saepta, vehementissimis pressuris eam conantur adducere ad condicionem homosexualitatis admittendam quasi inordinata non sit, et ad actus homosexuales legitimos declarandos. Qui intra ambitum communitatis fidei in hanc partem premunt, saepe arcto ligamine coniunguntur cum iis qui extra illam operantur. At hi coetus, qui foris sunt, moventur cogitandi ratione quae repugnat cum veritate de persona humana, qualis per Christi mysterium plene revelata est. Ipsi, etsi modo non prorsus conscio, opiniones manifestant materialismi placitis infectas, quae transcendentem personae humanae naturam negant, omniumque ac singulorum hominum vocationem ad ordinem supernaturalem.

Ecclesiae administros operam dare opus est, ne personae homosexuales suis curis commissae in errorem inducantur per has opiniones magisterio Ecclesiae plane oppositas. Quidquid est, magnum instat periculum, ac multi sunt, qui conantur mentium perturbationem gignere circa Ecclesiae doctrinam, et hanc perturbationem ad suos fines convertere.

9. Etiam intra Ecclesiae ambitum quidam opinionum cursus ortus est, cuius fautores, varia appellatione et amplitudine in coetus coalescentes et impetum facientes, fiduciam sibi conciliare conantur quasi nomine omnium personarum homosexualium quae catholicae sunt agerent. At vero qui horum coetuum asseclae sunt, plerumque aut Ecclesiae doctrinam ignorant aut eam aliquo modo subvertere nituntur. Conatus fiunt ut sub catholicae religionis signo congregentur personae homosexuales, quae nullo modo mores suos homosexuales deserere volunt. Quocirca, una ex artibus adhibitis haec est, reclamandi scilicet quamlibet censuram vel exceptionem contra personas homosexuales, earumque actiones ac vivendi modum, nihil aliud esse nisi formam quamdam iniusti discriminis.

Hinc apud nonnullas Nationes vera molimina corrumpendi Ecclesiam habentur, patrocinio obtento sacrorum Pastorum, saepe bona fide dato, ut legum civilium normae mutentur. Huiusmodi actio eo spectat, ut haec legislatio accommodetur ad opiniones horum coetuum, qui contendunt homosexualitatem saltem rem esse prorsus innocuam, si non totaliter bonam. Quamvis praxis homosexualitatis in grave adducat discrimen vitam ac valetudinem ingentis hominum multitudinis, nihilominus fautores harum opinionum ab actione sua non recedunt ac renuunt periculi gravitatem considerare eidem insitam.

Ecclesia de hisce omnibus nequit sollicita non esse, ac propterea firmam retinet claram suam de hac re doctrinam, quae mutari non potest, etiamsi leges civiles aut saeculi mores adversus premant. Ipsa sincere sollicita est etiam de iis multis, qui non agnoscunt statum suum per motus pro homosexualibus expressum, itemque de iis qui inclinari possunt ad fidem praestandam subdolae horum errorum propagationi. Ipsa conscia est opinionem eorum, qui dictitant actionem homosexualem idem valere ac sexualem expressionem amoris coniugalis vel saltem aeque ac illum admitti posse, directe infringere ipsam notionem quam societas habet de natura ac iuribus familiaris convictus, eaque in grave adducere discrimen.

10. Firmiter deplorandum est personas homosexuales fuisse et adhuc esse obnoxias verbis malevolis ac violentiae. Huiusmodi agendi rationes, ubicumque eveniunt, postulant ut ab Ecclesiae Pastoribus damnentur, quippe quae ostendant defectum reverentiae erga alios; qui defectus fundamentalia principia laedit, quibus sanum civile consortium innititur. Dignitas propria cuiusvis personae humanae semper observanda est in verbis, et in actionibus et in legibus.

Attamen iusta repulsio iniustitiae actuum qui contra homosexuales positi sunt, nullo modo viam sternere potest ad asserendum condicionem homosexualitatis inordinatam non esse. Si autem fieri contingat ut haec assertio admittatur atque hac de causa commercium homosexuale habeatur bonum, vel leges inducantur ad tuendam talem agendi rationem ad quam nemo ius quodvis vindicare potest, tunc neque Ecclesia neque societas complexive sumpta causam mirandi habebunt, si aliae etiam opiniones aliique agendi modi aberrantes magis magisque invalescant et si mores rationi non consentanei ac violenti increbrescant.

11. Nonnulli opinantur propensionem homosexualem in quibusdam casibus non esse effectum optionis deliberatae, nec dari aliam optionem personae homosexuali, cum ipsa ad agendum modo homosexuali necessitate cogatur. Inde affirmant personam homosexualem in his casibus agere absque culpa, cum vere libera non sit.

Ad rem quod attinet, necessarium est recolere sapientem de moribus tralaticiam doctrinam Ecclesiae, qua monemur ne iudicium de singulis casibus ad casus universos, ad rem quod attinet, transferatur. Ac revera in aliquo determinato casu potuerunt quidem antehac esse et adhuc exstare possunt talia rerum adiuncta, quae culpabilitatem singularis hominis minuant, immo etiam tollant ; ex contrario alia adiuncta eam augere possunt. Utcumque res se habet, semper vitanda est praesumptio gratuita atque dehonestans, iuxta quam actiones homosexuales eorum qui homosexualitate laborant semper ac omnino coactioni obnoxiae sunt ac propterea culpa carent. Revera iis etiam, qui propensione homosexuali affecti sunt, fundamentalis illa libertas agnoscenda est quae personam humanam distinguit eique propriam tribuit dignitatem. Quemadmodum accidit quotiescumque habetur conversio a malo, vi huius libertatis nisus humani, lumine et robore gratiae Dei suffulti, efficere poterunt ut personae homosexuales valeant se ab actione homosexuali abstinere.

12. Quid igitur agere debet persona homosexualis quae Dominum sectari exoptet? Paucis verbis, hae personae vocantur ad perficiendam Dei voluntatem in vita sua, coniungendo omnes poenas ac difficultates, quas ob suam condicionem ipsis experiri contingat, cum sacrificio crucis Domini nostri. Pro christifidelibus crux est salutiferum sacrificium, cum ab illa morte vita ac redemptio proficiscantur. Quamvis omnis invitatio ad ferendam crucem vel ad intellegendum hoc modo christianorum dolorem apud quosdam praevisam irrisionem provocet, nihilominus obliviscendum non est hanc esse viam salutis quae universis Christi asseclis proponitur.

Ac revera nihil aliud docet Apostolus Paulus, cum in epistula ad Galatas affirmat Spiritum in fidelium vita gignere fructus, qui sunt : ((caritas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas... fides, modestia, continentia » ; atque ulterius : « Qui autem sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis » *(Gal* 5, 22. 24).

Haec autem invitatio in malam interpretationem facile detorqueri potest, si accipiatur veluti inanis conatus sui abnegandi. Crux est quidem abnegatio sui, sed hoc fit sese committendo voluntati Dei, qui ex morte vitam producit atque efficit, ut qui in Eo fiduciam suam reponant, virtutem, relicto vitio, colere valeant.

Mysterium Paschale tunc solum vere celebratur, cum sinitur ut cotidianae vitae contextum pervadat. Qui recusat propriae voluntatis abdicationem, ut oboedientiam praestet Domini voluntati, re vera saluti impedimentum apponit. Quemadmodum in Cruce fastigium attingit manifestatio amoris redemptivi Dei erga nos, ita viri ac mulieres homosexuales, si per sui abnegationem se ad Christi Domini sacrificium conformaverint, inde fontem invenient donationis sui, quae eos liberabit a vivendi genere secumferente iuge periculum ipsorum ruinae.

Personae homosexuales, haud secus ac ceteri christiani, vocantur ad vitam ducendam in castitate. Si assidue attendant ad intellegendam naturam doni vocationis quod Deus ipsis singulis largitus est, ii profecto apti évadent ad sacramentum Paenitentiae fidelius celebrandum, et ad gratiam Domini recipiendam inde largiter oblatam, ut se ad eius sequelam plenius convertere possint.

13. Ceterum patet claram atque efficacem doctrinae Ecclesiae transmissionem ad fideles universos et ad societatem generatim spectatam, magna ex parte pendere a recto ac fideli modo quo haec doctrina proponatur ab iis qui in pastorale ministerium incumbunt. In Episcopos

potissimum grave recidit onus curandi ut cooperatores in ministerio, sacerdotes in primis, recte instituantur ac singuli prompto sint animo ad integram Ecclesiae doctrinam universis exponendam.

Singularis sollicitudo ac bona voluntas, qua plures sacerdotes ac religiosi in sua cura pastorali personas homosexuales prosequuntur, admiranda sane est, atque haec Congregatio fore confidit, ut in posterum remissior ne evadat. Administri, zelo praestantes in hoc campo, persuasum habeant se fideliter obsequi voluntati Dei, cum personas homosexuales hortantur ad vitam caste ducendam, et inaestimabilem recolunt dignitatem ad quam Deus etiam ipsos evexit.

14. Quae supra sunt exposita considerans, haec Congregatio ab episcopis postulare exoptat, ut peculiarem vigilantiam adhibeant circa illa incepta, quae reapse contendunt vim in Ecclesiam facere, ut suam doctrinam mutet, quamvis verbis interdum ab ipsis res ita esse negetur. Diligens consideratio publicarum declarationum ab ipsis prolatarum necnon activitatum quas ipsi promovent, in luce ponit quaesitam ambiguitatem eo spectantem, ut Pastores ac fideles a recto tramite deflectant. Ut exemplum afferatur, iidem interdum Magisterii doctrinam quidem proponunt, sed solum tamquam fontem quem ad arbitrium adhibere liceat, cum agitur de conscientia efformanda. Magisterii peculiarem auctoritatem non agnoscunt. Nonnulli coetus eo procedunt, ut ((catholicas » appellent suas organizationes vel personas ad quas sese dirigere volunt, sed re vera neque defendunt neque promovent Magisterii doctrinam, immo eam quandoque aperte impugnant. Quamvis eorum sodales profiteantur se vitam suam conformare ad praecepta Iesu, re vera iidem deserunt magisterium Ecclesiae Ipsius. Haec agendi ratio secum repugnans nullo modo Episcoporum patrocinio perfrui potest.

15. Haec igitur Congregatio episcopos hortatur ut in sua cuiusque dioecesi, quod ad personas homosexuales attinet, actionem pastoralem promoveant, quae cum Ecclesiae magisterio plene cohaereat. Nullum authenticum pastoralis navitatis programma admittere poterit organizationes, quae constent ex personis homosexualibus inter se consociatis, nisi in ipsis clare sit statutum exercitium homosexualitatis esse contra regulam morum. Actio vere pastoralis prospicere etiam debebit, ut a personis homosexualibus proximae peccandi occasiones removeantur.

Commendanda sane sunt ea programmata in quibus huiusmodi pericula praecaventur. In luce tamen bene ponendum est quemlibet digressum ab Ecclesiae Magisterio vel de eo silentium, ex sollicitudine

curam pastoralem praestandi, nullo modo haberi posse ut formam authenticae sollertiae vel validae navitatis pastoralis. Solummodo id quod verum est, ad ultimum esse potest etiam pastorale. Si ad Ecclesiae magisterium non attenditur, impedimentum obicitur ne viri ac mulieres homosexuales eam curationem recipiant, qua indigent et ad quam recipiendam ius habent.

Pastorale programma veri nominis auxilium praebebit personis homosexualibus in omnibus gradibus ipsarum vitae spiritualis in praebendis sacramentis, ac nominatim frequenti ac sincera Confessione, itemque per precationem, vitae testimonium, consilium atque attentionem singulis praestitam. Hoc modo communitas christiana universa tandem agnoscere poterit vocari ad auxilium ferendum hisce suis fratribus ac sororibus, sive frustrationem sive solitudinem ab eis removendo.

16. Ex his pastoralibus inceptis, quae diversas suscipiunt formas, plura oriri possunt commoda, quorum non ultimum hoc est, quod in comperto habeatur personas homosexuales sicut ceteras omnes vehementer necessitatem experiri auxilium coniuncte accipiendi pro variis vitae suae condicionibus.

Persona humana, ad imaginem et similitudinem Dei creata, aeque definiri nequit, si unice ratio habeatur propensionis sexualis. Quilibet homo in hoc mundo vivens problematibus et difficultatibus quidem premitur quae ipsum tangunt, sed etiam spiritualis profectus opportunitates, vires, talenta ac dona ei suppetunt propria. Ecclesia offert illum vitae contextum, quo hodie homines quam maxime indigent pro humanae personae medela, ac tunc potissimum offert, cum renuit in persona unice considerare rationem « heterosexualem » vel « homosexualem », sed declarat quemlibet hominem prae se ferre fundamentalem identitatem, cum creatura sit et, per gratiam, Dei filius et vitae aeternae heres.

17. Haec Congregatio, tales explicationes et directorias pastorales normas episcopis praebens, exoptat eorum nisus adiuvare eo spectantes, ut Doctrina Domini eiusque Ecclesiae de hoc tam gravi argumento ad universos christifideles integre transmittatur.

Sub luce rerum quae supra sunt expositae Ordinarii locorum invitantur, intra ambitum competentiae suae, ad considerandam peculiarium interventuum necessitatem. Praeterea, si id opportunum videatur, iniri poterit amplior consociata actio ab Episcoporum Conferentiis variarum Nationum.

Peculiari modo cordi habeant Episcopi, ope mediorum quae ipsis praesto sunt, illas curae pastoralis formas promovere, quae pro personis homosexualibus conditae sunt. Id complecti poterit adiutricem operam scientiarum quae in re psychologica, sociologica et medica versantur semper fidelitate erga doctrinam Ecclesiae plene servata.

Potissimum Episcopi operam omnium theologorum catholicorum incitare ne omittant, qui veritates docentes, quas Ecclesia docet, suisque investigationibus altius scrutantes germanam significationem sexualitatis humanae christianique matrimonii secundum divinum consilium, necnon virtutes, quae ab eo exiguntur, validum auxilium praebere poterunt in peculiari hoc campo pastoralis navitatis.

Specialem deinde diligentiam Episcopi adhibere debent in seligendis ministris quibus hoc magnae gravitatis munus committatur, ita ut ipsi ob fidelitatem erga Magisterium atque ob praestantiam suae spiritualis ac psychologicae maturitatis, efficaci adiumento esse possint personis homosexualibus, ad bonum uniuscuiusque personae integre consequendum. Tales ministri opiniones theologicas respuent doctrinae Ecclesiae oppositas, quae proinde adhiberi nequeunt veluti normae directoriae in rei pastoralis provincia.

Praeterea opportunum erit, ut congrua institutionis catecheticae programmata apparentur, quorum fundamentum sit veritas de sexualitate humana spectata in suis relationibus cum familiari convictu, qualis ab Ecclesia proponitur. Haec enim programmata optimum suppeditant contextum, in cuius ambitu quaestio quoque de homosexualitate pertractari potest.

Huiusmodi catechetica institutio illis etiam familiis auxilium afferei, quae inter sua membra personas homosexuales complectuntur, ut problema, quod tam penitus eas angit, apte aggredi valeant.

Omne patrocinium removendum est a quibusvis organizationes quae magisterium Ecclesiae subvertere contendunt, vel quae erga illud ambigue se gerunt, aut illud prorsus neglegunt. Tale patrocinium, ac vel etiam eius adumbratio, graves male detortas interpretationes gignere potest. Peculiaris attentio adhibenda est, cum agitur de religiosis celebrationibus peragendis ac de aedificiis, quae ad Ecclesiam pertinent, in horum coetuum usum concedendis, scholarum sedibus et catholicis altiorum studiorum institutis non exceptis. Concessio huius facultatis utendi sedibus, quae ad Ecclesiam pertinent, cuipiam nonnisi actus iustitiae et caritatis videri poterit; at re vera id opponitur

finibus ipsis, ob quos haec instituta condita sunt, atque ambiguitatis ac pravi exempli causa esse potest.

In legum rogationibus aestimandis, quae forte fieri eveniant, in primis studium ponendum erit, ut familiaris vitae consortium defendatur ac promoveatur.

18. Dominus Iesus dixit : « Cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos » *(Io* 8, 32). Sacra Scriptura nos iubet veritatem facere in caritate (cf. *Eph* 4, 15).

Deus qui simul veritas et caritas est, advocat Ecclesiam ut ministerium suum exhibeat cuilibet viro, mulieri ac puero, pastorali sollicitudine, quae misericordis nostri Domini propria est. Hoc permota spiritu, Congregatio pro Doctrina Fidei has litteras ad vos dirigit, Episcopos Catholicae Ecclesiae universae, fore confisa, ut vobis adiumento sint in pastorali praestanda cura iis, quorum dolores fallacibus doctrinis solummodo ingravescunt, dum verbo veritatis leniri possunt.

Hanc Epistulam in Conventu ordinario huius Congregationis deliberatam, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, in Audientia infrascripto Cardinali Praefecto concessa, adprobavit et publici iuris fieri iussit.

Romae, ex Aedibus Congregationis pro Doctrina Fidei, die I° octobris 1986.

IOSEPHUS Card. RATZINGER, *Praefectus*

© Albertus Bovone, Archiep. tit. Caesarien. in Numidia, *Secretarius*

II

INSTRUCTIO

De libertate christiana et liberatione.

« Veritas nos liberat »

INTRODUCTIO

1. LIBERTATIS CONSCIENTIA et dignitatis humanae, una cum affirmatione iurium inalienabilium personae et populorum, recensetur inter notas maxime insignes nostrae aetatis. Libertas autem exigit condiciones ordinis oeconomici, socialis, politici et culturalis quae possibile reddant eius plenum exercitium. Ex viva perceptione difficultatum, quae impe-

diunt eius manifestationem, quaeque offendunt dignitatem humanam, originem sumunt vota vehementia ad liberationem, quibus mundus hodiernus laborat.

Ecclesia Christi sua facit haec vota, iudicans sub Evangelii lumine, quod suapte natura est libertatis et liberationis nuntius. Revera huiusmodi aspirationes, sive ad theoriam sive ad praxim quod attinet, nonnumquam quasdam secumferunt notas, quae non semper congruunt cum hominis veritate, qualis manifestatur sub lumine eius creationis et redemptionis. Ideoque Congregatio pro Doctrina Fidei necessarium duxit animos fidelium intentos facere « in errores vel pericula erroris, qui fidei tantopere nocent vitaeque christianae » -[1] Quae admonitiones, nedum sint obsoletae, in dies opportuniores et ad rem pertinentes videntur.

2. Instructio ((*Libertatis Nuntius » : De quibusdam rationibus « Theologiae Liberationis* » praenuntiabat Congregationem ulteriore documento esse illustraturam praecipua elementa doctrinae christianae de libertate et liberatione. Praesens Instructio eiusmodi intentioni respondet. Nam bina documenta organice conexa sunt, et alterum ideo legendum est sub alterius lumine.

De hoc argumento, in quo cardo vertitur nuntii evangelici, Ecclesiae Magisterium saepenumero sententiam suam aperuit,[2] ideoque praesens documentum tantum indicat potissimos adspectus *theorieos* et *practicos,* cum sit Ecclesiarum particularium, in communione inter se et cum Petri sede, eos ad effectum deducere et diversis locorum condicionibus directe accommodare.[3]

Quaestio de libertate et liberatione manifesto ostendit momentum oecumenicum. Reapse pertinet ad patrimonium traditionale Ecclesiarum

[1] Congr. pro Doctrina Fidei, *Instructio de quibusdam rationibus « Theologiae Liberationis» (Libertatis Nuntius),* Prooemium: *AAS* 76 (1984) 876-877.

[2] Cf. Conc. Oec. Vat. II, Const. Pastoralis *Gaudium et Spes* et Declar. *Dignitatis Humanae;* Litterae Encyclicae *Mater et Magistra, Pacem in Terris, Populorum Progressio, Redemptor Hominis* et *Laborem Exercens;* Exhortationes Apostolicae *Evangelii Nuntiandi* et *Reconciliatio et Paenitentia;* Epistula Apostolica *Octogésima Adveniens.* Ioannes Paulus II hoc thema tractavit in sua *Oratione habita initio Conferentiae de Puebla, AAS* 71 (1979) 187-205. Hoc argumentum aliis plurimis occasionibus resumpsit. Synodi Episcoporum annis 1971 et 1974 habitae hoc thema pariter tractaverunt. Conferentiae Episcopatus Latino-americani hoc argumentum in suis sessionibus consulto examinaverunt. Idem thema considerationem etiam admovit aliorum Episcopatuum, sicut v.g. Episcopatus gallici: *Libération des hommes et salut en Jésus-Christ,* 1975.

[3] Paulus VI, Epist. *Octogésima Adveniens,* nn. 1-4: *AAS* 63 (1971) 401-404.

nec non communitatum ecclesialium. Ita documentum praesens potest auxilium praebere omnibus Christi discipulis, qui, testimonio et opere, vocantur ad magnas provocationes nostrae aetatis solvendas.

3. Verbum Iesu : « Veritas liberabit vos » *(Io* 8, 32) illuminare et dirigere debet in hac provincia universam theologicam investigationem et cunctas Pastorum decisiones.

Haec veritas, a Deo procedens, centrum suum habet in Christo Iesu, mundi Salvatore.[4] Ab Ipso, qui est « Via, Veritas et Vita » *(Io* 14, 6). Ecclesia, accipiens quaecumque offert hominibus, in eiusdem Verbi Incarnati et mundi Redemptoris mysterio fundat cum veritatem suam de Patre et eius erga nos amore, tum veritatem de homine et eius libertate.

Per crucem et resurrectionem suam, Chrisus nostram redemptionem operatus est, quae sensu pienissimo est liberatio, cum ab ipsa maiorum radice nos liberavisset, scilicet a peccato et a potestate mortis. Ecclesia, dominica institutione formata, precem suam ad Patrem elevans : ((libera nos a malo », suppliciter orat ut mysterium salutis potenter operetur in nostra cotidiana exsistentia, cum ipsa noverit crucem redemptricem vere esse fontem luminis et vitae atque historiae centrum ; caritate enim, qua ardet, urgetur ad proclamandum Bonum Nuntium, fructusque vivificantes per Sacramenta elargiendos. A Christo redemptore oriuntur mens eius et opus, cum prae oculis habens çalamitates quae mundum lacérant, recogitat de significatione et viis liberationis veraeque libertatis.

Veritas ergo, imprimis veritas de redemptione, quae in medio fidei mysterio versatur, radix et regula libertatis est, fundamentum et mensura totius operis liberationis.

4. Dispositio ad plenitudinem veritatis necessaria est conscientiae morali hominis, qui eam et quaerere debet et paratus esse ad eandem suscipiendam, cum ei se ostenderit.

Iuxta mandatum Domini Iesu Christi,[5] evangelica veritas praedicari debet cunctis hominibus, et hi ius habent ut ea sibi proponatur. Eius annuntiatio, cum fiat virtute Spiritus Sancti, postulat plenani reverentiam uniuscuiusque libertatis et exclusionem coercitionis cuiusvis generis ac pressionis.[6]

[4] Cf. *Io* 4, 42; *1 Io* 4, 14.

[5] Cf. *Mt* 28, 18-20; *Me* 16, 15.

[6] Cf. Decl. *Dignitatis Humanae,* n. 10.

Spiritus Sanctus introducit Ecclesiam et discipulos Christi Iesu in « omnem veritatem » *(Io* 16, 13), vices temporum dirigit et « renovat faciem terrae » *(Ps* 104, 30), idemque adest in conscientiae maturatione quae magis magisque dignitatem personae humanae percipiat.[7] Ipse demum fons est magni animi, audaciae et heroicae fortitudinis : « Ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas» *(2 Go* 3, 17).

CAPUT I

DE LIBERTATIS CONDICIONE IN MUNDO HODIERNO

1. *Qui felices exitus quaeque pericula sint in coaevo processu liberationis*

5. Revelans homini ipsum personam liberam esse, vocatam ad communionem cum Deo, Iesu Christi Evangelium conscios homines reddidit amplitudinis, ignotae usque ad illud tempus, libertatis humanae.

Ita inquisitio libertatis et aspiratio ad liberationem, quae inter praecipua temporum signa sunt habenda, quae mundum hac nostra aetate connotant, originem suam primam ducunt ab hereditate Christianae religionis; quod quidem verum manet etiam si eaedem formas abnormes induant et visioni christianae hominis eiusque destinationis contradicant. Si prae oculis non habeatur haec relatio ad Evangelium, recentium saeculorum historia in Occidente intellegi non potest.

6. Iam ab aevi moderni primordiis, tempore quod Renascentiae dicitur, reditus ad Antiquitatem sive in campo philosophico sive in campo scientiarum de rerum natura, putabatur tribuere posse homini facultatem adipiscendi libertatem in cogitando et in agendo per legum naturalium cognitionem earumque humanae dominationi subiectionem.

Lutherus autem, proficiscens a lectione Epistulae Sancti Pauli sibi proponebat agere pro assequenda liberatione ab iugo legis, quod ipse penes Ecclesiam sui temporis inveniri arbitrabatur.

At praesertim tempore Illuminismi et Francogallicae Revolutionis appellatio ad libertatem facta est omnibus viribus. Ex eo tempore multi historiam futuram habent ut processum liberationis cui resisti non potest quique ad aevum conducet, in quo homines, tandem omnino liberi, perfrui poterunt beatitudine iam in hoc mundo.

[7] Cf. Paulus VI, Exhort, ap. *Evangelii Nuntiandi,* nn. 78-80: *AAS* 68 (1976) 70-75; Decl. *Dignitatis Humanae,* n. 3; Ioannes Paulus II, Litt. Encycl. *Redemptor Hominis,* n. 21: *AAS* 71 (1979) 278-281.

7. Hoc modo progressum intellegens, homo affectabat dominatum naturae, arbitrans servitutem, cui obnoxius erat, usque ad ea tempora, in ignorantia et in praeiudiciis inniti ; carpens autem naturae secreta putabat se posse in servitutem sibi redigere naturam ipsam. Hinc libertatis consecutio constituit finem assequendum progressu scientiarum et artis technicae. Conatus versus hunc finem ab homine patrati haud spernendos successus obtinuerunt, qui nimirum etsi non munierunt eum contra omnes naturae calamitates, complura tamen naturae pericula amoverunt. Consulitur enim crescentis in dies turbae hominum victui, itemque per opportunitates vectionum et commercii fit ut commode alimenta, materiae primae, operae, technicae facultates aliunde alio transferantur, ita ut vivendi ratio in dignitate et ab inopia liberata, possit prudenter cuique homini provideri.

8. Motus modernus liberationis propositum habuit politicum et sociale, cum nimirum statuisset finem ponere dominatui hominis super hominem aequalitatique favere et fraternitati omnium hominum. Negari non potest in hac provincia plura secundum habuisse eventum. Servitus et famulatus legalis aboliti sunt ; ius omnium ad culturam magnos progressus fecit. In pluribus regionibus lex aequalitatem sancit inter hominem et mulierem, nec non omnium civium participationem in exercenda politica potestate, eademque omnibus iura competere. Alienarum stirpium discrimen reicitur cum contradicat iuri et iustitiae. Descriptio iurium hominis vividiorem conscientiam dignitatis omnium hominum manifestat. Si prae oculis habeantur praeterita dominationis systemata, negari nequit libertatis et aequalitatis profectus in permultis societatibus habitos esse.

9. Demum et praesertim motui moderno liberationis propositum erat homini afferre interiorem libertatem seu libertatem opinionis et libertatem voluntatis, cum contenderet hominem liberare a superstitione avitisque timoribus, qui impedimenta habebantur eius progressui, et animum infundere audaciamque ad sua perfruendum mente sine timore etiam coram finibus ignotis. Ita, in scientiis potissimum historicis et humanis, quae dicuntur, nova comprehensio hominis est diffusa, quae adiuvet ipsum ad se melius intellegendum in omnibus quae ad personalem evolutionem pertinent vel ad fundamentales condiciones de communitatis institutione.

10. At vero, sive agitur de dominatu in naturam et de vita sociali et politica, sive de hominis dominatu in seipsum, in campo individuali et

collectivo, unusquisque cernere potest non tantum progressus ad effectum deductos longe abesse ut primis aspirationibus respondeant, sed etiam nova pericula, novas Servitutes novosque timores eodem tempore ortos esse, quo motus modernus liberationis in dies crescebat. Quod indicat graves ambiguitates de ipso sensu libertatis inde ab initiis huiusmodi processum infecisse.

11. Quo magis igitur homo se liberabat a periculis naturae, eo magis expertus est timorem crescere ante conspectum suum. Ars technica naturam magis in dies sibi subigendo, in periculum venit fundamenta destruendi futuri temporis nostri, ita ut homines praesentis aetatis inimici fiant futurorum generationum. Caeca virtute subactis naturae viribus, nonne in discrimine est posita futurorum hominum libertas? Quae vires protègent hominem a suae ipsius dominationis servitute? Opus est vi omnino nova libertatis et liberationis, quae postulat processum liberationis omnino renovatum.

12. Virtus liberatrix scientificae cognitionis ad effectum adducitur per magna artis technologicae inventa. Qui technicas possedit artes, potestatem habet in terras et homines. Inde inaequalitatis formae ortae sunt, ad hunc diem ignotae, inter scientiarum peritos et humiles arte technica utentes. Nova potentia technologica conectitur cum potentia oeconomica et impellit ad eiusdem collationem sub unius potestate. Hinc factum est, ut in sinu populorum et inter ipsos populos novae formae dependentiae inductae sint, quae his viginti annis causa novarum libertatis vindicationum fuerunt. Quomodo impediri potest, ne potentia technologica fiat oppressionis potentia contra hominum coetus vel integros populos?

13. In campo progressus socialis et politici, inter praecipuas ambiguitates de libertatis affirmatione tempore Illuminismi numeranda est notio subiecti huiusmodi libertatis, quod ut individua persona habetur sibi sufficiens finemque habens satisfaciendi suis commodis fruitione bonorum terrestrium. Ideologia individualistica in hac hominis notione innixa ita favit inaequali divitiarum partitioni initio aevi industrialis, ut opifices seclusi sint ab accessu ad bona essentialia quae producenda curaverunt ad quaeque ius habebant. Inde potentes motus liberationis ortum habuerunt ab inopia quae fovebatur a societate industriali.

Christianorum nonnulli, ex laicis et Pastoribus, non defuerunt qui contenderunt ut aequa ratione agnoscerentur iura legitima opificum, pro qua causa Ecclesiae Magisterium multifarie vocem suam extulit.

Saepius vero iustae quidem in se vindicationes quas opifices suis motibus proclamabant, novas induxerunt Servitutes, cum originem sumerent ab opinionibus quae ignorabant transcendentem vocationem personae humanae et homini finem mere terrestrem assignabant. Interdum etiam ille motus inclinavit ad collectivistica proposita, quae genitura erant iniustitias tam graves quam illae fuerant, quas voluit removere.

14. Aevum itaque nostrum systemata totalitaria exinde nasci formasque tyrannidis expertum est, quae numquam potuissent in actum deduci ante magnum progressum technologicum. Nam hinc perfectiora usque technica instrumenta ad genocidia est detorsa; hinc, terrendi ratione utendo, quae multorum innocentium est causa mortis, coetus numero minores conantur integris nationibus minari.

Hodie inspectionis instrumenta possunt intima etiam hominis violare; et ipsi modi dependendi qui a systematibus praevidentialibus inducti sunt, possunt in se continere pericula novae oppressionis. Quidam falsam liberationem a coactionibus societatis se consequi sperant ope stupefacentium medicamentorum, quae toto orbe terrarum multos iuvenes adducunt ad se ipsos destruendos et integras familias angore afficiunt et dolore.

15. Agnitio ordinis iuridici qui faveat relationibus, inter membra magnae populorum familiae in dies minuit. Ex hoc autem quod fiducia in iure posita non videtur iam sufficiens praesidium praebere, fit ut securitas et pax exquirantur mutuis minis idque periculum fit universo hominum generi. Vires, quae dilatandae libertati inservire debent, ad minas augendas vertuntur. Machinamenta mortis, quae hodie ad invicem opponuntur, omnino destruere possunt vitam hominum in terris.

16. Inter nationes magnis viribus instructas et eas quae illis sunt destituías inductae sunt novae rationes inaequalitatis et oppressionis. Studium sui commodi adipiscendi videtur norma esse relationum internationalium, nulla habita ratione boni communis generis humani.

Aequilibrium internum nationum pauperum est effractum armorum invectione quae conicit in eas causas disiunctionis, unde fit ut pars in partem dominetur. Quibus viribus vitari poterit continuus usus armorum suaque auctoritas iuri redintegrari?

17. In contextu huius inaequalitatis potentiae orti sunt motus emancipationis recentium nationum, quae fere omnes sunt nationes pauperes dominationi colonicae nuper adhuc subditae. At nimium saepe fit ut

populus qui independentiam enixis viribus adeptus erat, fraudetur a coetibus summa rerum potius vel a tyrannis, qui nulla officii conscientia ducti, impune hominum iura spernunt. Populus, in impotentiam ita adductus, nonnisi dominos mutavit.

Nihilominus id non impedit, quominus nostro hoc tempore inter facta maximi momenti, in ambitu integrorum continentium recenseatur conscientiae renovatio in populo, qui onere perantiquae inopiae gravatus, ad vitam tendit dignitate et iustitia praeditam, paratus etiam ad pugnandum pro sua libertate.

18. Quod attinet ad hodiernum motum interioris liberationis hominis fatendum est nisum liberandi mentem et voluntatem a suis finibus eo esse deductum, ut ipsa regula morum, qua talis, terminus sit rationis iniuria statutus et homini removendus, qui statuat sui iuris esse.

Quin etiam permultis visum est Deum ipsum esse alienationem specificam hominis, quasi inter asseverationem Dei et humanam libertatem plena intersit oppositio et homo fidem in Deum reiciens vere liber fiat.

19. In hoc ponenda est radix calamitatum quae nostri aevi historiam libertatis comitantur. Curnam in huius decursu historiae, quae magnis progressibus, ceterum semper fluxis, distinguitur, in alienam persaepe homines recidunt potestatem novasque Servitutes oriri animadvertunt? Cur liberationis motus, qui immensas exspectationes suscitaverant, convertuntur in regimina, quae civium libertati adversantur,[8] imprimis primariae religionis libertati,[9] quam ut praecipuum inimicum habent?

Homo studens se subtrahere legi morali seseque a Dei dependentia eximere nedum libertatem acquirat suam, destruit. Fugiens regulam veritatis, fit alieni arbitrii praeda; itaque inter homines, relationibus fraternis cessantibus, terrori, odio, timori, locus datur.

Cum inficiatur erroribus mortiferis circa hominis eiusque libertatis condicionem, vehemens motus hodiernus liberationis ambiguus manet, et continet simul promissiones verae libertatis et pericula letalium servitutum.

2. *De Ubertate in populi Dei experientia*

20. Ecclesia, apprime sciens in his omnibus mortiferam ambiguitatem contineri, per Magisterium suum magnam vocem extulit proximis

[8] Cf. Instr. *Libertatis Nuntius,* IX, 10: *AAS* 76 (1984) 905-906.

[9] Cf. Ioannes Paulus II, Litt. Encycl. *Redemptor Hominis,* n. 17: *AAS* 71 (1979) 296-297; *Declaratio 5" Colloquio Iurisperitorum,* 10 martii 1984: *L'Osservatore Romano,* 11 martii 1984, 8.

his saeculis, ut ab erroribus caveretur qui poterant impetum ad liberationem in amaras frustrationes deflectere. Saepe tamen fides ei non est illico habita ; at nunc post temporis intervallum fas est eius sapientiam aequo prosequi iudicio .

Sane vero tuenda veritas hominis, ad imaginem Dei creati, causa fuit cur Ecclesia hisce in rebus auctoritatem suam interposuerit.[10] Illam tamen passim incriminantur impedimento per se esse adipiscendae liberationi. Constitutionem hierarchicam eius aequali tati esse contrariam dictitant, eiusque Magisterium libertati opinionis oppositum.

Fatendum quidem est quosdam iudicii errores vel graves omissiones non defuisse apud christianos decursu temporum.[11] Sed hae obiectiones veram rerum naturam neglegunt. Nam diversitas charismatum, quae in servitium dantur, non opponitur in populo Dei aequali personarum dignitati earumque communi vocationi ad sanctitatem.

Libertas opinionis, quae quidem est condicio inquirendae veritatis qua late patent omnes scientiae humanae, minime significat licere humanae menti Revelationis lumen respuere cuius depositum Christus Ecclesiae concredidit. Cum divinae veritati reseratur, tunc mens creata expanditur et perficitur, quod est eminens libertatis forma. Ceterum Concilium Vaticanum Secundum legitimam autonomiam scientiarum plene agnovit,[12] sicut et actionis politicae.[13]

21. Inter errores praecipuos, quibus gravatus est, post Illuminismum, processus liberationis, numeranda est persuasio late diffusa progressus scientiarum, artis technicae et oeconomicae habendos esse fundamentum ad libertatem consequendam. Hinc verae libertatis alta significatio eiusque exigentiae plane ignorabantur.

Enimvero alta haec et grandia libertatis Ecclesia semper experta est, per vitam innumerorum fidelium, praesertim quidem humilium et pauperum. Fide ipsi noverunt se infinita caritate diligi a Deo, cum quisque dicere possit : « In fide vivo Filii Dei, qui dilexit me et tradidit seipsum pro me » *(Ga* 2, 20 b). Haec dignitas est, quam nulla humana potestas illis eripere valet ; hoc est liberationis gaudium quod in illis inest, cum noverint ad se pertinere etiam verba Iesu : « Iam non dico

[10] Cf. Instr. *Libertatis Nuntius,* XI, 5: *AAS* 76 (1984) 904; Ioannes Paulus II, *Oratio habita initio Conferentiae de Puebla: AAS* 71 (1979) 188-196.

[11] Cf. Const. past. *Gaudium et Spes,* n. 36.

[12] Cf. *ibid.*

[13] Cf. *loc. cit.,* n. 41..

vos servos, quia servus nescit quid facit dominus eius ; vos autem dixi amicos, quia omnia, quae audivi a Patre meo, nota feci vobis » *(Io* 15, 15).

Haec scientiae Dei participatio efficit ut ipsi emancipati sint adversus arrogantiam sapientium huius mundi, qui suum dominatum imponere volunt: ((Vos... scitis omnes... et non necesse habetis, ut aliquis doceat vos » *(1 Io* 2, 20. 27 b). Noverunt se participes esse maximae scientiae, ad quam omnes homines sunt vocati,[14] itemque se a Deo diligi ut ceteros et magis quam ceteros omnes. Ita vivunt in libertate, quae procedit a veritate et amore.

22. Etiam sensus fidei, quo pollet populus Dei, permotus pietate sua, spe referta, erga Crucem Iesu, percipit virtutem insitam in Christi Redemptoris mysterio. Ne spernantur ergo neve supprimantur formae religionis popularis, quae hanc pietatem ornant ; quin contra enitendum est ut purificentur earumque tota significatio et omnia consectaria altius introspiciantur.[15]

Res est haec magni momenti theologici et pastoralis, cum prorsus pauperes, a Deo prae ceteris amati, melius intellegant, velut instinctu quodam, liberationem absolutissimam, qualis est liberatio a peccato et a morte, esse liberationem, Christi morte et resurrectione peractam.

23. Virtus huius liberationis penetrat et immutat penitus hominem eiusque historiam quoad praesentem rerum statum, atque insimul studium ipsius vivificat erga bona eschatologica. Sensus liberationis primus et fundamentalis, qui ita patet, est sensus soteriologicus : homo liberatur a radicali servitute mali et peccati.

In hac salutis experientia homo genuinum libertatis suae sensum perspicit, quia liberatio est restitutio libertatis, et etiam institutio libertatis, educatio scilicet ad rectum usum libertatis. Ita aspectus soteriologicus liberationis in unum coalescit cum aspectu ethico.

24. Diverso gradu sensus fidei, in quo fundatur radicalis experientia liberationis et libertatis, culturam et mores christianorum populorum hactenus affecit.

Sed nostris temporibus, gravissimis exstantibus provocationibus quas genus humanum prospectare debet, modo prorsus novo, necesse est et urget, ut Dei dilectio et libertas in veritate et iustitia signent relationes inter homines et populos vitamque culturarum vivificent.

[14] Cf. *Mt* 11, 25; *Lc* 10, 21.

[15] Cf. Paulus VI, Exhort, ap. *Evangelii Nuntiandi,* n. 48: *AAS* 68 (1976) 37-38.

Etenim ubi desunt veritas et amor, processus liberationis ducit ad mortem libertatis, cui nullum futurum firmamentum erit.

Nova condicio novaquae aetas libertatis coram nobis iam sunt. At vires libératrices quae insunt scientiae, arti technicae, labori, oeconomiae et actioni politicae nullum fructum afferent, nisi spiritum et regulam sumpserint a veritate et amore, qui magis valent quam dolor, ut Dominus Iesus Christus hominibus revelavit.

CAPUT II

DE VOCATIONE HOMINIS AD LIBERTATEM ET PECCATI CALAMITATE

1. *Primae explorationes de libertate*

25. Inquirenti quid sit « liberum esse » ultro responderi potest : liber est qui facere potest quidquid vult, sine impedimentis externae coercitionis, ideoque in plena sua potestate est. Libertatis contraria ergo est dependentia nostrae voluntatis ab aliena voluntate.

Attamen scitne homo semper quid velit? Potestne facere omnia quae vult? Seipsum solum spectare et ab aliena voluntate seiungi estne secundum naturam hominis? Saepe subitanea voluntas non est vera voluntas, et in eodem homine secum pugnantes voluntates esse possunt. Sed praesertim homo limitibus suae ipsius naturae illidit; nam vult plus quam potest. Ita impedimentum quod eius obstat voluntati, non semper ab extra procedit, sed a sui ipsius limitibus. Qua re ei est discendum voluntatem suam naturae suae accommodare, nisi velit seipsum perdere.

26. Insuper omnis homo ad ceteros homines ordinatur, eorumque societate ipsi opus est.

Solum discendo componere suam cum aliorum voluntatibus propter verum bonum, ipse rectae voluntatis tirocinium faciet. Voluntas ergo reapse humana est, cum congruit cum exigentiis humanae naturae. Namque humana voluntas requirit normam veritatis et iustam relationem ad aliorum voluntatem. Hoc modo veritas et iustitia mensura sunt verae libertatis. Ab huiusmodi fundamento discedens, homo, dum se perperam Deum esse tenet, fit mendax, et se ipsum, nedum perficiat, destruit.

Tantum autem abest, ut libertas plena autarchia sui ipsius et sine

mutuis relationibus perficiatur, ut eadem vere non existat, nisi ubi homines mutuis vinculis coniungantur, quae in veritate et iustitia regantur. Sed ut huiusmodi vincula esse possint, necesse est ut singulus quisque in veritate sit constitutus.

Libertas non est libera voluntas quidlibet faciendi, sed libertas est propter Bonum ; in quo uno inest felicitas. Bonum igitur est eius finis. Inde sequitur, ut tantum homo fiat liber quantum accedat ad veri intellegentiam, et haec intellegentia, non aliae cuiuscumque generis vires, voluntatem eius regat. Liberatio ad veritatis cognitionem spectans, quae sola voluntatem dirigat, condicio est necessaria libertatis, huius nominis dignae.

2. *De Ubertate et liberatione*

27. Aliis verbis, libertas quae domina est interior actuum suorum et, ut dicitur, autodeterminatio, secumfert suapte natura conexionem cum ordine ethico, cum suam genuinam significationem manifestet in bono morali eligendo. Apparet ergo ut liberatio a malo morali. Homo libere agens, ad summum bonum tendere debet per bona exigentiis suae naturae et divinae vocationi consentanea.

Libertatem suam exercens, homo de se ipso decernit, se ipsum perficit. Hoc sensu homo est *causa suipsius;* attamen talis est, quia et quatenus est creatura et imago Dei. Haec veritas de humana persona patefacit e contrario maximos errores earum doctrinarum, quae perperam putant libertatem hominis extollere vel eius « praxim historicam », ponentes eam ut principium absolutum sui ipsius et suae vicissitudinis.

Huiusmodi doctrinae atheismum produnt, vel ad atheismum sua ipsius natura vergunt, quo etiam indifferentismus et agnosticismus deliberatus inclinant. Revera imago Dei in homine fundat libertatem et dignitatem personae humanae.[16]

28. Hominem liberum creans, Deus imaginem et similitudinem suam in eo impressit.[17] Homo ergo Creatoris sui appellationem percipit in propensione et appetitione naturali ad Bonum, et magis etiam in Verbo Revelationis, quod perfecte in Christo prolatum est. In Ipso etiam revelatum est a Deo liberum hominem factum esse, ut posset, per gratiam, inire amicitiam cum Eo Eiusque vitam participare.

[16] Cf. Instr. *Libertatis Nuntius,* VII, 9; VIII, 1-9: *AAS* 76 (1984) 892. 894-895.
[17] Cf. *On* 1, 26.

29. Homo originem suam non repetit ab actu proprio individuali vel collectivo, sed a dono Dei creatoris. Fidei nostrae haec est prima confessio, quae summas mentis humanae perceptiones confirmat.

Hominis libertas est participata libertas, cuius facultas perficiendi seipsam minime deletur per dependentiam a Deo.

Atheismi proprium est credere insanabilem oppositionem intercedere inter causalitatem divinae libertatis et humanae, ut si asseveratio Dei significaret hominis negationem, vel si eius interventus in historia inutiles redderet hominis conatus. Re vera, a Deo et propter sua vincula cum Deo humana libertas sensum et soliditatem suam sumit.

30. Homo decursu temporis evolvitur super fundamentum naturae, quam ipse a Deo accepit, libere ad effectum deducendo fines in quos eum inclinant feruntque cum eiusdem naturae, tum gratiae divinae propensiones.

At cum hominis libertas finita sit et errori obnoxia, eius appetitus in id, quod solum boni speciem prae se fert, potest verti : si vero falsum bonum homo eligit, vocationi suae libertatis ipse minime respondet. Homo per liberum arbitrium sui iuris est : at libere agens potest aut bonum aliquod efficere aut destruere.

Legi divinae oboediens quam in corde suo sculptam habet et tamquam Spiritus Sancti impulsum accepit, homo exercet verum dominium in semetipsum et regalem suam vocationem filii Dei adimplet. « Deum serviendo, regnat ».[18] Veri nominis libertas est « servitium iustitiae », cum contra transgressionis et mali electio « servitus sit peccati ».[19]

31. Ex libertatis notione clarius intellegitur quid contineat liberatio temporalis : scilicet agitur de summa processuum qui spectant ad procurandas et in tuto ponendas condiciones, quas exercitium verae libertatis humanae requirit.

Non ergo liberatio per se gignit libertatem hominis. Sensus communis, cui et christianus sensus consentit, scit libertatem, etiamsi condicionibus astrictam, non omnino tolli. Etiam homines gravissime coerciti valent suam libertatem declarare et ad sui liberationem procedere. Liberationis processus, qui peractus est, potest tantum inducere aptiores condiciones ad effectivum exercitium libertatis. Hac sane de causa liberatio, quae parvi faciat libertatem personalem eorum qui pro ipsa pugnent, suapte natura successu carebit.

[18] Cf. Ioannes Paulus II, Litt. Encycl. *Redemptor Hominis,* n. 21: *AAS* 71 (1979) 316.
[19] Cf. *Rm* 6, 6; 7, 23.

3. ***De Ubertate et humana societate***

32. Deus non fecit hominem « solum », sed voluit eum esse « socialem ».[20] Vita socialis non est ergo homini exterior, cum ipse neque crescere valeat neque vocationi suae respondere nisi coniunctus cum aliis. Particeps autem variarum communitatum cum sit, scilicet familiaris, professionalis, politicae, ipsis adhaerens exercere debet suam libertatem de qua respondere tenetur. Iustus ordo socialis necessarium auxilium praebet homini, ut ad effectum adducat suam liberam personalitatem ; e contrario, iniustus ordo socialis potest eius sortem in summum discrimen vocare.

In campo sociali, libertas exprimitur et ad effectum deducitur operibus, structuris et institutionibus, quibus homines inter se communicant vitamque suam communem ordinant. Ad plene evolvendam liberam personalitatem, quod quidem officium et ius est singuli cuiusque hominis, societas auxilio, non impedimento, esse debet. Hoc postulat ordo moralis, et hoc ipsum receptum est in tabulis « Iurium hominis ». Horum autem iurium nonnulla ad materias pertinent, quas condictum est vocare « libertates » ; totidem scilicet sunt modi, quibus unicuique homini agnoscitur nota personae quae suorum actuum domina est suique transcendentis destinationis, ac pariter agnoscitur inviolabilia conscientiae sanctitas.[21]

33. Aspectus socialis hominis aliud etiam secum fert : per solam pluralitatem et multiplicem diversitatem hominum exprimi quadamtenus posse infinitas divitias Dei.

Demum haec indoles socialis hominis suam perfectionem consequi debet in Christi corpore, quod est Ecclesia ; propterea vita socialis per suarum formarum varietatem et quatenus congruit cum lege divina, in mundo Dei gloriam repercutit.[22]

[20] Cf. *Gn* 2, 18.23: «Non est bonum esse hominem solum» ... «Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea » : in his verbis S. Scripturae, quae directe relationem inter virum et mulierem spectant, prospectus magis universalis agnosci potest. Cf. *Lv* 19, 18.

[21] Cf. Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in Terris,* nn. 5-15: *AAS* 55 (1963) 259-265; Ioannes Paulus II, *Epistula ad K. Waldheim, Consilii Nationum Unitarum (O.N.U.) virum a Secretis, XXX anno expleto a Declaratione Iurium Hominis: AAS* 71 (1979) 122; *Allocutio ad Nationum Unitarum Legatos,* n. 9: *AAS* 71 (1979) 1149.

[22] Cf. S. Augustinus, *Ad Macedonium,* II, 7-17 (PL 33, 669-673; *CSEL* 44, 437-447).

4. *De hominis libertate et naturae dominatione*

34. Homo, utpote natura corporea praeditus indiget bonis mundi materialis ad personalem et socialem perfectionem consequendam. In hac vocatione ad dominandum in terram et ad eam in servitium suum opere subiciendam, aspectum quendam imaginis Dei quis intueri potest.[23] At suo labore homo non « creat », sed invenit naturam materialem, quae, sicut homo, originem ex Deo creatore habet, et cuius « custos intellegens et nobilis » ipse constitutus est.[24]

35. Technicae et oeconomicae immutationes consectaria habent in vita sociali ordinanda, ac non possunt vitam culturalem immo et religiosam quodammodo non afficere.

Attamen per libertatem homo dominus manet operum suorum. Magnae et celeres immutationes aevi nostri anxium et difficillimum hoc opus homini faciendum attribuunt, ut videlicet sua mente suaque libertate moderetur et in sua potestate habeat vires, quas adhibet ad fines qui vere sint homine digni.

36. Est ergo libertatis, recte institutae, efficere ne scientifica et technica inventa, inquisitio de earum efficacia, fructus laboris et structurae ipsae oeconomicae et socialis organizationis subdantur propositis, quae eorum humanos fines irritos facerent et in damnum ipsius hominis redundarent.

Navitas scientifica et technica suas habet exigentias; neutra tamen sensum et valorem proprie humanum sumit, nisi principiis moralibus subiciatur. Huiusmodi exigentiis utique favendum est; attamen illis tribuere autonomiam absolutam et necessario cogentem, naturae rerum non congruentem, idem est ac viam ingredi, quae veram hominis libertatem in discrimen adducit.

5. *De peccato, fonte discordiae et oppressionis*

37. Deus vocat hominem ad libertatem et quisque homo vehementer vult liber esse. Nihilominus haec voluntas fere semper ad servitutem et oppressionem ducit. Omnes igitur nisus ad liberationem et ad libertatem consequendas putandum est aggredi debuisse hanc difficillimam ac prorsus abnormem rerum condicionem.

Hominis peccatum, scilicet alienatio a Deo, causa prima est cala-

[23] Cf. *Gn* 1, 27-28.

[24] Cf Ioannes Paulus II, Litt. Encycl. *Redemptor Hominis,* n. 15: *AAS* 71 (1979) 286.

mitatum, quae historiam libertatis notant. Ad hoc intellegendum complures homines nostrae aetatis ante omnia sensum peccati iterum concipere debent.

In appetitione libertatis, quam homo habet, latet incitamentum ad abdicandam suam naturam ; nam omnia velle et omnia posse cupiens, ac proinde se esse finitum et creatum oblitus, ipse sibi arrogat ut sit Deus : « Eritis sicut Deus » *(Gn* 3, 5). Verba haec serpentis patefaciunt naturam tentationis hominis, atque includunt perversionem sensus propriae libertatis. In hoc sita est intima natura peccati, quod homo subducit se a veritate, atque ei superponit voluntatem suam. Cupiens se liberare ex Deo, seque esse Deum, se decipit et se destruit, et se a se aliénât. Homo, Deum se esse et omnia suo nutu disponere cupiens, pervertit ipsius Dei notionem. Deus enim amor et veritas est in plenitudine mutui doni divinarum Personarum. Homo revera vocatur ut sit sicut Deus; attamen sicut Deus fit non in arbitrio beneplaciti sui, sed prout agnoscit veritatem et amorem principium et simul finem esse libertatis suae.

38. Homo cum peccat sibi ipsi mentitur et a sua veritate se seiungit ; item quaerens plenam autonomiam et autarchiam, negat Deum esse negatque seipsum. Alienatio enim a veritate suae ipsius personae, ut creaturae a Deo dilectae, radix est ceterarum alienationum. Negando vel conando negare Deum, Principium et Finem suum, homo penitus subvertit ordinem et aequilibrium cum sui ipsius tum societatis et ipsius visibilis mundi creati.[25]

Sacra Scriptura summam calamitatum hominem opprimentium qua individuum et qua membrum societatis, semper cum peccato coniungit. Eadem manifestat arcanum intercedere vinculum inter universum historiae cursum et agendi rationem hominis, qui inde ab origine male usus est libertate sua, contra Deum se extollens suosque fines persequens praeter Eum.[26] In asperitate laboris et incommodis maternitatis, in hominis dominatu in mulierem, denique in morte, Genesis Liber huius originalis peccati consectaria ostendit. Homines igitur, gratia divina destituti, communem hereditaverunt naturam mortalem, quae in bono stabilis esse nequit et in concupiscentiam inclinat.[27]

[25] Cf. Const. Past. *Gaudium et Spes,* n. 13, § 1.

[26] Cf. Ioannes Paulus II, Exhort. Apost. *Reconciliatio et Paenitentia,* n. 13: *AAS* 77 (1985) 208-211.

[27] Cf. *Gn* 3, 16-19; *Rm* 5, 12; 7, 14-24; Paulus VI, *Sollemnis Professio Fidei,* 30 iunii 1968, n. 16: *AAS* 60 (1968) 439.

39. Idolatria maxima est forma perturbationis ex peccato genitae. Cultus creaturae Dei viventis adorationi suffectus mutuas relationes inter homines vitiat variique generis oppressiones inducit.

Culpabilis ignorantia Dei cupidines excitat, conturbationes et contentiones in interiore homine generat. Exinde necessario oriuntur perturbationes etiam in re familiari et sociali, ut sunt sexualis licentia, iniustitia, homicidium. Ita Apostolus Paulus paganos homines describit idolatria adductos ad pessimos errores, qui individuam personam necnon societatem evertunt.[28] Iam antea Prophetae et Viri Sapientes Israel populi calamitates ut punitionem idolatriae peccati iudicabant, et « corda malitia plena » *(Qo* 9, 3)[29] ut fontem servitutis cui penitus subiacet homo, oppressionumque, quas ipse similibus suis imponit.

40. Apud Patres et Ecclesiae Doctores traditio christiana distincte explicavit hanc Sacrae Scripturae doctrinam de peccato. Ipsa affirmat peccatum esse *contemptum Dei.* Hoc autem secumfert nisum voluntatis reiciendi subiectionem servi erga Dominum suum, immo etiam filii erga Patrem. Nam peccando homo conatur se ex Deo expedire, re vera autem fit servus, quia Deum reiciendo, frangit impetum adspirationis suae ad infinitum, suaeque vocationis ad vitam divinam participandam; hinc cor ipsius inquietum est.

Peccator adhaerere Deo renuens necessario impellitur ad adhaerendum creaturae modo fallaci et destructivo ipsius creaturae. Huiusmodi autem *conversione ad creaturam* ipse suam non satiatam infiniti aviditatem collocat in ipsa creatura. Sed cum bona creata sint finita, cor eius vagum errat huc atque illuc, semper pacem inquirens, quam adipisci non potest.

Revera cum tribuit rebus creatis infinitum quoddam pondus, homo iam non sentit se esse creatum. Perperam conatur suum centrum suamque unitatem in se ipso invenire. Inordinatus amor sui est altera facies contemptus Dei. Inde fit, ut in se solo velit inniti, se per seipsum perficere sibique in se ipso conclusus sufficere.[30]

41. Haec omnia manifestius apparent cum peccator existimat se suam non posse libertatem affirmare, nisi explicite Deum esse negando ; nam creaturae dependentia a Creatore vel conscientiae moralis a lege

[28] Cf. ***Rm*** 1, 18-32.

[29] Cf. ***Ir*** 5, 23; 7, 24; 17, 9; 18, 12.

[30] Cf. S. Augustinus, ***De Civitate Dei,*** **XIV,** 28 ***(PL*** 41, 535; ***CSEL*** 40/2, 56-57; ***CCL*** 14/2, 451-452).

divina, Servitutes intolerabiles ipsi videntur. Atheismus ergo, iuxta eius sententiam est vera forma emancipationis et liberationis hominis, religio e contra, vel tantum confessio alicuius legis moralis, alienationes. Inde sequitur ut homo, quasi supremus iudex, bonum et malum decernere velit vel naturam valorum, itemque reiciat notionem et Dei et peccati. Per delicti temeritatem vult adultus et liber fieri, et hanc emancipationem non sibi solum vindicat, sed etiam universo hominum generi.

42. Centrum sui ipsius se factum assumens, homo peccator conatur excellentiam suam affirmare atque satisfacere desiderio infiniti, utendo rebus : scilicet divitiis, facultatibus, et voluptatibus quibus inhiat, minime curans de ceteris hominibus, quos iniuste praedatur et velut res et instrumenta adhibet. Itaque pro parte sua et ipse operam confert ad has creandas structuras iniqui quaestus et servitutis, quas ceterum accusare praesumit.

CAPUT III

DE LIBERATIONE ET LIBERTATE CHRISTIANA

43. Hominum historia, quae peccati experientia est signata, nos ad desperandum duceret, si Deus creaturam suam sibi ipsi dereliquisset. Sed divinae promissiones liberationis earumque victrix adimpletio per Christi mortem et resurrectionem fundamentum constituunt « beatae spei » a qua communitas christiana vim haurit ad firmiter et efficaciter agendum pro caritate et iustitia et pace. Evangelium est libertatis nuntius et liberationis vis[31] perficiens spem Israel, innixam verbo Prophetarum. Quam quidem spem actione sua Yahve fulciebat, qui in Abraham elegit Israel gratuito, priusquam interveniret ut « goél » ,[32] liberator, redemptor et salvator Populi sui.[33]

1. *De liberatione in Vetere Testamento*

44. In Vetere Testamento opus liberationis Yahvè, quod exemplar exstat et regula ceterarum est Exodus de Aegypto, ((de domo servi-

[31] Cf. Instr. *Libertatis Nuntius,* Prooemium: *AA8* 76 (1984) 876.

[32] Of. *Is* 41, 14: *Ir* 50, 34. « Goél » ; hoc verbum conceptum ligaminis familiaris inter liberatorem et liberatum implicat; cf. *Lv* 25, 25. 47-49 ; *Rt* 3, 12 ; 4, 1. « Padah » significat «sibi acquirere»; cf. *Ex* 13, 13; *Dt* 9, 26; 15, 15; *Ps* 130, 7-8.

[33] Cf. *On* 12, 1-3.

tutis ». Deus enim liberat Populum suum a dura servitute oeconomica, politica, culturali, ut acquirat sibi, Foedere in monte Sinai celebrato, «regnum sacerdotum et gentem sanctam» *(Ex* 19, 6). Ab hominibus liberis Deus vult adorari. Ceterae liberationes populi eo spectant, ut adducant eum ad hanc plenam libertatem, quam nonnisi in communione cum Deo ipse invenire potest.

Eventus igitur maximus et fundamentalis Exodi significationem habet religiosam simul ac politicam. Deus Populum suum liberat, cui progeniem, terram, legem donat, sed intra quoddam Foedus et propter quoddam Foedus. Nequit ergo dissociari per se aspectus politicus; qui quidem consideretur oportet sub luce religiosi illius Divini consilii, intra cuius ambitum continetur.[34]

45. In suo salutis consilio Deus legem suam dedit Israel, quae complectebatur una cum moralibus Decalogi praeceptis, normas ad cultum et vitam civilem spectantes, quibus ordinaretur vita Populi a Deo electi, et hic testimonium foret inter nationes.

In hac summa legum iam centrum est mandatum Deum diligendi super omnia[35] et proximum ut seipsum.[36] Sed iustitia, qua regendae sunt mutuae relationes inter homines et ius quod eius legalis expressio est, notae sunt maxime propriae contextus Legis Biblicae. Codices et Prophetarum praedicatio sicut et Psalmi ad utrumque, persaepe insimul, respiciunt.[37] In huiusmodi contextu aestimanda est cura legis biblicae erga- pauperes, inopes, viduam et pupillum, quibus iustitia debetur secundum ordinem iuridicum Populi Dei.[38] Darítur ergo imago et lineamenta societatis in Domini cultu collocatae quae consistit in iustitia et iure, vivificatis dilectione.

46. Prophetae nunquam destiterunt monere Israel de exigentiis Legis Foederis. Durum hominis cor incusant esse fontem transgressionum iteratarum novumque praedicant Pactum, in quo Deus mutabit corda, insculpens in his Legem Spiritus sui.[39] Annuntiantes et praeparantes novum aevum Prophetae denuntiant cum vigore iniustitiam contra pauperes patratam, pro quibus fiunt Dei interpretes. Yahve est summum

[34] Cf. Instr. *Libertatis Nuntius,* IV, 3: *AAS* 76 (1984) 882.

[35] Of. *Dt* 6, 5.

[36] Cf. *Lv* 19, 18.

[37] Cf. *Dt* 1, 16-17; 16, 18-20; *Ir* 22, 3-15; 23, 5; *Ps* 33, 5; 72, 1; 99, 4.

[38] Cf. *Ex* 22, 20-23; *Dt* 24, 10-22.

[39] Cf. *Ir* 31, 31-34; *Ee* 36, 25-27.

refugium pusillis ut eis qui quoquo modo opprimuntur, et Messiae proprium erit eos defendere.[40]

Pauperis condicio est iniustitiae status Foederi contrarius; ideo Foederis Lex protegit eum, praeceptis, quae agendi rationem ostendunt, qua Deus usus est, cum Israel liberavit ab Aegypti servitute.[41]

Iniustitia contra pusillos et pauperes grave est peccatum, quod frangit communionem cum Yahve.

47. Permoti omnibus formis paupertatis, iniustitiae, angoris, quas passi sunt « iusti » et « pauperes Yahve » élevant ad Deum Psalmorum supplicationes.[42] Iidem in corde suo dolent ob servitutem quam populus durae cervicis meruit propter peccata. Persecutionem patiuntur, martyrium et mortem, sed spem futurae liberationis fovent. Super omnia autem fiduciam suam in ipso Yahve ponunt, cui commendant causam suam.[43]

Pauperes Yahve noverunt communionem cum Ipso[44] bonum esse pretiosissimum, in quo vera invenitur libertas ;[45] huiusmodi communionis amissio eis est malum funestissimum. Hac de causa contentio eorum contra iniustitiam summam significationem et efficacitatem sumit ex voluntate se a peccati servitute liberandi.

48. In limine Novi Pacti, « pauperes Yahve » sunt primitiae populi « humilis et pauperis » qui vivit in spe redemptionis Israel.[46] Beata Maria Virgo, per quam haec spes quasi humanam induit formam Veteris Testamenti ultra limen progreditur. Ipsa annuntiat magno cum gaudio adventum Messiae, Dominumque laudat liberaturum Populum suum.[47] In laudis hymno erga divinam Misericordiam humilis Virgo, in quam sua sponte et fidentissime pauperum populus oculos convertit, salutis mysterium eiusque transformationis vim cantat. Sensus fidei, tam vivus in humilibus, statim agnoscit primo aspectu omnes divitias soteriologicas et simul ethicas cantici « Magnificat M .[48]

[40] Cf. *Is 11,* 1-5; *Ps* 72, 4. 12-14; Instr. *Libertatis Nuntius,* IV, 6: *AAS* 76 (1984) 883.

[41] Cf. *Ex* 23, 9; *Dt* 24, 17-22.

[42] Cf. *Ps* 25; 31; 35; 55; Instr. *Libertatis Nuntius,* IV, 5: *AAS* 76 (1984) 883.

[43] Cf. *Ir* 11, 20; 20, 12.

[44] Cf. *Ps* 73, 26-28.

[45] Cf. *Ps* 16; 62; 84.

[46] Cf. *Sph* 3, 12-20; cf. Instr. *Libertatis Nuntius,* IV, 5: *AAS* 76 (1984) 883.

[47] Cf. *Lc* 1, 46-55.

[48] Cf. Paulus VI, Exhort, ap. *Marialis Cultus,* n. 37: *AAS* 66 (1974) 148-149.

2. *De significatione christologica Veteris Testamenti*

49. At Exodus, Pactum, Lex, Prophetarum vox et spiritualitas « pauperum Yahve » nonnisi in Christo plenam suam significationem attingunt.

Ecclesia interpretatur Vetus Testamentum in lumine Christi, qui propter nos mortuus est et resurrexit. Propriam praefigurationem videt in Dei Populo Veteris Testamenti, qui formam suam concretam sumpsit in natione particulari, quae sua rei publicae forma suaque cultura constituta erat. Hic populus inclusus erat in contextu historiae, ut testimonium redderet Yahve in conspectu gentium, usquedum tempora praeparationum et figurarum complerentur. Quibus exactis, in Christo nimirum, filii Abraham et ipsi vocantur, ut in Christi Ecclesiam cum omnibus gentibus intrent ad unum Dei spiritualem et universalem populum una cum ipsis efficiendum.[49]

3. *De liberatione christiana*

50. Iesus praedicat Bonum Nuntium Regni Dei et vocat homines ad paenitentiam.[50] « Pauperes evangelizan tur » *(Mt* 11, 5) : Prophetae verbum resumens,[51] Iesus praesens ostendit opus suum messianicum pro hominibus Dei salutem exspectantibus.

Quinimmo Filius Dei, qui propter caritatem suam erga nos egenus est factus[52] vult agnosci in pauperibus, in hominibus laborantibus vel persecutionem patientibus :[53] « Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, Mihi fecistis » *(Mt* 25, 40)

51. At Christus, nos liberavit praeprimis virtute Paschalis Mysterii sui.[55] Per Crucis perfectam oboedientiam necnon Resurrectionis gloriam, Agnus Dei abstulit peccatum mundi et nobis viam definitivae liberationis aperuit. Non tantum famulatu et dilectione, sed etiam oblatione laborum et dolorum nostrorum, partem habemus cum uno Christi redimente sacrificio, adimplentes in nobis « ea quae desunt passionum Chri-

* Cf. *Ac* 2, 39; *Rm* 10, 12; 15, 7-12; *Eph* 2, 14-18.

[50] Cf. *Me* 1, 15.

[51] Cf. *Is* 61, 9.

[52] Cf. *2 Cor* 8, 9.

[33] Cf. *Mt* 25, 31-46; *Ac* 9, 4-5.

» Cf. Instr. *Libertatis Nuntius,* IV, 9: *AAS* 76 (1984) 884.

[55] Cf. Ioannes Paulus II, *Oratio habita initio Conferentiae de Puebla,* I, 5: *AAS* 71 (1979) 191.

sti... pro corpore eius, quod est Ecclesia» *(Gol* 1, 24), in spe resurrectionis mortuorum.

52. Tota libertatis christianae ratio consistit in iustificatione per fidei et Ecclesiae sacramentorum gratiam, quae nos et a peccato liberat et in communionem cum Deo introducit. Peccatorum remissio nobis offertur per Christi mortem et resurrectionem. Experientia nostrae reconciliationis cum Deo Patre est Spiritus Sancti fructus. Deus nobis revelat se ipsum ut misericordiae Patrem, ante cuius conspectum adstare possumus plena cum fiducia.

Reconciliati Deo,[56] illamque pacem Christi accipientes, quam mundus dare non potest,[57] monemur ut simus inter cunctos homines operatores pacis.[58] In Christo peccatum vincere possumus, neque iam seiungit nos a Deo mors, quae novissime destruetur in nostra resurrectione ad similitudinem resurrectionis Iesu.[59] <(Kosmos » ipse, cuius centrum et culmen est homo, exspectat liberationem « a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei » *(Rm* 8, 21). Iam nunc Satana devictus est; qui mortis potentia praeditus est, ad impotentiam est reductus, per Christi mortem.[60] Signa dantur, quae futuram gloriam anticipant.

53. Libertas a Christo in Spiritu Sancto allata, vim nobis restituit, quam peccatum abstulerat, Deum amandi super omnia et in communione manendi cum Eo.

Liberati sumus ab inordinato nostri amore, ex quo sequitur contemptus erga proximos nostros et iniquum in alios dominium.

Nihilominus usque ad reditum gloriosum Illius, qui a mortuis resurrexit, mysterium iniquitatis semper in mundo operatur, Sancto Paulo monente: Hac «libertate Christus nos liberavit» *(Gal* 5, 1).

Perseverandum igitur et certandum est, ne sub servitutis iugum redeamus. Existentia nostra pugna est spiritualis pro vita iuxta Evangelium, armatura Dei adhibita.[61] Sed accepimus virtutem certitudinemque victoriae nostrae contra malum, cum sit victoria amoris Christi, cui nihil resistit.[62]

[56] Cf. *Rm* 5, 10; *2 Cor* 5, 18-20.
[57] Cf. *Io* 14, 27.
[58] Cf. *Mt* 5, 9; *Rm* 12, 18; *Heb* 12, 14.
[59] Cf. *1 Cor* 15, 26.
[60] Cf. *Io* 12, 31; *Heb* 2, 14-15.
[61] Cf. *Eph* 6, 11-17.
[62] Cf. *Rm* 8, 37-39.

54. Sanctus Paulus donum Legis Novae Spiritus Sancti proclamat, repugnans legi carnis seu concupiscentiae, quae hominem ad malum inclinat et impedit, quominus bonum eligat.[63]

Huiusmodi autem incongruentia et interior infirmitas non tollunt homini libertatem et officium de suis actibus respondendi, sed horum tantum exercitium difficilius reddunt relate ad bonum, Apostolo testante : ((Non enim, quod volo bonum, facio, sed, quod nolo malum, hoc ago » *(Rm* 7, 19). Iure igitur ille loquitur de « servitute peccati » et ((captivitate legis », quia homini peccanti lex, quam sibi ipsi interiorem facere nequit, videtur gravis.

Attamen idem Apostolus confitetur Legem vim habere in hominem et christifidelem, quia « lex quidem sancta, et mandatum sanctum et iustum et bonum » *(Rm* 7, 12) ;[64] Decalogum confirmat, relationem eius instituens cum dilectione, quae est vera eius plenitudo ;[65] praeterea bene novit ordinem iuridicum necessarium esse ad vitam socialem promovendam.[66] Sed novum qtfod enuntiat, hoc est : Deus nobis Filium suum dedit « ut iustificatio Legis impleretur in nobis » *(Rm* 8, 4).

Ipse Dominus Iesus Legis Novae praecepta tulit in Sermone Montano ; sacrificio suo in cruce oblato et gloriosa resurrectione, vicit peccati potentias nobisque meruit gratiam Spiritus Sancti, quae idoneos nos facit ad perfecte oboediendum legi Dei,[67] necnon ad peccatorum remissionem consequendam, si in peccatum lapsi simus. Spiritus qui habitat in cordibus nostris est fons verae libertatis.

Christi sacrificio, praescripta cultualia Veteris Testamenti vim suam amiserunt, ceterisque iuridicis praeceptis de vita sociali et politica Israel, Ecclesia apostolica, utpote novum Regnum Dei in terris, conscia sibi fuit se non amplius alligari. Exinde christianae communitati innotuit leges et acta cuiuscumque populi potestatum, etsi legitima et digna sunt quibus oboediatur,[68] nunquam sibi notam sacram vindicare posse, quatenus quidem ab illis potestatibus procedunt. Sub Evangelii lumine, perplures leges et structurae signari videntur nota peccati, quod per illa pergit societatem opprimere.

» Cf. *Rm* 8, 2.
[64] Cf. *1 Tm* 1, 8.
[65] Cf. *Rm* 13, 8-10.
[66] Cf. *Rm* 13, 1-7.
[67] Cf. *Rm* 8, 2-4.
[68] Cf. *Rm* 13, 1.

4. *Mandatum novum*

55. Amor Dei, in cordibus nostris effusus a Spiritu Sancto, secum fert dilectionem erga proximum. Primum mandatum memorans, Iesus statim prosequitur : « Secundum autem simile est huic : Diliges proximum tuum, sicut teipsum. In his duobus mandatis universa lex pendet, et prophetae» *(Mt* 22, 39-40). Item Sanctus Paulus asserit plenitudinem legis esse dilectionem.[69]

Dilectio proximi limites non habet, cum ad inimicos et persecutores extendatur.

Perfectio vero, imaginem referens perfectionis Patris, ad quam discipulus tendere debet, consistit in misericordia.[70] Parabola Boni Samaritani demonstrat amorem misericordem, quo quis proximi servitio se devovit, praeiudicia destruere, quibus coetus ethnici vel sociales sibi invicem opponuntur.[71]

Omnes sane libri Novi Testamenti hanc inexhaustam ubertatem animi sensuum, quibus pollet caritas christiana erga proximum, testantur.[72]

56. Caritas christiana, gratuita et universalis, naturam suam accipit ex caritate Christi, qui animam suam posuit pro nobis : « Sicut dilexi vos... et vos diligatis invicem» *(Io* 13, 34-35).[73] Hoc est «mandatum novum » discipulis traditum. Sub lumine huius praecepti Sanctus Iacobus divites graviter hortatur ut officium suum impleant,[74] Sanctusque Ioannes monet possidentes substantiam huius mundi, et videntes fratrem suum in necessitate constitutum, claudentes autem viscera sua ab eo, caritatem Dei in se manentem habere non posse.[75]

Dilectio fratris obrussa est amoris Dei : « Qui enim non diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, non potest diligere » *(1 Io* 4, 20). Sanctus Paulus omnibus viribus inculcat nexum inter participationem Sacramenti Corporis et Sanguinis Christi, et communionem cum fratre indigenti.[76]

[69] Cf; *Rm* 13, 8-10; *Gal* 5, 13-14.

[70] Cf. *Mt* 5, 43-48; *Lc* 6, 27-38.

[71] Cf. *Lc* 10, 25-37.

[72] Cf. exempli gratia *1 Th* 2, 7-12; *Ph* 2, 1-4; *Gal* 2, 12-20; *1 Cor* 13, 4-7; *2 Io* 12; *3 Io* 14; *Io* 11, 1-5. 35-36; *Me* 6, 34; *Mt* 9, 36; 18, 21 s.

[73] Cf. *Io* 15, 12-13; *1 Io* 3, 16.

[74] Cf. *lc* 5, 14.

[75] Cf. *1 Io* 3, 17.

[76] Cf. *1 Cor* 11, 17-34; Instr. *Libertatis Nuntius,* IV, 11: *AAS* 76 (1984) 884. Ipse Sanctus Paulus collationem aliquam ordinavit «in pauperes sanctorum, qui sunt in Hierusalem » *(Rm* 15, 26).

57. Ex caritate evangelica et vocatione omnium hominum ut filii Dei fiant, manat directa et imperiosa exigentia singulum quemque hominem colendi quoad eius iura ad vitam et ad dignitatem.

Cum nulla distantia inter amorem proximi et voluntatem iustitiae intersit, opponere inter se amorem et iustitiam idem est ac has virtutes quodammodo adulterare. Immo, misericordiae sensus complet sensum iustitiae, eo quod impedit ne in ambitu vindictae concludatur.

Inaequalitates iniquae et cuiusque generis oppressiones, quae pluries centies centena milia virorum et mulierum afficiunt, palam contradicunt Evangelio Christi, iisque coram nullus christianus potest in sua conscientia tranquille quiescere.

Ecclesia, Spiritus Sancti impulsus dociliter sequens, fideliter procedit in viis authenticae liberationis. Eius autem membra sibi sunt conscia defectionum et cunctationum suarum in hoc opere peragendo. At multitudo ingens Christianorum, iam ab apostolicis temporibus, vires et vitam suam insumpserunt in liberando homine ab oppressione cuiusque generis et in promovenda humana dignitate.

Sanctorum experimenta et exempla tot operum peractorum in proximi utilitatem, stimulos nobis admovent et lucem suppeditant ad liberationis incepta suscipienda, quae nostra aetate maxime urgent.

5. *De Ecclesia Populo Dei Novi Testamenti*

58. Dei Populus Novi Foederis est Christi Ecclesia, cuius lex est amoris praeceptum; in corde membrorum eius Spiritus inhabitat ut in templo; ipsa est semen et initium Dei Regni in terris, quod consummabitur in fine temporum resurrectione mortuorum et renovatione universae creaturae.[77]

Arrabonem ergo Spiritus[78] possidens, Dei Populus ducitur ad plenitudinem libertatis. Nova Ierusalem quam ferventer exspectamus, iure appellatur civitas libera pienissimo sensu.[79] Tunc Deus « absterget omnem lacrimarti...; et mors ultra non erit, neque luctus neque clamor neque dolor erit ultra, quia prima abierunt» *(Ap* 21, 4). Spes est certa exspectatio caelorum novorum et terrae novae, « in quibus iustitia habitat» *(2 Pt* 3, 13).

59. Transfiguratio Ecclesiae, quae virtute resurrectionis Christi eveniet cum ad finem peregrinationis suae pervenerit, nullo modo tollet

[77] Cf. *Rm* 8, 11-21.
[78] Cf. *2 Cor* 1, 22.
[79] Cf. *Gal 4,* 26.

singulorum hominum personalem destinationem in fine vitae attingendam. Quisquis dignus inventus erit, ante tribunal Christi, quod Dei gratia recte libero arbitrio usus fuerit, beatitudinem accipiet[80] et similis Deo erit, quia videbit Eum sicuti est.[81] Donum divinum beatitudinis aeternae est maxima exaltatio libertatis, quae cogitari potest.

60. Haec spes non extenuat officium promovendi progressum terrenae civitatis sed contra sensum ei tribuit et virtutem. Certo expedit sedulo distinguere terrenum progressum a Regni Christi augmento, quae non sunt eiusdem ordinis. Haec distinctio tamen non est separatio, quia vocatio hominis ad vitam aeternam non extenuat sed potius excitat eius sollicitudinem operandi viribus et instrumentis a Creatore sibi datis ad vitam hanc temporalem excolendam.[82]

Illuminata a Domini Spiritu, Christi Ecclesia potest inter signa temporum agnoscere ea quae praenuntia sint liberationis, quaeque fallacia et vana. Vocat igitur hominem et societates ad tollendas condiciones peccati et iniustitiae et ad ponendas condiciones verae libertatis. Ipsa, enim, novit omnia haec bona, scilicet humanam dignitatem, vinculum fraternitatis, libertatem, quae sunt fructus industriae iuxta Dei mandatum, denuo inveniri « nudata tamen ab omni sorde, illuminata ac transfigurata, cum Christus Patri reddet regnum aeternum et universale », [83] quod est Regnum libertatis.

Vigilis et actuosa exspectatio adventus Regni est etiam exspectatio iustitiae demum perfectae pro vivis et mortuis, pro hominibus cuiuscumque temporis et loci, quam Christus Iesus, constitutus iudex Supremus, instaurabit.[84]

Talis promissio quae exsuperat universas hominis facultates, directe respicit vitam nostram in hoc mundo, cum vera iustitia debeat extendi ad omnes et responsum dare immensae summae dolorum qui omnes aggravant generationes. Revera sine resurrectione a mortuis ac Domini iudicio, non datur iustitia sensu pleno. Resurrectionis promissio gratuito obviam venit verae iustitiae desiderio, insito in corde hominis.

[80] Cf. / *Cor* 13, 12; *2 Cor* 5, 10.

[81] Cf. *1 Io* 3, 2.

[82] Cf. Const. past. *Gaudium et Spes,* n. 39, § 2.

[83] *Ibid.,* n. 39, § 3.

[84] Cf. *Mt* 24, 29-44. 46; *Ac* 10, 42; *2 Cor* 5, 10.

CAPUT IV

DE ECCLESIAE LIBERATRICI MISSIONE

61. Habet profecto Ecclesia firmam voluntatem respondendi inquietudini hominum nostrae aetatis, qui duris oppressionibus et sollicitudine libertatis laborant. Administratio politica et oeconomica societatis haud quidem pertinet directe ad eius missionem,[85] sed Dominus tradidit ei verbum veritatis, ad conscientias illuminandas aptum. Divinus amor, qui eius vita est, impellit eam ad solidarietatem cum omnibus hominibus in tribulatione positis. Si membra eius fidelia huic fuerint missioni, Spiritus Sanctus, libertatis fons, in eis habitabit et ipsi iustitiae et pacis afferent fructus in ambitu familiari, professionali et sociali.

1. *Pro integra mundi salute*

62. Evangelium est virtus vitae aeternae, quae iam nunc datur omnibus illud accipientibus.[86] Sed haec virtus homines novos[87] generando, penetrat communitatem humanam, eiusque historiam, ita purificans et vivificans eius navitates, ut exstet « radix culturae ».[88]

Beatitudines, quas Iesus proclamat, Evangelicae caritatis perfectionem exprimunt, easque, ut patet ex Ecclesiae historia, ingens baptizatorum multitudo et perfectiore ratione Sancti nunquam cessaverunt in vitae actionem deducere.

Beatitudines, inde a prima quae est de pauperibus,[89] constituunt summam, quae non debet seiungi a toto sermone Domini in monte.

Iesus, qui novus est Moyses, his Decalogum, Foederis Legem interpretatur, ei tribuens sensum definitivum et plenum.

Qui perlegit vel interpretatur Beatitudines in toto suo contextu, agnoscit eas spiritum Regni Dei appropinquantis exprimere. At sub lumine definitivae historiae hominis, quae ita manifestatur, insimul clariore luce fundamenta iustitiae in ordine temporali apparent. Cum enim doceant confidentiam Deo innixam, spem vitae aeternae, amorem iustitiae, misericordiam quae usque ad remissionem et reconciliationem procedit, Beatitudines efficiunt, ut temporalis ordo dirigatur ad transcen-

[85] Cf. Const. past. *Gaudium et Spes,* n. 42, § 2.
[86] Cf. *Io* 17, 3.
[87] Cf. *Rm* 6, 4; *2 Cor* 5, 17; *Col* 3, 9-11.
[88] Cf. Paulus VI, Exhort, ap. *Evangelii Nuntiandi,* nn. 18. 20: *AAS* 68 (1976) 17. 19.
[89] Cf. *Mt* 5, 3.

dentem ordinem, qui, nihil detrahens eius intrinsecae constitutioni, veram mensuram ipsi confert. Id etiam Beatitudines sua luce praestant, ut necessarium officium circa munera temporalia, quae proximo et hominum communitati inserviunt, maxima sollicitudine urgeatur et simul servetur in iusto prospectu.

Beatitudines praeterea cum amoveant ab « idolatria » rerum temporalium et ab iniustitiis, quas gignit earum effrenata cupido,[90] avertunt a commenticia et ruinosa inquisitione mundi perfecti : « praeterit enim figura huius mundi » *(1 Cor* 7, 31).

63. Missio propria Ecclesiae, Christi exemplum sequentis, est missio evangelium praedicandi et salutem hominibus afferendi.[91] Ipsa e divina caritate impetum suum sumit. Evangelizatio est annuntiatio salutis, quae Dei est donum. Per eius Verbum et Sacramenta homo liberatur ante omnia a potestate peccati et Maligni, quibus opprimitur, et introducitur in communionem caritatis cum Deo. Ecclesia sequens dominum suum, qui « venit in mundum peccatores salvos facere » *(1 Tim* 1, 15), vult ut omnes homines salvi fiant.

Hac missione fungens, Ecclesia docet viam, quam homo sequatur in hoc mundo ut in Dei Regnum ingrediatur. Eius igitur doctrina extenditur ad universum ordinem morum et praesertim ad iustitiam, cui competit mutuas inter homines relationes ordinare. Et haec ad Evangelii praedicationem pertinent.

Sed eadem caritas, quae impellit Ecclesiam ut omnibus communicet participationem vitae divinae per gratiam, efficit etiam, efficaci membrorum eius opere, ut verum bonum temporale hominum expetatur, eorum necessitudinibus consulatur, culturae provideatur, et promoveatur integra liberatio ab omnibus rebus, quae personarum perfectioni obstant. Ecclesia vult hominis bonum iuxta omnes eius aspectus, prius quidem quatenus pertinet ad civitatem Dei, deinde vero quatenus ad terrestrem civitatem pertinet.

61. Cum igitur doctrinam suam proponit de promovenda iustitia in hominum societatibus, vel fideles laicos hortatur ut secundum vocationem propriam adlaborent, Ecclesia extra fines suos non egreditur, sed est etiam sollicita ne missio, sui ipsius et laicorum, absorbeatur curis

[90] Cf. Const. past. *Gaudium et Spes,* n. 37.

[91] Cf. Const. dogm. *Lumen Gentium,* n. 17; Decr. *Ad Gentes,* n. 1; Paulus VI, Exhort, ap. *Evangelii Nuntiandi,* n. 14: *AAS* 68 (1976) 13.

ad ordinem temporalem spectantibus, aut eisdem tantum circumscribatur.

Propter quod maxima afficitur sollicitudine, ut clare et firmiter servetur unitas et distinctio evangelizationem inter et promotionem humanam : unitatem scilicet, quia quaerit bonum hominis in integritate eius personae, distinctionem vero, quia munera haec duo diverso titulo suae competunt missioni.

65. Prosequens ergo suos fines Ecclesia effundit Evangelii lumen super res terrestres, ut persona humana sanetur a miseriis suis et dignitate sua proficiat. Societatis compago secundum iustitiam et pacem hoc modo promovetur et firmatur.[92] Item Ecclesia est fidelis suae missioni cum denuntiat errores, servitudines et oppressiones, quibus homines subsunt, cumque resistit conatibus instaurandi ordinem vitae socialis, a quo Deus abest, sive id contingat conscia oppositione sive culpanda neglegentia,[93] cumque demum iudicium suum fert de politicis motibus qui contra miseriam et oppressionem eluctare se dicunt, sed inficiuntur theoriis et methodis agendi Evangelio contrariis et ipsi homini oppositis.[94] Sine dubio gratiae viribus, ordo moralis evangelicus homini affert novos prospectus novasque exigentias ; at ipse perficit et elevat rationem moralem, quae iam ad naturam humanam pertinet et de qua Ecclesia est sollicita, agnoscens ibi adesse patrimonium commune omnibus hominibus, quatenus homines sunt.

2. *De potiore in pauperes dilectione*

66. Christus Iesus, cum esset dives, egenus est factus ut nos illius inopia divites essemus.[95]

Sanctus Paulus hic loquitur de mysterio Incarnationis Filii aeterni, qui mortalem naturam hominum assumpsit, ad hominem salvandum a miseria, in quam peccatum eum demerserat. Praeterea in humana condicione, Christus elegit statum paupertatis et indigentiae,[96] ut notum faceret, in quo consistèrent verae quaerendaeque divitiae, scilicet communio vitae cum Deo. Ipse nos docuit renuntiare terrae divitiis, ut

[92] Cf. Const. past. *Gaudium et Spes,* n. 40, § 3.

[93] Cf. Ioannes Paulus II, Exhort, ap. *Reconciliatio et Paenitentia,* n. 14: *AAS* 77 (1985) 211.-212.

[94] Cf. Instr. *Libertatis Nuntius,* XI, 10: *AAS* 76 (1984) 901.

[95] Cf. *2 Cor* 8, 9.

[96] Cf. *Lc* 2, 7; 9, 58.

caelestes desideremus.[97] Apostoli, quos elegit, item omnia relinquere eiusque egestatis participes esse debuerunt.[98]

Praenuntiatus a Prophetis ut Messias pauperum,[99] Ipse apud eos, humiles et « pauperes Yahve », sitientes iustitiam Regni, invenit corda ad illum recipiendum parata. Sed voluit pariter adesse iis qui, bonis huius mundi ditati, a communitate excludebantur tamquam «'publicam et peccatores » ; tales enim ad paenitentiam vocare venerat.[100]

Hanc paupertatem, quae consistit in animi disiunctione a divitiis, in Dei fiducia, in sobrietate, in animo communicandi, Iesus beatam praedicavit.

67. At Iesus non tantum gratiam et pacem Dei attulit ; sed etiam sanavit plurimos infirmos ; misertus est super turbam esurientem quam nutrivit, et cum discipulis, qui eum sequebantur, eleemosynam distribuit.[101] Beatitudo ergo paupertatis, quam praedicavit, nullo modo significat a christianis neglegi posse pauperes, qui careant necessariis rebus vitae humanae in hoc mundo. Inopia, cum sit sequela et effectus hominum peccati eorumque naturalis fragilitatis, malum est, a quo, quantum fieri potest, homines sunt liberandi.

68. Extrema inopia bonorum materialium, iniusta oppressio, physicae et psychicae aegritudines demum mors, humanae nempe miseriae omnes signum sunt manifestum originalis condicionis infirmitatis qua, post primum Adae peccatum, homo versatur, itemque sunt signum necessitatis salutis ; quae miseriae ideo misericordiam Christi Salvatoris attraxerunt, qui voluit eas portare,[102] seipsum assimulans « fratribus suis minimis » *(Mt* 25, 40. 45). Propterea, in eos quos percutit miseria, potiore dilectione fertur Ecclesia quae iam ab initio, non obstantibus peccatis multorum membrorum, nunquam ab officio suo destitit eos consolandi, defendendi et liberandi. Id fecit quidem innumeris beneficentiae subsidiis, quae semper et ubique sunt necessaria.[103]

[97] Cf. *Mt* **6, 19-20. 24-34; 19, 21.**

[98] Cf. *Lc* **5, 11. 28;** *Mt* **19, 27.**

[99] Cf. *Is* **11, 4; 61, 1; Lc 4, 18.**

[100] Cf. *Me 2,* **13-17;** *Lc* **19, 1-10.**

[101] Cf. *Mt* **8, 16; 14, 13-21;** *Io* **13, 2-9.**

[102] Cf. *Mt* **8, 17.**

[103] Cf. **Paulus VI, Litt. Encycl.** *Populorum Progressio,* **nn. 12, 46:** *AAS* **59 (1967) 262-263. 280;** *Documentum tertiae Conferentiae Episcopatus Latino-Americani de Puebla,* **n. 476.**

Item doctrina sua sociali, cuius exsecutionem ipsa instanter urget, efficit ut promoveantur immutationes structurarum socialium, quibus condiciones humana persona dignae comparentur.

Per animi disiunctionem a divitiis qui bonorum communionem sinit ingressumque in Regnum,[104] Iesu discipuli, diligentes pauperes et infelices, testificantur amorem quem ipse Pater manifestavit in Salvatore. Caritas haec a Deo procedit et ad Deum tendit. Christi discipuli semper agnoverunt in oblationibus super altare depositis, donum oblatum ipsi Deo.

Pauperes diligendo Ecclesia demum testificatur dignitatem hominis, quem aperte asserit pluris esse propter id quod est, quam propter id quod habet. Quam profecto dignitatem Ecclesia affirmat destrui non posse, ne in infimo quidem gradu miseriae, contemptionis, reiectionis, impotentiae, in quo homo versari contingat.

Solidarietatem suam demonstrat cum hominibus, qui nihil valere videntur in societate, a qua spiritualiter et nonnumquam physice reiciuntur, quos econtra in humana fraternitate et in communione filiorum Dei ipsa redintegrat.

Ecclesia peculiari modo convertitur materno cum affectu ad infantes, qui propter humanam malitiam numquam in lucem edentur, atque etiam ad provectos aetate, qui soli sunt ac derelicti.

Optio praecipua pauperum tantum abest, ut significet voluntatem colendi solum hominum partem vel factionem, ut potius patefaciat universalitatem naturae et missionis Ecclesiae ; e qua optione nemo excluditur.

Haec est ratio cur Ecclesia hanc optionem exprimere non possit categoriis sociologicis vel ideologicis particularibus, quippe quae reddant hanc propensionem veluti selectionem factiosam et contentiosam.

69. Novae communitates ecclesiales « a basi », vel alii coetus christiani, qui instituti sunt ut testimonia fierent huius evangelicae caritatis, magnam spem afferunt Ecclesiae. Quod si revera in unitate cum Ecclesia locali et Ecclesia universali vivunt, germana expressio évadent communionis et instrumentum ad altiorem communionem efficiendam.[105]

[104] Cf. *Ac* 2, 44-45.

[105] Cf. II Synodus Extr., *Relatio finalis,* II, C, 6: *L'Osservatore Romano,* 10 decembris 1985, 7; Paulus VI, Exhort, ap. *Evangelii Nuntiandi,* n. 58: *AAS* 68 (1976) 46-49; Ioannes Paulus II, *Mensagem as comunidades de base,* Manaus, 10 iulii 1980.

Eaedem tanto magis fideles erunt suae missioni quanto magis sollicitae erunt de educandis suis membris ad integram servandam christianam fidem, per auditionem verbi Dei, fidelitatem erga Ecclesiae Magisterium, erga ordinem hierarchicum Ecclesiae et vitam sacramentalem. His positis condicionibus, earum experientia, radicata in studio integrae hominis liberationis, thesaurus fit pro universa Ecclesia.

70. Simili modo, consideratio theologica, quae originem sumit a particulari experientia, esse potest valde frugifero incremento quatenus valet in luce ponere aspectus verbi Dei, cuius divitiae nondum plene sunt perspectae. Sed ut haec meditatio revera Sacrae Scripturae lectio evadat et non in verbum Dei inductio significationis, quam ipsum non habet, theologus curam habebit interpretandi experientiam, a qua procedit, sub lumine experientiae Ecclesiae, quae fulget speciali fulgore et in tota sua claritate in vita Sanctorum. Pastoribus Ecclesiae, communionem cum Petri successore habentibus, competit eius authenticam rationem discernere.

CAPUT V

DE DOCTRINA SOCIALI ECCLESIAE : CHRISTIANAM LIBERATIONIS PRAXIM VERSUS

71. Ratio soteriologica liberationis reduci non potest ad notam socioethicam ; haec enim illam consequitur.

Restituens homini veram libertatem, liberatio, quam radicitus operatus est Christus, attribuit ipsi homini officium, scilicet christianam praxim, quae ad effectum deducat magnum mandatum amoris.

In hoc positum est summum principium christianae doctrinae moralis socialis, quae innititur in Evangelio et universa traditione a tempore Apostolorum et Sanctorum Ecclesiae Patrum usque ad recentes interventus Magisterii. Haud mediocres nostri aevi provocationes instanter urgent, ut ad effectum deducatur haec doctrina, quae ad praxim spectat.

1. *De natura doctrinae socialis Ecclesiae*

72. Doctrina socialis Ecclesiae orta est ex concurrentibus evangelico nuntio eiusque exigentiis, quae in maximo mandato amoris Dei et proximorum et in iustitia ut in summa comprehenduntur,[106] et problematibus quae ex societatis vita promanant. Ea autem ut doctrinae corpus

[106] Cf. *Mt* 22, 37-40; *Rm* 13, 8-10.

est constituta, adhibitis sapientiae humanarumque scientiarum subsidiis; refertur ad aspectum ethicum vitae, et considerat etiam aspectus technicos problematum, at semper ut morale iudicium de his proferat.

Cum per se dirigatur ad res agendas, doctrina haec progreditur, pro mutatis rerum adiunctis decursu temporum. Propterea, firmis semper manentibus principiis, iudicia quoque proferenda sunt circa particularia facta contingentia. Attamen haec doctrina tantum abest ut systema quoddam in se clausum constituat, ut iugiter sit aperta novis quaestionibus, quae semper proponuntur, subsidiaque ex omnibus charismatibus, experientiis et competentiis requirat.

Ecclesia, rerum humanarum experta, propria doctrina sociali affert summam *principiorum doctrinalium, criteriorum iudicandi,*[107] et etiam regulas et impulsiones ad agendum,[108] ut immutationes ab imo, quas condiciones miseriae et iniustitiae postulant, ad effectum deducantur, eo tamen modo ut vero hominum bono consulatur.

73. Maximum amoris mandatum ducit ad plenam agnitionem dignitatis cuiusque hominis ad imaginem Dei creati. Ex hac dignitate oriuntur iura et officia naturalia. Sub lumine imaginis Dei, libertas, quae est qualitas essentialis personae humanae, manifestatur in tota sua excellentia. Personae sunt subiecta activa et responsabilia vitae socialis.[109]

Hominis dignitati veluti fundamento intime coniunguntur principium solidarietatis et principium subsidiarietatis, quae dicuntur. Prioris principii causa, homini opera danda est ad consequendum bonum commune societatis, in omnibus eius gradibus;[110] Ecclesiae igitur doctrina opponitur omnibus formis « individualismi » socialis vel politici. Vi autem alterius principii, nec Rei Publicae nec ulli societati licet se substituere pro inceptis et responsabilitate personarum et communitatum interpositarum in eo gradu quo operari possint, nec destruere spatium plane necessarium eorum libertati;[111] quamobrem Ecclesiae doctrina socialis opponitur omnibus formis « collectivismi ».

[107] Cf. Paulus VI, Epist. *Octogésima Adveniens,* n. 4: *AAS* 63 (1971) 403-404; Ioannes Paulus II, *Oratio habita initio Conferentiae de Puebla,* III, 7: *AAS* 71 (1979) 203.

[108] Cf. Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* n. 235: *AAS* 53 (1961) 461.

[109] Cf. Const. Past. *Gaudium et Spes,* n. 25.

[110] Cf. Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* nn. 132-133: *AAS* 53 (1961) 437.

[111] Cf. Pius XI, Litt. Encycl. *Quadragesimo Anno,* nn. 79-80: *AAS* 23 (1931) 203; Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* n. 138: *AAS* 53 (1961) 439; Litt. Encycl. *Pacem in Terris,* n. 74: *AAS* 55 (1963) 294-295.

74. Haec principia sunt fundamentum, in quo *criteria* innituntur ad iudicium ferendum de rerum condicionibus, structuris et *systematïbus* socialibus. Ita Ecclesia non dubitat denuntiare condiciones vitae, quae praeiudicium afferunt hominis dignitati et libertati.

Quae criteria apta sunt etiam ad aestimandum valorem structurarum, quae nihil aliud sunt nisi summa institutionum et usuum, quae homines aut iam existentia inveniunt aut ipsi gignunt in campo nationali vel internationali, quaeque vitam oeconomicam, socialem et politicam dirigunt vel ordinant. Per se sunt necessariae huiusmodi structurae, saepe tamen eo tendunt ut torpescant et durescant fiantque veluti machinamenta ab humana voluntate quodammodo soluta, ideoque impediunt vel pervertimi progressum socialem, generantque iniustitiam. Attamen pendent ab hominis responsabilitate, qui potest eas immutare, et non a quodam historiae « determinismo ».

Institutiones et leges quae conformes sint legi naturali et ad bonum commune ordinentur, muniunt libertatem personarum et eius promotionem. Non damnari possunt omnes legis coactiones, nec stabilitas Rei Publicae, quae, in iure innixa, hoc nomine digna est. Sermo igitur fieri quidem potest de structuris peccato signatis, sed nemo potest damnare structuras uti tales.

Criteria iudicii respiciunt etiam *systemata* oeconomica, socialia et politica. Doctrina socialis Ecclesiae nullum eorum nominatim proponit, tamen ex eiusdem fundamentalibus principiis quivis lumen accipere potest ad discernendum utrum huiusmodi systemata humanae cum dignitatis exigentiis congruant necne.

75. Re quidem vera, Ecclesia sane novit ardua et implexa problemata quibus societates laborant, itemque difficultates ad ea congruenter solvenda. Docet tamen in antecessum omnes vires spirituales et morales personae excitandas esse, itemque urgendam esse necessitatem iugis conversionis spiritualis, si induci exoptentur immutationes oeconomicae vel sociales, quae vere sint in hominis servitium.

Primatus attributus structuris et technicae ordinationi potius quam personae et exigentiis eius dignitatis, anthropologiam materialisticam sapit, et aedificationi iusti ordinis socialis opponitur.[112]

Sed si princeps locus datur libertati et cordis conversioni, necessitas immutandi structuras iniustas nullo modo minuitur, ideoque

[112] Cf. Paulus VI, Exhort, ap. *Evangelii Nuntiandi,* n. 18: *AAS* 68 (1976) 17-18; Instr. *Libertatis Nuntius,* XI, 9: *AAS* 76 (1984) 901.

omnino licet oppressione laborantibus ex parte eorum qui divitias vel politicam potestatem detinent, agere, mediis moraliter licitis tamen adhibitis, ad efficiendas structuras institutionesque, in quibus eorum iura sarta tectaque maneant.

Attamen patet structuras ad bonum commune instauratas per se solas non sufficere ad illud comparandum, et in tuto ponendum. Quod potest deduci ex corruptione, quae in nonnullis nationibus afficit moderatores et rei publicae administrationem, quaeque destruit universam vitam socialem honestam. Morum honestas est condicio salutis societatis. Oportet igitur ad conversionem cordis et structurarum emendationem una simul procedere, cum peccatum, quod fons est condicionum iniustarum, sensu proprio et primo sit actus voluntarius e libertate personae procedens. Sensu tantum derivato et secundario structuris applicatur, et sermo fieri potest de « peccato sociali » . [113] Ceterum in processu liberationis non potest abstrahi a condicione nationis pro tempore exsistente neque attentari culturali populi identitati ; consequenter non licet nihil agendo acceptare, et multo minus licet favere factionibus, quae vim inferentes vel publicam opinionem adulterantes, summa rerum potiuntur et communitati temere imponunt ideologiam, extrinsecus allatam, quae opponitur veris bonis populi culturae.[114] Qua in re monere decet de gravi responsabilitate morali et politica hominum, qui intellectuales nuncupantur.

76. E fundamentalibus principiis et criteriis iudicii procedere debent regulae et impulsiones ad agendum ; cum bonum commune societatis humanae sit in servitium personarum, instrumenta operandi conformia esse debent hominum dignitati, et per eadem favendum est libertatis educationi.

Hoc est criterium firmum recte iudicandi et agendi : non datur veri nominis liberatio, nisi ipsa libertatis iura inde ab initio sarta tectaque serventur.

Cum constanter recursus fit ad violentiam propositam tamquam viam necessariam ad liberationem obtinendam, alte edicendum est hunc esse perniciosum errorem, ex quo novae oriuntur Servitutes. Pariter damnanda est violentia locupletum pauperibus illata, arbitrium biocolytarum in cives exercitum, itemque quaelibet violentiae forma adhibita

[113] Cf. Ioannes Paulus II, Exhort, ap. *Reconciliatio et Paenitentia,* n. 16: *AAS* 77 (1985) 213-217.

[114] Cf. Paulus VI, Epist. *Octogésima Adveniens,* n. 25: *AAS* 63 (1971) 419-420.

ut ratio regendae rei publicae. Ad rem quod attinet, memoria semper tenenda sunt, ut inde moneamur, calamitosa illa experimenta, quae saeculum hoc nostrum passum est et adhuc patitur.

Itidem amplius admitti non licet culpabilis desidia rei publicae moderatorum in civitatibus democraticis, ubi longe abest ut socialis condicio perplurium virorum et mulierum respondeat exigentiis iurium individualium et socialium, lege fundamentali rei publicae statutorum.

77. Dum favet erectioni et actioni associationum, cuiusmodi sunt syndacatus quae contendunt pro defensione iurium et utilitatum legitimarum opificum et pro iustitia sociali, Ecclesia minime recipit eorum theoriam, qui asseverant in classium socialium contentione dynamismum inesse structuralem vitae socialis. Actio, quam Ecclesia commendat, non est contentio classium inter se, ad tollendum adversarium, neque procedit ab aberrante submissione legi, quae dicitur historiae, cum contentio nobilis et rationalis sit ad iustitiam et solidarietatem socialem assequendam.[115] Ceterum christifidelis semper eliget viam dialogi et partium consensus.

Christus nobis mandatum dedit, ut diligamus inimicos.[116] Liberatio igitur iuxta Evangelii mentem non congruit cum odio proximi, sive individualiter sive collective sumpti, odio inimicorum non excepto.

78. Quaedam condiciones gravis iniustitiae magnam requirunt vim animi penitus reformandi et abolendi privilegia, quarum nulla est iusta causa. Sed qui viam reformationum spernunt et « mythum revolutionis » fovent, non solum inanem spem colunt abolitionem iniquae condicionis fore per se aptam ad efficiendam societatem humaniorem, sed etiam favent adventui regiminum « totalitariorum ».[117]

Contentio contra iniustitias tunc solum rationi respondet, si suscipitur ad instaurandum novum ordinem socialem et politicum conformem exigentiis iustitiae, quae quidem notet oportet omnes gradus suae instaurationis, nam etiam media adhibenda moralem notam induere debent.[118]

[115] Cf. Ioannes Paulus II, Litt. Encycl. *Laborem Exercens,* n. 20: *AAS* 73 (1981) 629-632; Instr. *Libertatis Nuntius,* VII, 8; VIII, 5-9; XI, 11-14: *AAS* 76 (1984) 891-892. 894-895. 901-902.

[116] Cf. *Mt* 5, 44; *Lc* 6, 27-28. 35.

[117] Cf. Instr. *Libertatis Nuntius,* XI, 10: *AAS* 76 (1984) 905-906.

[118] Cf. *Doc. de Puebla,* nn. 533-534; Ioannes Paulus II, *Homilia in Drogheda,* 30 septembris 1979: *AAS* 71 (1979) 1076-1085.

79. Haec principia applicanda sunt praesertim cum fit recursus ultimus ad contentionem armatam, qui a Magisterio exhibetur ut extremum remedium ad finem imponendum « tyrannidi apertae et diuturnae, qua primaria iura personae humanae graviter laedantur et bono communi alicuius civitatis grave iniungatur detrimentum ».[119] Applicatio vero concreta huius medii non licet nisi post analysim, severissime peractam, status rerum. Etenim propter continuam progressionem artium technicarum et crescentem in dies gravitatem periculorum, quae recursus ad violentiam secumfert, « resistentia passiva », quae hodie appellatur, viam aperit quae magis conformem principiis moralibus se praebet, ac non minorem spem felicis exitus facit. Numquam igitur adhiberi licet media inhonesta, sive agatur de potestate constituta sive de coetibus qui rerum mutationem promoverunt, ut sunt ultio qua in populum animadvertitur, cruciatus, methodi « terrorismi » et callida provocatio quam mors hominum sequatur in popularibus tumultibus. Aeque reicienda est odiosa calumniarum diffusio apta ad physice et moraliter quempiam perimendum.

80. Non competit Ecclesiae Pastoribus activas partes habere in politica aedificatione et ordinatione vitae socialis. Id vocationis laicorum munus est ultro operantium cum concivibus,[120] ipsisque ad effectum est deducendum, sibi consciis finem Ecclesiae esse Regnum Christi extendere, ut omnes homines salvi fiant et mundus revera ordinetur ad Christum.[121]

Opus salutis ita videtur indissolubili vinculo iungi muneri perficiendi et elevandi condiciones vitae humanae in hoc mundo.

Distinctio sane datur inter ordinem supernaturalem salutis et ordinem temporalem vitae humanae, sed uterque ordo pertinet ad unicum consilium Dei instaurandi omnia in Christo. Ideoque laici, qui simul sunt christifideles et cives, in utroque ordine semper sequi debent suam christianam conscientiam.[122]

Actio socialis, cui non contradicit pluralitas concretarum opinionum, semper ad bonum commune attendere debet et conformis esse evangelico nuntio et Ecclesiae Magisterio. Cavendum tamen est ne differentes

[119] Paulus VI, Litt. Encycl. *Populorum Progressio,* n. 31: *AAS* 59 (1967) 272-273; cf. Pius XI, Litt. Encycl. *Nos es muy conocida: AAS* 29 (1937) 208-209.

[120] Cf. Const. past. *Gaudium et Spes,* n. 76, § 3; Decr. *Apostolicam Actuositatem,* n. 7.

[121] Cf. *Loc. cit.,* n. 20.

[122] Cf. *Loc. cit.,* n. 5.

optiones cooperationis sensui obsint, ne incepta impediant, neve demum confusionem inducant in populum christianum.

« Orientatio », quam praebet doctrina socialis Ecclesiae incitamento esse debet ad acquirendas specificas et necessarias competentias in re technica et in re scientifica, necnon moralem indolis formationem et iuge perfectioris vitae spiritualis studium.

Huiusmodi doctrina, dum principia praeceptaque sapientiae praebet, non eximit tamen ab educatione ad prudentiam politicam, quae requiritur in humanis rebus moderandis atque administrandis.

2. *De exigentiis evangelicis altiorum immutationum*

81. Opus hodie peragendum incumbit christianis, quod vix simile habet retroactis temporibus, cum nimirum debeant deducere in actum illum «civilem amoris cultum», qui compendium est totius patrimonii ethico-culturalis Evangelii.

Hoc munus exigit ut iterum et penitus consideretur, quaenam relatio intercedat inter summum mandatum dilectionis et ordinem socialem in tota sua complexitate perspectum.

Altior huiusmodi consideratio eo directe spectat, ut accurate conficiantur et ad actum deducantur audacia programmata actionis ad liberationem consequendam socio-oeconomicam pluries centenorum milium virorum et mulierum, quorum status oppressionis oeconomicae, socialis et politicae est intolerabilis.

Primus autem gressus ad haec efficienda, est immensum educationis opus : scilicet promoveri debet educatio ad civilem laboris cultum, educatio ad solidarietatem et aditus omnium ad mentis culturam.

82. Iesu exsistentia in oppido Nazareth, quae est verum « Evangelium laboris », nobis vivum praebet exemplum et principium illius immutationis culturalis radicitus efficiendae, quae necessaria est ad gravia problemata solvenda nostra aetate. Qui, cum esset Deus, factus est nostri similis in omnibus, et magnam terrestris vitae suae partem transegit manuum operi addictus.[123]

Cultura, quam aevum nostrum exspectat, plena agnitione notanda erit dignitatis laboris humani, qui sub lumine mysteriorum Creationis et Redemptionis apparet in tota sua nobilitate et fecunditate.[124] Labor, si habeatur expressio personae, fit recte sentiendi fons et vis creatrix.

[123] Cf. Ioannes Paulus II, Litt. Encycl. *Laborem Exercens,* n. 6: *AAS* 73 (1981) 589-592.
[124] Cf. *Loc. cit.,* cap. V: *ibid.,* 637-647.

83. Ita solutio praecipuorum problematum de miseria pendet ex promotione veri civilis laboris cultus, quia labor est quodammodo clavis totius quaestionis socialis.[125]

A campo igitur laboris incipere debent ea quae spectant ad liberationem obtinendam in libertate; cumque relatio inter personam humanam et laborem sit radicalis et vitalis, formae et modi dirigendi hanc relationem, multum conferre poterunt ad solvendam summam problematum socialium et politicorum cuiusque populi. Iustae relationes laboris praefigurare poterunt systema communitatis politicae aptum ad fovendam progressionem integralem cuiusque personae humanae.

Si systema relationum laboris, ad effectum deductum a directis actoribus, opificibus scilicet et conductoribus, cum necessario auxilio publicarum auctoritatum, valet ad gignendum civilem cultum laboris, tunc profecto fiet pacifica et altior rerum immutatio, sive in populorum mentibus, sive etiam in fundamentis institutionalibus et politicis.

84. Huiusmodi civilis laboris cultus supponet et ad effectum deducere debebit nonnullos valores essentiales. Agnoscet scilicet personam opificis esse principium, subiectum et finem activitatis laboris ; asseverabit prioritatem laboris supra opes « capitales » et destinationem universalem bonorum materialium ; fovebit sensum solidarietatis, qui non tantum iura vindicanda verum etiam officia complenda secum fert; inducet participationem ad bonum commune nationale vel internationale promovendum et non tantum ad defendendas utilitates singulorum vel corporatorum hominum, demum propriam faciet methodum, qua diversae conceptiones pacifice inter se comparantur, et dialogus sincerus et tenax conseritur.

Tunc publicae auctoritates aptiores fient ad operandum, observantes libertates legitimas singulorum, familiarum, coetuum subsidiariorum, atque hoc modo condiciones ponentes necessarias ut homo consequi possit suum genuinum et integrum bonum, fine spirituali non excluso.[126]

85. Civilis cultus, qui agnoscit eminentem dignitatem opificis, manifestam faciet partem subiectivam laboris.[127] Valor cuiusvis laboris hu-

[125] Cf. *Loc. cit.,* n. 3: *ibid.,* 583-584; *Allocutio in Loreto,* 10 maii 1985: *AAS* 77 (1985) 967-969.

[126] Cf. Paulus VI, Epist. *Octogésima Adveniens,* n. 46: *AAS* 63 (1971) 633-635.

[127] Cf. Ioannes Paulus II, Litt. Encycl. *Laborem Exercens,* n. 6: *AAS* 73 (1981) 589-592.

mani non pendet in primis e genere operis quod perficitur, nam fundamentum suum habet in hoc, quod is qui laborem exercet, est persona.[128]

Datur hic criterium ethicum, cuius exigentiae praetermitti non debent.

Ita omnis homo ius habet ad laborem, quod revera oportet agnoscatur per munus effective datum, ad solvendum gravissimum problema de operis vacatione. Tolerari non potest, ob hanc coactam inertiam, tam ingentem portionem populorum et praesertim iuvenum in decliviori statu versari.

Ideo creatio novarum sedium laboris est praecipuum officium sociale, quod imponitur singulis hominibus et privatorum inceptis, sed etiam rei publicae, quae, iuxta communem regulam, in his et aliis quaestionibus habet munus subsidiarium sed persaepe potest ipsa teneri per se agere, utpote cum de his rebus agitur in pactionibus internationalibus inter diversas civitates. In quibus quidem pactionibus observanda et protegenda semper sunt iura migrantium eorumque familiae.[129]

86. Salarium, quod non potest existimari tantum velut mercaturae obiectum, debet eiusmodi esse, ut opifex eiusque familia possint agere vitam vere humanam in ordine materiali, sociali, culturali et spirituali; est enim personae dignitas, quae constituit criterium iudicandi laborem et non vice versa. Quodcumque genus laboris opifex exercet, necessarium est ut in eo peragendo semper personam suam quodammodo exprimere possit.

Ex quo consequitur exigentia talis participationis, quae multo magis quam partitionem fructuum laboris, genuinam notam communitariam secumferat in consiliis, inceptis et responsabilitatibus.[130]

87. Potior dignitas, qua labor opes « capitales » excedit, conductoribus imponit iustitiae officium ut bonum opificum respiciant prae increménto lucri. Conductores enim obligatione tenentur morali, ne opes serventur otiosae, sed earum collocatione bono communi imprimis consulatur; quod exigit prioritatem consolidandi vel efficiendi novas sedes laboris, dum gignuntur bona reapse utilia.

[128] Cf. *ibid.*

[129] Cf. Ioannes Paulus II, Exhort, ap. *Familiaris Consortio,* n. 46: *AAS* 74 (1982) 137-139; Litt. Encycl. *Laborem Exercens,* n. 23: *AAS* 73 (1981) 635-637; Sancta Sedes, *Charta iurium familiae,* art. 12: *L'Osservatore Romano,* 5 iulii 1980, 1-2.

[130] Cf. Const. past. *Gaudium et Spes,* n. 68; Ioannes Paulus II, Litt. Encycl. *Laborem Exercens,* n. 15: *AAS* 73 (1981) 616-618; *Allocutio,* 3 iulii 1980: *L'Osservatore Romano,* 5 iulii 1980, 1-2.

Ius ad proprietatem privatam nullo pacto concipi potest, quin secum ferat officia erga bonum commune; subditur enim superiori principio universalis destinationis bonorum.[131]

88. Doctrina huiusmodi reformationes urgere debet, dum tempus est. Accessus omnium ad bona quae necessaria sunt vitae humanae, personali et familiari, huius nominis dignae, est primaria exigentia iustitiae socialis; requirit ut in actum deducatur, in campo laboris qui ad quaestuosam industriam pertinet, et modo omnino peculiari in campo laboris agricolaris.[132] Ex agricolis enim, praesertim in regionibus quae solent « tertii mundi » vocabulo distingui, maior pauperum pars constituitur.[133]

3. *Promotio solidarietatis*

89. Solidarietas est exigentia directa fraternitatis humanae et supernaturalis. Problemata gravia socio-oeconomica quae nostra aetate urgent, solvi non possunt nisi excitentur etiam nova solidarietatis foedera, cuiusmodi sunt : solidarietas pauperum inter se, solidarietas cum pauperibus, ad quam vocantur locupletes, et solidarietas opificum et cum opificibus. Institutiones et variae sociales compages in suis diversis gradibus, atque etiam res publica, intersint oportet generali motui solidarietatis. Ecclesia, cum ad hanc solidarietatem appellat, conscia sibi est de negotio agi, quod ad ipsam pertinet modo omnino peculiari.

90. Principium, vi cuius bona terrae omnium hominum necessitatibus destinantur, una cum fraternitatis humanae et supernaturalis principio, praecipit nationibus ditioribus officia erga nationes pauperiores ; quae sunt officia solidarietatis, si agatur de subsidiis praebendis nationibus, quae sunt in via progressionis ; et officia vero iustitiae socialis, si agatur de mutuis commerciis inter septemtrionales et australes terras maiore aequitate recognoscendis, itemque de promovendo pro omnibus humaniore mundo, in quo dare et accipere quisque possit, neque progressus alterius alteri nationi praeiudicio sit vel titulo ad eam subiciendam.[134]

[131] Cf. Const. past. *Gaudium et Spes,* n. 69; Ioannes Paulus II, Litt. Encycl. *Laborem Exercens,* nn. 12. 14: *AAS* 73 (1981) 605-608. 612-616.

[132] Cf. Pius XI, Litt. Encycl. *Quadragesimo Anno,* n. 72: *AAS* 23 (1931) 200; Ioannes Paulus II, Litt. Encycl. *Laborem Exercens,* n. 19: *AAS* 73 (1981) 625-629.

[133] Cf. *Documentum secundae Conferentiae Episcopatus Latino-americani de Medellin,* Iustitia, I, 9; *Doc. de Puebla,* n. 31. 35. 1245.

[134] Cf. Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* n. 163: *AAS* 53 (1961) 443;

91. Solidarietas internationalis est exigentia ordinis moralis, quae vim suam non acquirit tantum in extrema necessitate, sed etiam cum agitur de subsidiis dandis ad veram progressionem procurandam. Opus commune esse debet, quia non solum requirit nisus concordes et constantes ad inveniendae solutiones technicas concretas, sed etiam ad novum mentis habitum inducendum in homines nostrae aetatis. Ex his mundi pax magna ex parte pendet.[135]

4. *De muneribus culturalibus et educativis*

92. Inaequalitates iustitiae contrarias, in possessione et usu bonorum materialium, comitantur et aggravant inaequalitates, itidem iniustae, in accessu ad culturam. Omnis homo ius habet ad culturam, quae est forma propria existentiae vere humanae ; ad quam ut quis accedat, necesse est ut proficiat facultate cognoscendi, moralibus virtutibus, facultate mutuas nectendi relationes cum similibus et peritia operum utilium et pulchrorum efSciendorum. Hac de causa exigitur ut promoveatur et diffundatur opus educationis, ad quam obtinendam omnis homo habet ius inalienabile, et cuius prima condicio est amotio analphabétisme[36]

93. Ius cuiusque hominis ad culturam sartum tectumque non est, nisi libertas culturalis integra servetur. Saepius cultura vertitur in ideologiam et educatio corrumpitur, facta instrumentum potestatis politicae vel oeconomicae ; non est auctoritatis politicae determinare culturam, eius e contra est promovere et protegere vitam culturalem omnium civium, etiam eorum qui numero sunt minores.[137]

94. Munus educationis impertiendae primum et primario familiae competit. Rei Publicae autem est officium subsidiarium, cum eius munus sit spondere, protegere, fovere et supplere. Civitas, cum monopolium scholasticum expetit, praetergreditur iura sua iustitiamque offendit. Parentum ius est scholas eligere, quibus filios suos docendos, tradant, et fundare sustentareque sedes educationi impertiendae destinatas, cum conscientia sua congruentes. Rei Publicae officium erga scholas privatas

Paulus VI, Litt. Encycl. *Populorum Progressio,* n. 51: *AAS* 59 (1967) 282; Ioannes Paulus II, *Allocutio ad nationum legatos,* 11 ianuarii 1986: *L'Osservatore Romano,* 12 ianuarii 1986, 4-5.

[135] Cf. Paulus VI, Litt. Encycl. *Populorum Progressio,* n. 55: *AAS* 59 (1967) 284.

[136] Cf. Const. past. *Gaudium et Spes,* n. 60; Ioannes Paulus II, *Allocutio ad UNESCO,* 2 iunii 1980, n. 8: *AAS* 72 (1980) 739-740.

[137] Cf. Const. past. *Gaudium et Spes,* n. 59.

non absolvitur si eas tantum tolerat, quia eaedem servitium publicum implent, ideoque ius habent ad oeconomica publica subsidia.[138]

95. Educatio, quae ad culturam ducit, instituit etiam ad responsabile exercitium libertatis.

Ideoque non datur authentica progressio, nisi in systemate sociali et politico, quod libertates observet et tueatur, eisdemque faveat, omnium participatione.

Quamquam diversas formas habere potest, haec participatio tamen necessaria est ad iustum pluralismum firmandum in institutionibus et inceptis socialibus. Eadem tutum reddit praesertim per revera distincta publica munera, exercitium iurium hominis, tutamen praebet adversus abusus qui fieri possunt a publicis potestatibus. Ab hac participatione ad vitam socialem et politicam nemo potest excludi, causa sexus, stirpis, coloris, condicionis socialis, linguae vel religionis.[139]

Populi segregatio a vita culturali, sociali et politica in multis nationibus constituit, nostra aetate, formam iniustitiae inter manifestissimas.

In moderando autem exercitio libertatis, auctoritates politicae praetextum ne sumant ab exigentiis ordinis publici et securitatis, ad contrahendas constanter ac data opera huiusmodi libertates, cum neque principium, ut dicitur, « securitatis nationalis », neque ratio stricte oeconomica, neque demum ratio ((totalitaria » vitae socialis, antecedere fas sit bono libertatis et iuribus inde manantibus.[140]

96. Ex fide derivantur certae iudicii ferendi normae, itidem ipsa docet quae sint primaria bona, cogitandi regulas tradit et gerendae vitae exemplaria toti humanae consortioni accommodata.[141] Ideo Ecclesia, attenta ad angores nostrae aetatis, indicat vias culturae, in qua laboris agnoscatur integrum pretium prout postulat dignitas humana, et in qua omnis homo ea omnia inveniat, quibus possit se ut personam perficere. Hoc ipsa praestat vi missionis suae studiosa procurandi integram salutem humano generi, propria uniuscuiusque populi et nationis indole servata.

[138] Cf. Decl. *Gravissimum Educationis,* nn. 3. 6; Pius XI, Litt. Encycl. *Divini Illius Magistri,* nn. 29. 38. 66: *AAS* 22 (1930) 59. 63. 68; cf. Sancta Sedes, *Charta iurium familiae,* art. 5: *L'Osservatore Romano,* 25 novembris 1983.

[139] Cf. Const. past. *Gaudium et Spes,* n. 29; Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in Terris,* nn. 73-74. 79: *AAS* 55 (1963) 294-296.

[140] Cf. Decl. *Dignitatis Humanae,* n. 7; Const. past. *Gaudium et Spes,* n. 75; *Doc. de Puebla,* nn. 311-314. 317-318. 548.

[141] Cf. Paulus VI, Exhort, ap. *Evangelii Nuntiandi,* n. 19: *AAS* 68 (1976) 18.

Ecclesia, cum sit communio, quae diversitatem et unitatem coniungit, praesentia sua in universo mundo, assumit, ab unaquaque cultura, quidquid boni inveniat.

Attamen « inculturatio » non est simplex exterior aptatio, e contra est intima transformatio valorum authenticorum, per integrationem in Christiana religione, et radicatio Christianae religionis in diversis culturis humanis.[142]

Separatio Evangelii a cultura ingens est malum quod problemata supra memorata dolendum in modum manifestant.

Necessarius est ergo nisus generosus ut evangelium culturas penitus imbuat; culturae vero, suscepto Evangelio, ab integro novae renascentur ; sed Evangelium et culturae non sibi occurrent, nisi Evangelium vere annuntietur.[143]

Concilio Vaticano Secundo illustrata, Ecclesia huic efflciendo proposito totis viribus se devovet, ut immensus inde animorum impetus excitetur, liberationem allaturus.

CONCLUSIO

97. *((Beata quae credidisti ... » (Lc* 1, 45). Cum ab Elisabeth salutatur, Mater Dei ei respondet cordis sui sensus effundendo in cantico *Magnificat.* Ipsa nos docet solum per fidem et in fide Populum Dei, eius ductum exemplo, posse verbis exprimere et in vitae actionem traducere mysterium divini consilii salutis eiusque liberatricem rationem tum ad singulos tum ad societatem quod spectat. Etenim sub lumine fidei intellegitur historiam salutis esse historiam liberationis a malo, quoad eius formam gravissimam, atque hominum genus duci ad veram libertatem filiorum Dei. Deo perfecte adhaerens et tota ad ipsum tendens, Maria per fidem suam est iuxta Filium suum imago perfectissima libertatis et liberationis humani generis uni versar umque rerum. Ad Mariam, Matrem et Exemplum suum, Ecclesia respicere debet ut integre intellegere possit significationem missionis suae.

Sane valde dignus, qui notetur, est sensus fidei quo pauperes pollent, sensus nimirum quo ipsi quemadmodum crucis redemptricis mysterium alte penetrant, ita pariter amorem concipiunt et fiduciam indefectibilem erga Matrem Filii Dei, quam in innumeris Sanctuariis veneran tur.

[142] Cf. II Synodus Extr., *Relatio finalis,* II, D, 4: *L'Osservatore Romano,* 10 decembris 1985, 7.

[143] Of. Paulus VI, Exhort, ap. *Evangelii Nuntiandi,* n. 20: *AAS* 68 (1976) 18-19.

98. Pastores aliique sacerdotes et laici, religiosi et religiosae qui, saepe quidem versantes in condicionibus difficillimis, adlaborant ad evangelizationem et promotionem humanam integram inducendam, firmam spem concipere debent, scientes quam eximiis sanctitatis divitiis viva Populi Dei fides abundet.

Curandum est, ut huiusmodi divitiae *sensus fidei* plene efflorescant et copiose fructificent.

Theologorum pernobile et ecclesiale officium hoc est : fidem populi pauperum adiuvare per altiorem investigationem divini consilii Salutis, quemadmodum adimpletum est in Virgine Maria quae illud cecinit hymno *Magnificat,* ut illud consilium clare exprimatur et in vitae usum deducatur.

Ita theologia libertatis et liberationis, quae fideliter resonat « Magnificat » Mariae memoriae Ecclesiae commendatum, dicenda est exigentia nostri temporis. Sed valde improbe fieret, si captarentur vires religiosae populorum pietatis et detorqueantur in propositum liberationis mere terrestris; quae quidem haud ita sero se praebebit spem fallacem et causam novarum servitù tum. Qui cedunt huiusmodi mundanis opinamentis et commenticiae necessitati violentiae, spem abiciunt, eique coniunctam audaciam animique constantiam, quas extollit canticum ad Deum misericordiarum a Beata Virgine nobis traditum.

99. Sensus fidei percipit excelsam altitudinem liberationis a Redemptore patratae.

Ipse a peccato, quod est malum maxime « radicale », et a potestate mortis nos liberavit ut ipsa libertas sui iuris fieret et recto procederet itinere. Quod iter designatum est maximo mandato, quod est mandatum dilectionis.

Liberatio, cuius prima significatio est soteriologica, sumit hoc modo sensum missionis liberatricis et fit ethica norma. Hic ponitur doctrina socialis Ecclesiae, quae illustrat praxim christianam in ambitu societatis.

Christianus vocatur ad agendum secundum veritatem,[144] et ad ope-, randum etiam ut ille « civilis cultus amoris » instauretur, de qua locutus est Paulus VI.[145]

[144] Cf. *Io* 3, 21.

[145] Cf. Paulus VI, *Allocutio in udientia generali,* 31 decembris 1975: *L'Osservatore Romano,* 1 ianuarii 1976, 1. Ioannes Paulus II hanc notionem resumpsit in *Oratione ad a Meeting per l'amicizia dei popoli v,* 29 augusti 1982: *L'Osservatore Romano,* 30-31 augusti 1982. Episcopi latino-americani eam pariter evocaverunt in *Nuntio populis Americae latinae,* n. 8 et in *Doc. de Puebla,* nn. 1188. 1192.

Praesens documentum quod non affirmatur esse omnibus numeris absolutum, nonnullas tamen indicat directivas normas circa ea, in quibus necessitas urget profundas immutationes ineundi. Munus praecipuum et anteponendum, a quo ceterorum exitus dependet, est educationis opus.

Caritas vero, quae munera suscipienda dirigit, iam nunc debet novas solidarietates gignere.

Ad huiusmodi munera explenda, quae instanter urgent christianam conscientiam, omnes homines bonae voluntatis convocantur.

Veritas mysterii salutis, quod operatur in praesenti historia ut genus hominum redemptum ad Regni perfectionem adducat, praebet necessariis inceptis liberationis oeconomicis, socialibus et politicis, genuinam significationem liberationis et impedit quominus eadem in novas Servitutes immergantur.

100. Verum quidem est, coram tam ingentibus tamque arduis officiis quae exigere ab homine possunt etiam donum sui ipsius usque ad heroismum, perplures tentari animi demissione, « scepticismo » vel audaci facinore desperatorum. Formidabili provocatione petitur spes cum theologalis tum humana.

At magnanima Virgo cantici *Magnificat,* quae Ecclesiam et hominum genus sua prece contegit, firmum spei firmamentum est. In Ipsa enim contemplantes victoriam divini Amoris, cui nullum impedimentum opponi potest, perspicimus ad quam sublimem libertatem Deus humiles elevet.

Gressus Beatae Virginis subsequentes, procedere debemus magno impulsi vigore fidei, quae per caritatem operatur.[146]

Hanc Instructionem in Conventu ordinario huius Congregationis deliberatam, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, in Audientia infrascripto Cardinali Praefecto concessa, adprobavit et publici iuris fieri iussit.

Romae, ex Aedibus Congregationis pro Doctrina Fidei, die 22 Martii, in Sollemnitate Annuntiationis Domini, anno 1986.

IOSEPHUS Card. RATZINGER, *Praefectus*

•B Albertus Bovone, Archiep. tit. Caesarien. in Numidia, *Secretarius*

[144] Cf. *Cal* 5, 6.

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

DECRETA

I

GREENSBURGENSIS

Administrationis Apostolicae

Cum dioecesis Greensburgensis per renuntiationem Exc.mi P. D. Villelmi G. Connare nuper vacaverit, Summus Pontifex Ioannes Paulus, divina Providentia PP. II, ut praefatae Ecclesiae regimini interim provideatur, praesenti Decreto nominat ac constituit Administratorem Apostolicum ad nutum Sanctae Sedis eiusdem dioecesis memoratum P. D. Villelmum G. Connarç, hactenus Episcopum Greensburgensem, eique iura, facultates et officia tribuit quae Episcopis dioecesanis, ad normam iuris communis competunt.

Contrariis quibusvis minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Episcopis, die 20 mensis Ianuarii anno 1987.

ffi BERNARDINUS Card. GANTIN, *Praefectus*

L, & S.

© Fr. Lucas Moreira Neves
Archiep. tit. Feraditanus maior, *a Secretis*

II

TERESIANUS - CAMPI MAIORIS

De mutatione finium

Quo aptius christifidelium pastorali curae consuli possit, Exc.mi PP. DD. Michael Fenelon Cámara Filho, Archiepiscopus Teresianus et Abel Alonso Nuñez, O. de M., Episcopus Campi Maioris, unanimi consensu ab Apostolica Sede expostulaverunt ut suarum dioecesium fines aliquantulum immutarentur.

Congregatio pro Episcopis, praehabito favorabili voto Exc.mi P. D. Caroli Furno, Archiepiscopi titularis Abaritani et in Brasilia Aposto-

liei Nuntii, rata huiusmodi immutationem christifidelium bono profuturam, vigore specialium facultatum sibi a Summo Pontifice Ioanne Paulo, divina Providentia PP. II, tributarum, oblatas preces benigne accipiendas esse censuit.

Quapropter, suppleto, quatenus opus sit, eorum interesse habentium vel habere praesumendum consensu, hoc Decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, distrahit a dioecesi Campi Maioris atque in perpetuum archidioecesi Teresianae adnectit integrum territorium, prout in praesens a lege civili circumscribitur, municipii vulgo nuncupati *Miguel Alves,* intra cuius fines paroecia eiusdem nominis nunc exstat.

Quamobrem documenta et acta praefati municipii Miguel Alves clericos, fideles ac bona temporalia forte respicientia a Curia Campi Maioris ad curiam Teresianam, quam primum, transmittantur.

Ad haec perficienda Congregatio pro Episcopis deputat memoratum Exc.mum Apostolicum Nuntium vel, ipso a sede absente, negotiorum Sanctae Sedis in Brasilia gestorem, necessarias et opportunas eisdem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad eamdem Congregationem, cum primum fas erit, authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Episcopis, die 3 mensis Aprilis anno 1987.

© BERNARDINUS Card. GANTIN, *Praefectus*

L. © S.

© Lucas Moreira Neves, *a Secretis*

In Congr. pro Episcopis tab., n. 29J/87.

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Ioannes Paulus Pp. II, per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros Praesules praefecit, videlicet :

die 11 Martii 1987. — Titulari episcopali Ecclesiae Tuccitanae R. D. Stanislavum Kedziora, curionem paroeciae Omnium Sanctorum in

urbe Varsavia, quem deputavit Auxiliarem Exc. P. D. Iosephi S. R. E. Cardinalis Glemp, Archiepiscopi Varsaviensis.

die SO Martii. — Titulari episcopali Ecclesiae Temunianensi, R. D. Petrum Iosephum Connors, Vicarium Generalem archidioecesis Melburnensis, quem deputavit Auxiliarem Exc.mi P. D. Thomae Francisci Little, Archiepiscopi Melburnensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Scalensi, R. D. Georgium Peli, e clero dioecesis Ballaratensis, rectorem Seminarii maioris regionalis Melburnensis in honorem mysterii Corporis Christi in oppido vulgo Clayton, quem deputavit Auxiliarem Exc.mi P. D. Thomae Francisci Little, Archiepiscopi Melburnensis.

die 2 Aprilis. — Cathedrali Ecclesiae Greensburgensi, Exc.mum P. D. Antonium Geraldum Bosco, hactenus Episcopum tit. Labicanum.

die 16 Aprilis. — Titulari episcopali Ecclesiae Castellomedianitanae R. D. Franciscum Cacucci, e clero archidioecesis Barensis-Bituntinae presbyterum, quem constituit Auxiliarem eiusdem archidioecesis Barensis-Bituntinae.

die 29 Aprilis. — Titulari episcopali Ecclesiae Insulensi, R. D. Marianum Zimalek, Seminarii maioris Sandomierensis moderatorem, quem deputavit Auxiliarem Exc. P. D. Eduardi Materski, Episcopi dioecesis Sandomierensis-Radomensis.

die 30 Aprilis. — Coadiutorem Mariliensem, Exc.mum P. D. Osvaldum Giuntini, hactenus Episcopum titularem Tunnunensem et Auxiliarem eiusdem sedis.

die 5 Maii. — Cathedrali Ecclesiae Zacatecolucanae, noviter erectae, R. P. Romaeum Tovar Astorga, Ordinis Fratrum Minorum sodalem.

CONGREGATIO PRO CLERICIS

EPISTULA

Praesidibus Conferentiarum Episcoporum missa: in mentem revocantur recentiores normae circa vestes chorales.*

Eminentissime (Excellentissime) ac Rev.me Domine,

Ut Eminentiae (Excellentiae) Tuae iam cognitum est, haec Congregatio pro Clericis, ex mandato Superioris Auctoritatis et post auditas sententias Conferentiarum Episcoporum ritus Latini, die 30 mensis Octobris anno 1970 nonnullas normas edidit spectantes ad vestes chorales Canonicorum, Clericorum Beneficiariorum et Parochorum.

Plus quam tribus quinquenniis ab eo die iam elapsis, constat generatim Capitula occursu huius temporis prompte obtemperavisse hisce normis, editis ad simpliciorem formam reddendas chorales vestes iuxta mentem Concilii Vaticani II et praescripta Constitutionis de Sacra Liturgia « Sacrosanctum Concilium ». Capitula tamen non defuerunt, quae, memoratis praescriptionibus plane neglectis, perrexerunt vestes et insignia illegitime adhibere, quae ad Canonicos non pertinent.

Spectatis difformibus his agendi rationibus, quae, pro dolor, adhuc animadvertuntur, hoc Dicasterium, dum hos abusus arbitrarie inductos deplorat, simul Ordinarios Dioecesanos invitat, ut sedulo invigilent rectae atque ordinatae observantiae vigentium de hac re praescriptionum.

Quo autem clarius pateat vis atque sensus normarum, quae iam editae sunt, Congregatio pro Clericis opportunum duxit hac super materia iterum intervenire, scilicet :

1. Confirmat atque inculcat praescriptiones latas die 30 mensis Octobris 1970.

2. Sollicitat Capitula ad observantiam can. 506, § 2 C.I.C., quo praescribitur ut recognoscantur Statuta Capitulorum ac definiantur, attentis normis a Sancta Sede latis, Canonicorum insignia.

3. Derogando praedictis normis, facultatem adhibendi mozetam

* Die 18 m. Martii a. 1987.

violacei coloris loco mozetae nigrae vel cinereae concedet in singulis casibus iis Capitulis, quae de consensu Ordinarii loci eam postulaverint.

4. Declarat vestes chorales a canonicis adhiberi posse in ecclesia cathedrali tempore celebrationum liturgicarum ; extra hanc sedem, id licet iis Canonicis, quos Episcopus ad suam gerendam personam in quibusdam circumstantiis deputaverit.

5. Pariter declarat Canonicos, qui a Sancta Sede quodam honorario titulo aucti sint, insignia huius tituli propria, tamquam vestem choralem adhibere non posse.

Dum rogo Te, Eminentissime (Excellentissime) Domine, ut ea omnia, quae supra exposita sunt, significare velis Excellentissimis Membris istius Conferentiae Episcopalis, hac libenter utor opportunitate me omni quo par est obsequio profitendi

Eminentiae (Excellentiae) Tuae addictissimum

ANTONIUS Card. INNOCENTI, *Praefectus*

© Gilbertus Agustoni, *a Secretis*

L. © S.

In Congr. pro Clericis tab., n. 180.217/1.

CONGREGATIO PRO GENTIUM EVANGELIZATIONE SEU DE PROPAGANDA FIDE

DECRETUM

LABRADORPOLITAN.-SCHEFFERVILLEN.

De definitione denominationis dioecesanae et mutatione Cathedrae Episcopalis.

Apostolicis sub plumbo Litteris « Adsiduo perducti studio)) die tertiodecimo mensis Iulii anno Domini 1967 a Summo Pontifice Paulo VI datis, in Canadensi dicione erecta fuit dioecesis Labradorensis-Schefferpolitana, uti suffraganea Ecclesiae metropolitanae Kivotinae-Lepasanae, et cuius sacra aedes cathedralis constituta fuit templum Cordi

Immaculato Beatae Mariae Virginis dicatum, in loco v. d. Schefferville. Postea autem, per Decretum die quarta mensis Septembris anno Domini 1976 ab hoc Sacro Consilio Christiano Nomini propagando datum, templum in honorem Beatissimae Virginis Mariae sub invocatione a Perpetuo Succursu, in loco v. d. Labrador City, exstans, ad dignitatem et fastigium concathedralis Ecclesiae evecta fuit, Episcopo pro tempore facultate data pro lubito in eodem loco residere.

Cum vero hisce postremis temporibus episcopalis residentia magis magisque in Labrador City locum habet, opportunum visum est ut praesens denominatio dioecesis ita permutaretur ut deinceps nuncupantur Labradorpolitana-Scheffervillensis, seu vulgo Labrador City-Schefferville. Itaque, Ecclesia hucusque concathedralis ibi exstans, a Perpetuo Succursu, deinceps cathedralis erit, servata concathedrali dignitate in loco Schefferville pro templo Immaculati Cordis Beatae Mariae Virginis.

Itaque, Sacrum hoc Dicasterium, vigore facultatum sibi a Sanctissimo Domino Nostro Ioanne Paulo divina Providentia Pp. II concessarum, supramemoratas propositiones, ad quamlibet ambiguitatem semovendam profuturam, audito Exc.mo ac Rev.mo Domino Angelo Palmas, Archiepiscopo titulo Vibianensi atque Apostolico in Canadia Pro-Nuntio, accipiendas censuit, adprobavit, ac praesens ad rem Decretum confici et expediri iussit.

Datum Romae, ex Aedibus eiusdem Sacrae Congregationis pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide, die vicesima septima mensis Aprilis anno Domini 1987.

IOSEPHUS Card. TOMKO, *Praefectus*

Carolus A. Schleck, C.S.C., *Subsecretarius*

L. & S.

In Congr. pro Gentium Evang. tab., n. 2068/87.

PROVISIO ECCLESIARUM

Ioannes Paulus divina Providentia Pp. II, latis decretis a Congregatione pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide, singulis quae sequuntur Ecclesiis sacros Pastores dignatus est assignare. Nimirum per Apostolicas sub plumbo Litteras praefecit:

die 80 Martii 1987. — Cathedrali Ecclesiae Christopolitanae R. D.

Ioannem Basilium Meeking, e clero eiusdem dioecesis, Subsecretarium ad Christianorum unitatem fovendam Secretariatus.

— Cathedrali Ecclesiae Kotakinabaluensi R. D. Ioannem Lee Yit Yau, e clero locali, eiusdem dioecesis Administratorem.

— Cathedrali Ecclesiae Pangkalpingensi R. P. Hilarium Moa Nurak, Societatis Verbi Divini, rectorem Seminarii minoris in oppido vulgo ((Mataloko » nuncupato archidioecesis Endehensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Fissianensi R. P. Iulium Ojeda Pascual, Ordinis Fratrum Minorum in Vicaria Peruviana Vicarium Provincialem, quem constituit Apostolicum Vicarium Sancti Raymundi Vicariatus.

— Titulari episcopali Ecclesiae Cubdensi R. P. Iosephum Mariam Izuzquiza Herranz, Societatis Iesu sodalem, hucusque Vicariatus Giennensis in Peruvia seu Sancti Francisci Xaverii Administratorem Apostolicum, quem Apostolicum constituit eiusdem Vicariatus Vicarium.

die 27 Aprilis. — Cathedrali Ecclesiae Bungomaënsi, noviter erectae in Keniana Dicione, R. D. Longinum Atundo, e clero kakamegaënsi Laicorumque Apostolatus Directorem necnon dioecesis Scholarum Institutionum Secretarium.

— Cathedrali Ecclesiae Labradorpolitanae-Scheffervillensi R. P. Henricum Goudreault, Missionariorum Oblatorum B. M. V. Immaculatae Superiorem Provincialem Sancti Ioseph provinciae Canadensis.

— Cathedrali Ecclesiae Barodensi R. P. Franciscum Braganza, Societatis Iesu Consiliarium quondam Generalem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Libertinensi R. D. Amandum Samo, e clero nativo, cathedralis paroeciae curionem, quem nominavit Auxiliarem Episcopi Carolinensium-Marchailensium dioeceseos.

— Titulari episcopali Ecclesiae Cenculianensi R. D. Laurentium Patricium Henry, Vicarium Generalem archidioecesis Civitatis Capitis, quem eiusdem archidioecesis deputavit Auxiliarem.

CONGREGATIO PRO CAUSIS SANCTORUM

DECRETA

I

VESTMONASTERIEN.

Canonizationis Servorum Dei Georgii Haydock, Sacerdotis et 84 Sociorum in odium fidei interfectorum in Anglia, Cambria et Scotia, inter annos 1584-1679.

SUPER DUBIO

An constet de martyrio eiusque causa, in casu et ad effectum de quo agitur.

((Sicut Magister ita et Apostoli auctoritatem legitimam civilem agnoverunt: "Non est enim potestas nisi a Deo" *docet Apostolus, qui exinde iubet:* "Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; ...qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit" *(Rom* 13, 1-2). *Simul autem non timuerunt contradicere potestati publicae se sanctae Dei voluntati opponenti:* "Oboedire oportet Deo magis quam hominibus" *(Act* 5, 29). *Hanc viam secuti sunt innumeri martyres et fideles per saecula et per orbem* » (Conc. Oec. Vat. II, Declaratio de libertate religiosa *Dignitatis humanae,* 11).

Quod clare elucet etiam in permultis Christifidelibus, qui, in Anglia, Cambria et Scotia, dira saeviente, saeculis decimo sexto et decimo septimo pervolventibus, persecutione contra assertores catholicae Fidei divinique Romani Pontificis primatus, ludibria et verbera, vincula et carceres et crudelissima quaeque supplicia perferentes, violentam passi sunt mortem.

In eorum numerum qui intra annos 1584 et 1679 ibidem catholicam Fidem sanguine obsignarunt, 85 Servi Dei veniunt, quos inter 22 sunt ex laicorum ordine, ceteri 63 sunt sacerdotes, inter quos 5 Ordinis S. Francisci Assisiensis, 2 ex Societate Iesu et 1 ex Ordine Fratrum Praedicatorum. Quorum quidem elenchus est sequens : 1. Hay-

dock Georgius, sacerdos dioecesanus; 2.3.4.5. Adams Ioannes, Atkinson Thomas, Bamber Eduardus, Beesley Georgius : sacerdotes dioecesani; 6. Bell Arturus, sacerdos Ordinis S. Francisci; 7.8.9.10. Belson Thomas, Bickerdike Robertus, Blake Alexander, Bowers Marmaducus : viri laici ; 11. Bretton Ioannes, laicus ; 12. Bullaker Thomas, sacerdos Ordinis S. Francisci; 13.14. Bürden Eduardus, Cadwallador Rogerus : sacerdotes dioecesani ; 15. Carter Villelmus, vir laicus ; 16.17.18.19.20.21. Crowe Alexander, Davies Villelmus, Dibdale Robertus, Douglas Georgius, Drury Robertus, Duke Edmundus : sacerdotes dioecesani; 22. Errington Georgius, laicus; 23. Filcock Rogerus, sacerdos Societatis Iesu ; 24.25. Fingley Ioannes, Flathers Matthaeus : sacerdotes dioecesani ; 26. Flower Richardus, laicus ; 27. Garlick Nicolaus, sacerdos dioecesanus; 28. Gibson Villelmus, laicus; 29. Grimston Radulfus, laicus; 30. Grissold Robertus, laicus; 31. Hambley Ioannes, sacerdos dioecesanus; 32. Hardesty Robertus, laicus; 33. Heath Henricus, sacerdos Ordinis S. Francisci ; 34.35.36. Hill Richardus, Hogg Ioannes, Holiclay Richardus : sacerdotes dioecesani ; 37. Horner Nicolaus, laicus ; 38.39.40. Hunt Thomas, Hunt Thurstanus, Ingleby Franciscus : sacerdotes dioecesani ; 41. Knight Villelmus, laicus ; 42. Lombton Iosephus, sacerdos dioecesanus ; 43. Lampley Villelmus, laicus ; 44.45. Lowe Ioannes, Ludlam Robertus : sacerdotes dioecesani ; 46. Meehan Carolus, sacerdos Ordinis S. Francisci ; 47. Middleton Robertus, sacerdos Societatis Iesu ; 48. Nichols Georgius, sacerdos dioecesanus ; 49. Norton Ioannes, laicus ; 5Q. Nutter Robertus, sacerdos Ordinis Fratrum Praedicatorum; 51.52.53. Osbaldeston Eduardus, Page Antonius, Palaser Thomas : sacerdotes dioecesani ; 54. Pike Villelmus, laicus; 55.56.57. Pilcher Thomas, Pormort Thomas, Postgate Nicolaus : sacerdotes dioecesani ; 58. Pritchard Humfridus, laicus ; 59. 60.61.62.63.64.65.66.67.68.69.70.71. Robinson Christoforus, Rowsham Stephanus, Sandys Ioannes, Scott Monfordus, Sergeant Richardus, Simpson Richardus, Snow Petrus, Southerne Villelmus, Spenser Villelmus, Sprott Thomas, Sugar Ioannes, Sutton Robertus, Sykes Edmundus : sacerdotes dioecesani ; 72. Talbot Ioannes, laicus ; 73.74.75.76.77. Taylor Hugo, Thomson Villelmus, Thorpe Robertus, Thüles Ioannes, Thwing Eduardus : sacerdotes dioecesani ; 78.79. Watkinson Thomas, Webley Henricus : viri laici ; 80.81. Wharton Christoforus, Wahitaker Thomas : sacerdotes dioecesani ; 82. Woodcock Ioannes, sacerdos Ordinis S. Francisci ; 83. Woofden Nicolaus, sacerdos dioecesanus ; 84. Wrenno Rogerus, laicus ; et 85. Yaxley Richardus, sacerdos dioecesanus.

Qui Famuli Dei statim ab eorum glorioso obitu ubique tamquam veri Christi martyres sunt habiti eaque fama constans perduravit. Attamen ob adversa temporis locorumque adiuncta, Causa de Beatorum Caelitum honoribus iisdem decernendis nonnisi post instauratam in Anglia catholicam hierarchiam agi coepta est. Tunc vetustissimis collectis documentis, processus ordinaria auctoritate instructus est apud Curiam ecclesiasticam Vestmonasteriensem super martyrio eiusque causa plurimorum Servorum Dei, qui pro catholica Fide retinenda et defendenda ultro supplicium passi sunt. Eiusmodi processu ad Apostolicam Sedem transmisso, Leo Papa XIII, servatis de iure servandis, commissionem introductionis Causae manu propria, uti moris erat, signavit exiitque Decretum Sacrae tum Rituum Congregationis die 9 Decembris anno 1886 editum.

Accuratae deinde ulteriores super martyrio eorundem Servorum Dei investigationes a peritis rerum historicarum viris sunt peractae atque Officio Hagiographico praefatae Congregationis commissae, cuius Consultores historici amplissimam ex officio concinnatam *Positionem* uno ore laudaverunt.

Hinc apud Congregationem pro Causis Sanctorum quaestio est agitata de martyrio et causa martyrii Servorum Dei, qui supra sunt recensiti, instante Causae postulatore Rev.mo P. Paulo Molinari, S. I., et quidem primum in Congressu Peculiari Consultorum Theologorum, die 13 mensis Maii a. 1986 habito, moderante Rev.mo D.no Antonio Petti, Fidei Promotore Generali. Deinde, die 7 Octobris anni 1986, in Congregatione Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, ponente Em.mo Domino Iosepho Caprio. Porro, in utroque Coetu, dubio posito num constaret de martyrio deque causa martyrii Servorum Dei Georgii Haydock et 84 Sociorum affirmativum responsum est datum.

De hisce omnibus facta per subscriptum Cardinalem Praefectum Summo Pontifici Ioanni Paulo II accurata relatione, Sanctitas Sua suffragia Congregationis pro Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut Decretum super martyrio eorundem Servorum Dei conscriberetur.

Quod cum rite factum esset, accitis hodierna die Cardinalibus Praefecto eiusdem Congregationis necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis ceterisque convocari solitis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit : *Constare de martyrio et de causa martyrii Servorum Dei Georgii Haydock, sacerdotis, et 8Jf Sociorum, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc Decretum publici fieret iuris et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 10 Novembris A. D. 1986.

PETRUS Card. PALAZZINI, *Praefectus*

L. ✠ S.

✠ Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

II

PHILADELPHIEN.

Canonizationis Servae Dei Catharinae Mariae Drexel, Fundatricis Congregationis Sororum a SS. Sacramento pro Indis et colorata gente (1858-1955).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

« In tanta donorum varietate omnes, qui ad praxim consiliorum evangelicorum a Deo vocantur eademque fideliter profitentur, Domino se peculiariter devovent, Christum sequentes, qui virgo et pauper (cf. *Mt 8,* 20 ; *Lc* 9, 58) per oboedientiam usque ad mortem Crucis (cf. *Phil* 2, 8) homines redemit et sanctificavit. Ita caritate impulsi, quam Spiritus Sanctus in cordibus eorum diffundit (cf. *Rom* 5, 5), magis magisque vivunt Christo et corpori Eius quod est Ecclesia (cf. *Col* 1, 24). Quo ferventius ergo tali sui donatione quae totam vitam complectitur, Christo coniunguntur, eo uberior fit vita Ecclesiae et apostolatus eius vegetius fecundatur » (Conc. Oec. Vat. II, Decretum de accomm. renov. vitae relig. *Perfectae Caritatis,* n. 1).

Quod abunde clareque apparet in vita quoque et actuositate Servae Dei Catharinae Mariae Drexel, ut ex dicendis patebit. Catharina Philadelphiae nata est (in Pennsylvania) die 26 mensis Novembris anno 1858. Filia Francisci Drexel, eius urbis eminentis argentarii, mense post ortum matre orbata est, sed a secunda patris uxore Emma Bouvier, amanter est educata.

Catharina eiusque duae sorores in condicione familiari vixerunt amore calente et in loco opulento amplissimae classis societatis Foederatarum Civitatum Americae Septentrionalis. Religio vero et caritas duo fundamenta erant familiae Drexel : pater pecunia multa Instituta catholica sustentabat, curae pauperum dedita; mater adoptiva nota erat uti « matrona bonitatis » ob suum constans egenorum studium.

Hic spiritus christianus, qui operibus caritatis exprimebatur, signum indelebile in puellula Catharina reliquit, opera praesertim novercae, quae eam frequenter secum circumducebat ad eleemosynas pauperibus largiendas ad eosque in suis domibus invisendos. Non est dubium quin vitae deprecationis impensique et impigri amoris erga miseriores et contemptiores semina ab infantia in anima Catharinae penitus sata sint.

Una cum caritate erga proximum inculcabatur ei necessitas veritatis fidei melius in dies cognoscendi : institutio religiosa ei in familia impertita et proximi amor effecerunt ut mature desiderarci suam aliis Domini et religionis cognitionem tradere. Hinc a puella cathechesi tradendae se dedidit.

Ad id Deus iam eam praeparabat, quod futurum erat apostolatus unicus et maximi momenti : evangelizatio videlicet Indorum et Nigritarum, iuncta cum impavido et animoso conatu eorum miserandam humanam condicionem levandi et obtinendi ut eorundem iura agnoscerentur.

Eius vita spirituali accrescente, Catharina animadvertebat se ad vitam consecratam trahi ; attamen eius magister spiritus, P. Iacobus 0'Connor (postea Episcopus Omahensis), ei suadebat ut in mundo maneret ubi, ut is opinabatur, multo plus pro Regno Dei facere poterat, spiritu et corpore Indorum missiones adiuvando. Quamvis hunc magistri sui monitum esset secuta, tamen eius consensu virginitatis votum nuncupavit, quo se impensius Domino donaret.

Hoc unum exoptabat : tota Domini esse, eum cognoscere, amare, eique quam optime servire.

Firma consilia christiana, quae Catharina exacuerat, a parentibus mota et amabiliter educata, iam stabilita propria vivendi ratione quod ad Deum et ad proximum pertinebat, effecerunt ut magis magisque arderet desiderio vitam suam consumendi in evangelizatione et humana atque sociali progressione Nigritarum et Indorum Americae. Anno 1888 eius magister spiritus Catharinae concessit id quod cupie-

bat, nempe ut religiosa fieret, dummodo missionaria esset pro Indis et Nigritis. Ita die 12 mensis Februarii, anno 1891, Catharina Congregationem Sororum a Sanctissimo Sacramento instituit cuius proprium erat humanam dignitatem restaurare eorum qui magna pars erant societatis Americanae, et tamen iurium socialium et politicorum erant expertes, simulque his revelationis lucem praebere, ut eosdem ad Christum adduceret.

Professionem religiosam faciens, praeter tria vota castitatis, paupertatis et oboedientiae, Catharina Drexel vovit etiam se Indorum et Nigritarum matrem et famulam esse futuram.

Haec praecipua sunt exempla vitae quae, vi hausta ex praesentia Christi inter nos, tota impensa est in illa industria apostolica missionali.

Dum longam egit vitam, Mater Catharina Drexel sexaginta fere scholas aperuit et missiones pro Nigritis et Indis, praecipue in civitatibus Occidentis et Meridiei -Americae. Opus fundatum clarissimum est « Xavier University » Novae Aureliae, in Ludoviciana : Catharina Drexel condere voluit hoc Institutum educationis superioris pro Nigritis, quoniam nulla Studiorum Universitas partis Meridianae Foederatarum Civitatum Americae Septentrionalis eos ut suos alumnos accipiebat.

Haec Studiorum Universitas, sicut etiam cetera omnia Instituta a Catharina Drexel condita, spectabat ut in scholasticis cognitionem augeret et aestimationem suae filiorum Dei dignitatis, itemque eorum facultates et ingenii virtutes quae, excultae, potestatem eis facturae erant professionem exercendi, vitae genus agendi, reditus fontem inveniendi et hoc modo honeste familian sustinendi.

Singulis annis Mater Catharina Drexel itinera faciebat magni laboris, ut praesens esset in missionibus iam conditis et novas aperiret. Hoc faciebat tamquam Antistita Generalis Congregationis a se institutae ; quod munus ei multotiens continuatum est usque ad annum 1937, quo anno perducta est ut prope omnino immobilis viveret. Sed inde potuit vitae adorationis et contemplationis se dedere, sicut a pueritia optaverat.

Serva Dei Catharina Drexel placide Philadelphiae mortua est die 3 mensis Martii, anno 1955. Dominum, quem in pauperibus et derelictis curavit, defenderat et amaverat; quem in Sanctissimo Sacramento adoraverat, eam ad se vocavit, haud dubie repetens illi verba : « Quam-

diu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis » *(Mt* 25, 40).

Responsio, quam Catharina Drexel dederat huic Christi voci, se tam ardenter conferens ad necessitates instantes et tamen ignoratas magnae partis Americanae societatis, ab ea postulaverat constans impigrae caritatis exercitium, explicatae iactura earum rerum, quas mundus hic offert et cuiuslibet commodi : caritatis actuosae, positae atque infixae in fide, et fultae immensa Dei fiducia.

Navitas, animus, perseverantia Matris Catharinae Drexel in Dei consiliis perficiendis, non illustrantur nisi fervida eius familiaritate cum Deo, qui eius vitae caput fuit et summa.

Sanctitatis fama, qua vivens quoque Famula Dei honestabatur, post obitum in dies percrebrescens, caelestibus signis visa est confirmari. Quamobrem factum est ut Causa de Beatorum Caelitum honoribus eidem decernendis agi coepta sit. Ubi primum igitur actoribus licuit, processus ordinaria potestate annis scil. 1966-1967 apud Curiam archiepiscopalem Philadelphiensem instructus est super fama sanctitatis vitae, virtutum et miraculorum in genere, super scriptis Dei Servae tributis et super cultu prohibito eidem non praestito, additis quoque tredecim processibus rogatorialibus. Quibus absolutis Romamque transmissis, Congregatio pro Causis Sanctorum decretum edidit, die 9 Novembris a. 1977, ad ulteriora procedi posse ex parte scriptorum eidem Servae Dei tributorum. Causa ita ipsa introducta est, probante Paulo Papa VI, per decretum diei 17 mensis Novembris anno 1979. Agnita est deinde, die 27 Iunii insequentis anni 1980, oboedientia Decretis Urbanianis super indebito cultu latis. Apostolica postmodum auctoritate adornatus est processus super virtutibus in specie apud eandem Philadelphiensem Curiam. Omnium autem processuum forma et vis iuridica agnita est per decretum diei 17 Decembris mensis a. 1983.

Servatis itaque omnibus de iure servandis, quaestio agitata est apud Congregationem pro Causis Sanctorum de virtutibus in specie praedictae Servae Dei, et quidem primum, die 14 mensis Novembris a. 1986, in Congressu Peculiari Consultorum Theologorum, moderante Domino Antonio Petti, Fidei Promotore Generali, astante Rev. Domino Roberto Sarno, Promotore Fidei ad casum deputato ; deinceps, die 13 Ianuarii subsequentis anni 1987, in Congregatione Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, ponente Em.mo Cardinali Iosepho Ca-

prio. Et in utroque Coetu proposito dubio num constaret de virtutum Servae Dei heroicitate responsum est prolatum affirmativum.

Tandem de hisce omnibus praehabitis facta per subscriptum Cardinalem Praefectum Summo Pontifici Ioanni Paulo II accurata et fideli relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis pro Causis Sanctorum libenter excipiens, praecepit decretum apparari super heroicis Servae Dei virtutibus.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter edixit : *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate, tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis in gradu heroico, Servae Dei Catharinae Mariale Drexel, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem Decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 26 Ianuarii A. D. 1987.

PETRUS Card. PALAZZINI, *Praefectus*

L. ✠ S.

© Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

III

REMEN.

Canonizationis Ven. Servi Dei Fratris Arnoldi (in saec.: Iulii Nicolai Rèche), ex Instituto Fratrum Scholarum Christianarum (1838-1890).

SUPER DUBIO

An constet de miraculo, in casu et ad effectum de quo agitur.

Natus die 2 mensis Septembris anno 1938 apud *Landroff,* intra Metensis dioeceseos fines, in Gallia, Servus Dei Frater Arnoldus, ad suos sublevandos operam suam locavit' ut servus et raedarius, exempla praebens laboriositatis et pietatis. Institutum Fratrum Scholarum Christianarum ingressus, munus magistri novitiorum, inter alia munia, exercuit. Exemplar factus ob regularem observantiam, in Domino ob-

dormivit nocte diei 23 Octobris anni 1890. Eum autem heroicas christianas virtutes coluisse Summus Pontifex Ioannes Paulus II, servatis de iure servandis, die 5 Iunii a. 1986 declaravit.

Sancta autem Mater Ecclesia ut tuto pede ad Beatorum Caelitum honores decernendos procedat divinum quoque miraculorum testimonium sapienter requirit. Quod Causae sollertes actores prae oculis habentes sanationem unam, prouti novum ius postulat, Apostolicae Sedi exhibuerunt, quae divinitus patrata, eodem Venerabili Servo Dei deprecatore, ferebatur. Porro, de mira dominae Mariae Delissey Depain sanatione agitur, quae, mense Novembri anno 1966, edita a medicis infausta prognosi quoad vitam, plene convaluit a linfooedemate superioris artus dexteri, post mastectomiam peractam iuxta methodum a Halstead vocatam, cum gravi impedimento functionali per quattuor annos et menses sex. A curatione medici, compluresque testes rati fuerunt agi de eventu praeternaturali.

Quapropter conditus est super eadem sanatione processus cognitionalis in Curia episcopali Bisuntina annis 1980-1981, cuius validitas et iuridica vis fuere agnitae per Decretum diei 11 Novembris a. 1983. Res deinde disceptata est, die 10 mensis Iulii a. 1986, in sessione Consilii Medici Congregationis pro Causis Sanctorum, cuius sodales unanimi sententia edixerunt eiusmodi sanationem perfectam, instantaneam atque constantem per naturae leges explicari non posse. Secuta est postmodum theologica discussio ; primum quidem, die 7 Novembris mensis anni eiusdem 1986, in Congressu Peculiari Consultorum Theologorum, moderante Rev.mo Domino Antonio Petti, Fidei Promotore Generali; deinde, die 20 Ianuarii insequentis anni 1987, in Congregatione Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, ponente Em.mo Cardinali Opilio Rossi. Et in utroque Coetu celebrato, proposito dubio utrum de miraculo constaret necne, responsum affirmativum prolatum est.

Facta denique de hisce omnibus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua responsum Congregationis ratum habens, praecepit Decretum super asserto miraculo apparari.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die Cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis, ceterisque convocari solitis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter edixit : *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Venerabilis Fratris Arnoldi (in saeculo: Iulii Nicolai Rèche) do-*

minae Mariae Delessey Depain a linfooedemate superioris artus dexteri, post mastectomiam peractam iuxta methodum a Halstead vocatam, cum gravi impedimento functionali per quattuor annos et menses sex.

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc Decretum publici fieret iuris et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 26 Ianuarii A. D. 1987.

PETRUS Card. PALAZZINI, *Praefectus*

L. & S.

© Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

IV

VERONEN.

Canonizationis Servi Dei Iosephi Baldo, Sacerdotis Parochi, fundatoris Parvarum Filiarum S. Ioseph.

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

« Sacerdotes vitalitatis Ecclesiae signum visibile sunt, viri fortes et humiles qui, clausa in pectore divinae vocationis voce, cotidie alte perspecta, hoc unum intendunt, hoc unum cogitant : ut Regnum Christi in animis disseminent ; ut Dominum dent — in Eucharistia ante omnia, sed et in verbo et in caritate — illi, qui eum esurit vel sitit aut deseruit vel est eius oblitus ; ut Ecclesiam aedificent, Civitatem Dei, in civitate hominum; testentur rerum terrestrium neglegentia, castitate, paupertate, aliquid esse divini, cui vitam consecrent, sine ulla spe terrena, et tamen vehementer, sincere, precando et patiendo, suos ament fratres, ut eos ad Deum alliciant » *(Insegnamenti di Paolo VI,* V [1967], Tip. Pol. Vaticana, 1968, pp. 793-94).

Talis fuit Servus Dei Iosephus Baldo, vir omnino evangelicus, verus presbyter, servus fidelis Spiritus propositi ; qui miro modo contemplatione cum actione temperata, exaequationem est adeptus suae ipsius sanctitatis et sanctitatis ministerialis, utpote qui crederei quod doceret

et quod crederet imitaretur (cf. Conc. Oec. Vat. II, Constitutio dogmatica de Ecclesia, *Lumen Gentium,* 28).

Piissimus sacerdos, sapiens educator, sedulus parochus, is potest in numerum ascribi eorum parochorum — S. Ioannis Baptistae Vianney (t 1859), beatorum Vincentii Romano (f 1831), Clementis Marchisio (f 1903), Vincentii Grossi (f 1917), et Venerabilis Iosephi Nascimbeni (f 1922) — qui in se lineamenta rettulerunt Supremi Pastoris, formae facti gregis (cf. *1 Pt* 5, 3).

Servus Dei natus est in vico lingua vernacula *Puegnago* appellato, intra fines provinciae Brixiensis et dioecesis Veronensis, die 19 mensis Februarii anno 1843 et postridie est gratia baptismatis renatus, nominibus acceptis Iosepho Daniele. Parentes eius, Angelus Baldo, agricola probus et operosus, et Hippolyta Casa, obstetrix, mulier firmae fidei, austera, bona educatrix, credentes erant et religionum cultores; mater praesertim, quae, ubi primum in filio indicium vocationis ad sacerdotium apparuit, hanc ei optionem dedit, ut aut bonus presbyter esset, aut nihil.

Puer acris ingenii, indolis fortis et adamantinae, in serium convertit admonitum maternum ; prompta voluntate curavit ut in pietate progrederetur, iam tum se exercens in explicandis humanis christianisque virtutibus, valida actioni Spiritus basi. Rationem vitae sibi statuit certam et rigidam, in qua ad mortem usque mansit, nempe orationem, studium, laborem, continentiam.

Salodii studiis gymnasii confectis, anno 1858 est seminarium Veronense ingressus, ubi enituit firmo et constanti studio sanctitatis, fervore pietatis, diligenti observantia disciplinae, studiorum sedulitate et successu.

Die 15 mensis Augusti anno 1865 ordinatus sacerdos, missus est uti Vicarius cooperator ad paroeciam suburbanam pagi italice *Montorio* vocati; ibique unum mansit annum, quo exacto, ob pastoralem navitatem et egregias facultates, eum Episcopus dominus Aloisius di Canossa arcessivit, ut gravi munere fungeretur Vicarii Rectoris Ephebei Episcopalis, seminario adiuncti. Ibi undecim annos ostendit se valentem et probatum educatorem, adeo ut tempus, quo illud sustinuit munus, iure definitum sit Instituti aetas aurea.

Pro certo habens futura societatis et Ecclesiae cum formatione iuvenum esse coniuncta, multis opibus et diligenti caritate connisus est sic eos formare, ut homines perfecti essent et christiani maturi atque officiorum suorum conscii.

Prudenter temperando rationem Sancti Ioannis Bosco ad praecavendum aptam cum ratione severiore eius aetatis, institutionem composuit ad educationem, veritatis cognitionem ad amorem boni, scientiam ad pietatem, necessitates et optata cuiusque ad operam bono communi navatam. Iuste scripsit : « Ephebeum schola est, in qua mens et cor instituuntur, in qua scientia et sapientia discuntur ».

Pro suis iuvenibus « Novas Regulas disciplinae » composuit, ortas ex rebus penitus perspectis, perspicientia psychologica et propria ipsius experientia; duo laude digna volumina Meditationum, quorum prius typis exscriptum vulgatum est, et enchiridion precum.

Alienissimus a qualibet indulgentia erga proclivitatem naturae, sicut et a qualibet iansenistica desperatione, operis institutorii fundamentum egit deprecationem, vitam in sacramentis collocatam et moderationem spiritus. Conscius mediocritatis humanae naturae et iuvenum ingeniorum observans, pro quibus affirmabat : « Paratus sum ad vitam devovendam », spectavit magis ut persuaderei, quam ut cogeret, firmitatem cum lenitate et morum mansuetudine iungens.

Vix continendo motus animarum amore, maioris et impensioris industriae pastoralis cupidus, petiit et obtinuit ab Episcopo paroeciam Ronchi ad Athesim, magni rustici pagi planorum Veronensium, cuius incolae, operarii quaestui habiti a paucis latifundiorum possessoribus, vivebant in ignorantia et in inopia atque egestate, pellis aegrae morbo corrupti indeque faciles ad exardescendum odio clericorum et socialismo marxistico, tunc exoriente.

Cum eiusmodi res essent, quas globus scelestorum osorum cleri regebat, Famulus Dei inductus est ad intrandum in paroeciam caligine tectus die 17 mensis Novembris vesperi, anno 1877. Postridie mane, veniens in conspectum populi uti parochus, apertissimo et firmo animo suum consilium exposuit se utique iis addicendi, quod numquam deseruit duodequadraginta annis ministerii, profitens se pastorem, patrem, omnium amicum.

Cum praecipuum parochi officium positum sit in praedicatione et institutione christianae doctrinae et peculiari cura pueros et iuvenes formandi (cf. *C. I. C,* cc. 761, 528), Servus Dei, quo veritates fidei faciliores et comprehensibiliores et christianae doctrinae de moribus principia clariora redderet multitudini rusticae et indoctae, aestimabilem composuit catechismum, cuius res penitus intellectae, fierent omnibus « fons vitae christianae et singulorum et communitatum » (Ioannes Paulus II, Adhortatio Apostolica, *Catechesi Tradendae,* 55).

Eucharistia, quam is definivit « panem intellegentiae, quoniam usum studiosum dat legis Domini », eius vitae spiritalis eiusque industriae pastoralis caput fuit.

Ut vitam sacramentalem augeret in paroecia et ad exercitium religionis remotos alliceret, variis coeptibus et opibus templi splendorem curavit et sacrarum liturgicarum celebrationum decus, ut fideles aedificarentur « in habitaculum Dei in Spiritu » (Conc. Oec. Vat. II, Constitutio de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* 2).

Persuasum sibi habens novis temporibus iam se ostendentibus opponi non posse virtutem mediocrem et enervem doctrinam, populum suum praeivit in querendo iusto exitu multarum et instantium quaestionum in quibus hic versabatur.

« Temporibus novis, remedia nova : iam tandem est agendum », aiebat, ideoque egit, popularem offensionem oppetens animo ministri Evangelii et sacerdotis animarum pastoris, prudentis simul et fortis, singulari diligentia praediti, quam amor cotidiani officii exsequendi suadebat. Hac simplici, definita, sedula ratione interpretabatur suum « facere ordinaria non ordinarie » et « ambulare coram Deo ut ei placeam ».

Praecursor propensionum Concilii Vaticani II, omnibus aetatibus, quo apostolico erat ardore, locum praebuit pastoralem ad formationem idoneum, ad eruditionem et ad custodiam vitae christianae, moralis et professoriae : Ludus et disciplina pueritiae et « Societas florum », et Oratoria ; Schola Laboris et Gymnasium paroeciale ; Consociatio ad suppetias mutuo ferendas et Sodalitas operariorum et Mensa ad ruricularum mutuationes; Consociatio Adorationis Eucharisticae et Consilium Paroeciale; Ancillae Caritatis, quae aegrotis domi assiderent, et Valetudinarium-Hospitium pro aegris pauperibus et senibus: haec Instituta fuerunt, in quibus aetatibus illis pastoralis idoneus locus praebitus est.

Insomnem curam, quam de suis paroecianis adhibebat, ne gravis quidem migrationis effugit quaestio, verae eius temporis societatis calamitas, cuius certum testimonium est eius « Decalogus domo emigranti^ », verum breviarium caritatis et actionis pastoralis valde humanae et christianae.

Sincerus presbyter Ecclesiam ardenter dilexit, eius praedicavit doctrinam et defendit, proprietates laudibus sustulit. Epistulas Encyclicas pontificias alterum Evangelium esse duxit; ex iis suam didicit doctrinam et apostolatum. Encyclicae <(Rerum Novarum » praecipue

fuit perspicax et sollers antecursor, quae eius actionis pro societate *lex princeps* fuit.

Adeo mente acutus, ut « signa temporum » praesagiret pro formis magis idoneis et aptioribus pastoralis paroecialis, mulieris condicionem provehendam curavit et sociatam laicorum operam (cf. *C.I.C.*, can. 528).

Non communibus difficultatibus et inimicitiis superatis et sui iniecta admiratione ob virtutem et probitatem atque pastoralem navitatem, effecit ut Ronchi paroecia exemplo esset.

Ut quam aptissime, efficientia et constantia gravibus et urgentibus paroeciae necessitatibus succurreret, anno 1894, a Matre adiutus Hippolyta Forante, forti et miti muliere, Congregationem Parvarum Filiarum a Sancto Ioseph instituit, cuius est senibus et aegrotis assidere atque infantes iuvenesque educare.

Nunc Filiae Servi Dei Iosephi Baldo suum explent munus in nonnullis Italiae regionibus, in Helvetia, in Kenia et in Brasilia. Ab eo, patre et magistro, didicerunt quo modo laete in magna paupertate viverent et in evangelica simplicitate, Providentiae caelestis Patris et Sancti Ioseph tutelae se credentes. Communicavit cum eis quae ipse didicerat et explicaverat Sanctum Nazarethanum Fabrum imitando : spiritum precationis, studium laboris, silentii, incommodorum susceptionem, sedulam caritatem, industriam apostolicam, humilitatis tractationem, constans exercitium moderatae austeritatis, quae accipit et sanctificat gaudia et dolores, consilia adorans divinae voluntatis.

Sed Servus Dei eminuit praecipue inter populum suum excellentia virtutum et constanti voluntate contendendi ad perfectionem, fultus postea voto expresso « perfectissimum » persequendi.

Eius actio pastoralis nova et alacris, appetens ferendi fermentum Evangelii in omnes campos, a fide viva proficiscebatur et operosa, ab inconcussa spe, a caritate, facta Dei eiusque voluntatis continenti conquisitione et invicta proclivitate se fratribus addicendi.

Laboriosa initia Congregationis ab eo conditae eius singularem virtutem lacessiverunt, iam adeptam per fidelitatem erga Dominum, per ministerii sacerdotalis exsecutionem. Quae singularis virtus, eius caritatem in lucem proferens, paupertate, prudentia, iustitia et fortitudine eum expolivit, quas in condicione in dies nitidiore spiritus supernaturalis exercitavit. Ita humilis et mitis ut iniurias optaret et Domino gratias ageret, quotiens eas dono daret ei, se ad modum servi inutilis Evangelii iudicavit (cf. *Lc* 17, 10). Ut ardenti indoli suae tempera-

ret, mite et humile Cor Christi sibi proposuit ad imitandum et amabilem Sancti Francisci Salesii lenitatem.

Sed ut esset Sacerdotis Aeterni dignus minister, etiam tum deerat ei uti victimam illum exprimere. Gratiam a Domino postulaverat longi et acerbi morbi, quo scoriis humanae fragilitatis purificantur, et est exauditus. Duos et viginti menses inenarrabiles dolores passus est; excellens et plena immolatio silentio consummata, in assidua precatione et oblatione.

Virginem Sanctam invocans, sacerdotii sui fulgidam stellam, cuius semper laudes celebraverat et cultum propagaverat, die 24 mensis Octobris anno 1915 Servus Dei animam efflavit virtutibus et meritis exornatus, sanctus existimatus ; quae fama deinde semper increbuit. Qua re inita est Canonizationis Causa per celebrationem Processus Informativi Ordinarii (annis 1955-1957) apud Curiam Veronensem instructi. Servatis de iure servandis. Causa introducta est apud Sanctam Sedem die 11 mensis Iunii anno 1977 post proditum Decretum super scriptis anno 1962. Instructus est postea Processus Apostolicus, item Veronae, ab anno 1978 ad annum 1979.

Instituta postmodum quaestione de virtutibus Servi Dei in specie, disceptatum est apud Congregationem pro Causis Sanctorum primum, die 23 Septembris anno 1986, in Congressu Peculiari Consultorum theologorum, moderante Rev.mo Domino Antonio Petti, Promotore Generali Fidei ; deinde, die 20 Ianuarii insequentis anni 1987, in Congregatione Ordinaria Patrum Cardinalium, ponente Causae Em.mo Cardinali Mario Aloisio Ciappi. Et utroque in Coetu dubio num Servus Dei Iosephus Baldo christianas virtutes heroum modo excoluisset affirmative datum est responsum.

De hisce omnibus facta demum per subscriptum Cardinalem Praefectum Summo Pontifici Ioanni Paulo II fideli et accurata relatione, Sanctitas Sua suffragia Congregationis libenter excipiens, mandavit ut Decretum super heroicis Servi Dei virtutibus conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die Cardinalibus Praefecto Congregationis necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis ceterisque de more convocandis, iisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter edixit : *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Iosephi Baldo, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem Decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis referri praecepit.

Datum Romae, die 26 Ianuarii A. D. 1987.

PETRUS Card. PALAZZINI, *Praefectus*

L. © S.

© Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Udienza Ufficiale per la presentazione delle Lettere Credenziali:

Lunedì, 27 Aprile, S. E. il Signor KYUNG CHUL KIM, Ambasciatore di Corea presso la Santa Sede.

Ha, altresì, ricevuto in Udienza:

Venerdì, 24 Aprile 1987, il Signor JAVIER PÉREZ DE CUELLAR, Segretario generale delle Nazioni Unite.

Da Martedì 31 Marzo a Lunedì 13 Aprile 1987, il Santo Padre si è recato in Apostolico pellegrinaggio in Uruguay, Cile ed Argentina.

Da Giovedì 30 Aprile a Lunedì 4 Maggio 1987 il Santo Padre si è recato in Apostolico pellegrinaggio nella Repubblica Federale Tedesca.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Breve Apostolico il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

25 aprile 1987. S. E. mons. Manuel Monteiro de Castro, Arcivescovo tit. di Benevento, *Pro-Nunzio Apostolico in Antigua e Barbuda.*

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

7 marzo 1987. Il Dr. Karol Krcmery, *Consultore della Pontificia Commissione per la Pastorale delle Migrazioni e del Turismo.*

13 » » I Padri: Domingo Andres, C. M. F.; Velasio De Paolis, C. S.; Gianfranco Ghirlanda, S.I.; Francisco Iglesias, O. F. M. Cap.; Aldo Poggi, S. S. P.; Celso Volcan, O. F. M., *Consultori della Congregazione per i Religiosi e gli Istituti Secolari.*

26 marzo 1987. S. E. mons. Theodore Edgar Me Carrick, Arcivescovo di Newark, *Consultore della Pontificia Commissione per la Pastorale delle Migrazioni e del Turismo.*

14 aprile » P. Gianfranco Girotti, O.F.M. Conv., *Capo Ufficio nella Congregazione per la Dottrina della Fede.*

» » » S. E. mons. Alfredo Noriega Arce, Vescovo tit. di Muzia; P. Michael Louis Fitzgerald, P. A., Segretario del Segretariato per i non Cristiani; il sac. Konrad Feiereis; il sac. Joseph Kariuki; il sac. Jean-Pierre Ranga; P. Spiro Marasovic, 0. F. M.; P. Antonio Wenger, A. A.; il Prof. Kaspar Kallan, *Consultori del Segretariato per i non credenti.*

» » » S. E. mons. José da Cruz Policarpo, Vescovo tit. di Caliabria; S. E. mons. Pablo Jaime Galimberti di Vietri, Vescovo di San José de Mayo; il sac. José de Jesús Herrera Aceves; il sac. Fernando Mervyn; il prof. Jean Landriere, *Consultori del Segretariato per i non credenti.*

24 » P. José Loza Vera, O.P., *Membro della Pontificia Commissione Biblica.*

7 maggio Gli Em.mi Signori Cardinali John Joseph Krol, Juan Carlos Aramburu, Jaime L. Sin, *Membri della Prefettura per gli affari economici della Santa Sede « in aliud quinquennium ».*

Si rende noto agli aventi interesse che in data 13 aprile 1987 il comm. Angelo Sironi è stato nominato Amministratore Delegato e Legale Rappresentante della « *Peregrinatio ad Petri Sedem* ».

NECROLOGIO

1 aprile 1987. Mons. Antonio Ona De Echave, Vescovo emerito di Lugo *(Spagna).*

7 » » Mons. John Bong-Kil Sye, Arcivescovo emerito di Tae Gu *(Corea).*

8 » » Mons. Pierre Martin Arcivescovo emerito di Noumea *(Nuova Caledonia).*

» » » Mons. Kevin McNamara, Arcivescovo di Dublino *(Irlanda).*

25 » » Mons. José López Lara, Vescovo di San Juan de Los Lagos *(Messico).*

29 » » Mons. Isaac Mar Youhanon Kootta Lakil, Vescovo di Tiruvalla dei Siro Malankaresi *(India).*

1 maggio » Mons. Dominic Abreo, Vescovo di Aurangabad *(India).*

4 » » Mons. Luis Clemente de la Vega, Vescovo di Tulcan *(Ecuador).*

An. et vol. LXXIX **5 Iunii 1987** **N. 6**

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: **Palazzo Apostolico - Città del Vaticano** — *Administratio:* **Libreria Editrice Vaticana**

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

DECRETA

I

AESERNIENSIS ET VENAFRENSIS

De plena dioecesium unione.

Instantibus votis obsecundans Concilii Oecumenici Vaticani II quod attinet ad aptiorem circumscriptionum ecclesiasticarum compositionem (cf. CD. 22-23), Congregatio pro Episcopis — quae sub Ioannis XXIII fel. rec. Pontificatu, eius directoriis normis ducta, huiusmodi quaestionis studium iam inchoaverat — tempestivo tempore Italiae episcopos intentos fecit ad problema de dioecesium recognitione in Italia.

Postea, iussu Summi Pontificis Pauli VI fel. rec, haec eadem Congregatio, communi consilio agens cum Conferentia Episcopali Italiae eiusdemque actuosa fruens cooperatione, abhinc plusquam viginti annos gradatim ac progredienti ratione opus suscepit novo ordine disponendi dioeceses Italiae, quae communi hominum opinione nimis multae censentur neque omnes satis pollent vigore ob territorii, incolarum numeri et pastoralis instructus exiguitatem. Quo in opere absolvendo hoc semper fuit propositum, ut in unaquaque dioecesi magis perspicua natura Ecclesiae pateret, atque episcopus apte et efficaciter omnia sua munera explere posset, prout religiosae, spirituales ac morales neces-

sitates, necnon societatis et culturae mutationes, quae hodie in cursu sunt, magis magisque postulant.

Directoriae normae clare a Concilio impertitae de dioecesium recognitione; indicia atque elementa apta ad actionem pastoralem aestimandam ab episcopis suppeditata quibus plurium dioecesium regimen commissum est; itemque petitiones a variis partibus Sanctae Sedi exhibitae ut arctiori adhuc unitati talium dioecesium consuleret, immo etiam plenae earundem unioni : haec omnia causa fuerunt, cur profundiori investigationi huiusmodi problema subiectum sit; ad quod quidem rite expendendum, adiutricem contulerunt operam Consilium pro Publicis Ecclesiae Negotiis, Nuntiatura Apostolica in Italia et Conferentia Episcopalis huius nationis.

Quod autem effecit ut haec studia adhuc magis urgerent atque opportuna evaderent, vis legis fuit die 3 iunii 1985 normis tributa, quae recentioribus Pactis initis inter Sanctam Sedem et Gubernium Italicum continentur ; quibus quidem normis statuitur hinc « Circumscriptionem dioecesium (...) ab auctoritate ecclesiastica libere constitui » (art. 3/1 Pac torum diei 18 februarii 1984) ; illinc vero dioeceses iure canonico constitutas adipisci posse, iuridicam personalitatem in iure civili italico (cf. art. 29 Normarum quae approbatae sunt per Protocollum diei 15 novembris 1984).

Horum omnium laborum conclusiones subiectae sunt iudicio Summi Pontificis Ioannis Pauli II, qui in Audientia diei 27 septembris anni 1986 criteria adhibita approbavit atque Congregationi pro Episcopis speciales facultates contulit, ut procedere possit ad ea exsequenda, quae proposita sunt, et ad adimplenda quae necessaria videantur.

Vi criterii generalis, quo statuitur ut in unum coalescant circumscriptiones ecclesiasticae usque adhuc pastorali curae unius Episcopi commissae, etiam pro dioecesibus unitis Aeserniensi et Venafrensi Congregatio pro Episcopis praesenti Decreto plenam earum unionem decernit.

1) Dioecesis nova hac structura praedita sedem habebit in urbe Aeserniensi, ubi hodierna Ecclesia Cathedralis proprium hunc titulum servat.

2) Denominatio dioecesis haec erit « Dioecesis Aeserniensis-Venafrensis ».

3) Hodierna Ecclesia Cathedralis urbis Venafrensis titulum sumet Concathedralis, in memoriam eius inditae et veteris traditionis.

4) Unicum habebitur Capitulum Cathedrale, quod quidem erit Capitulum Ecclesiae Cathedralis sedis episcopalis.

Capitulum autem Ecclesiae Cathedralis alterius dioecesis plene unitae nomen sumet Capituli Concathedralis.

5) Pariter unica erit Curia Episcopalis, itemque Tribunal ecclesiasticum, Seminarium, Collegium Consultorum, Consilium Presbyterale, Consilium Pastorale, Institutum clericorum sustentationi praepositum, organa apostolatus et alia quaelibet instituta dioecesana, quae vigenti iure canonico praevidentur, facta Episcopo potestate amovendi a sede dioecesis et alio transferendi nonnulla officia administrativa.

6) Sancti Patroni singularum dioecesium, quae in unum coalescunt, colentur Patroni novae dioecesis.

7) Sacerdotes et diaconi, qui hucusque uni ex dioecesibus unitis incardinati erant, posthac incardinati censentur novae dioecesi quae ex unione orta est.

8) Nova circumscriptio ecclesiastica in territorio suo includet et comprehendet territoria, quae ad unamquamque dioecesim unitam hodie pertinent.

9) Una cum territorio paroeciarum, quae hucusque pertinebant ad singulas dioeceses unitas, censentur adnexa novae ecclesiasticae circumscriptioni etiam instituta ecclesiastica cum suis bonis atque iuribus quae ad ipsa quoquo modo spectent, ad normam can. 121 vigentis Codicis Iuris Canonici.

Pater ac Pastor in regimine dioecesis esse perget Exc.mus ac Rev.mus Dominus Hector Di Filippo, Episcopus Aeserniensis-Venafrensis, cui Congregatio pro Episcopis confert mandatum ad exitum perducendi exsecutionem praedictarum dispositionum cum necessariis omnibus facultatibus.

Expleto mandato, idem Exc.mus Praesul documenta rediget, quae ad eandem Congregationem authentico exemplari quam primum transmittenda curabit, quibuslibet contrariis non obstantibus.

Ipse praeterea omnia in sua luce ponere studebit, ut inita provisio, recte intellecta quoad veram suam significationem, ab omnibus accipiatur sereno animo ac prompto dandae operae ut, quemadmodum

aequum est, nova dioecesis reapse communitas evadat ad Regnum Dei in vitae actionem traducendum idemque propagandum magis magisque intenta.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Episcopis, die 30 mensis septembris anno 1986.

ffi BERNARDINUS Card. GANTIN, *Praefectus*

© Lucas Moreira Noves, O.P.
Archiepiscopus tit. Peraditanus Maior, *a Secretis*

L. & S.

In Congr. pro Episcopis tab., n. 847/86.

- II
ALGARENSIS ET BOSANENSIS

De plena dioecesium unione.

Instantibus votis obsecundans Concilii Oecumenici Vaticani II quod attinet ad aptiorem circumscriptionum ecclesiasticarum compositionem (cf. CD. 22-23), Congregatio pro Episcopis — quae sub Ioannis XXIII fel. rec. Pontificatu, eius directoriis normis ducta, huiusmodi quaestionis studium iam inchoaverat — tempestivo tempore Italiae episcopos intentos fecit ad problema de dioecesium recognitione in Italia.

Postea, iussu Summi Pontificis Pauli VI fel. rec, haec eadem Congregatio, communi consilio agens cum Conferentia Episcopali Italiae eiusdemque actuosa fruens cooperatione, abhinc plusquam viginti annos gradatim ac progredienti ratione opus suscepit novo ordine disponendi dioeceses Italiae, quae communi hominum opinione nimis multae censentur neque omnes satis pollent vigore ob territorii, incolarum numeri et pastoralis instructus exiguitatem. Quo in opere absolvendo hoc semper fuit propositum, ut in unaquaque dioecesi magis perspicua natura Ecclesiae pateret, atque episcopus apte et efficaciter omnia sua munera explere posset, prout religiosae, spirituales ac morales necessitates, necnon societatis et culturae mutationes, quae hodie in cursu sunt, magis magisque postulant.

Directoriae normae clare a Concilio impertitae de dioecesium recognitione ; indicia atque elementa apta ad actionem pastoralem aestimandam ab episcopis suppeditata quibus plurium dioecesium regimen commissum est; itemque petitiones a variis partibus Sanctae Sedi exhibitae ut arctiori adhuc unitati talium dioecesium consuleret, immo etiam plenae earundem unioni : haec omnia causa fuerunt, cur profundiori investigationi huiusmodi problema subiectum sit; ad quod quidem rite expendendum, adiutricem contulerunt operam Consilium pro Publicis Ecclesiae Negotiis, Nuntiatura Apostolica in Italia et Conferentia Episcopalis huius nationis.

Quod autem effecit ut haec studia adhuc magis urgerent atque opportuna evaderent, vis legis fuit die 3 iunii 1985 normis tributa, quae recentioribus Pactis initis inter Sanctam Sedem et Gubernium Italicum continentur ; quibus quidem normis statuitur hinc ((Circumscriptionem dioecesium (...) ab auctoritate ecclesiastica libere constitui » (art. 3/1 Pactorum diei 18 februarii 1984) ; illinc vero dioeceses iure canonico constitutas adipisci posse, iuridicam personalitatem in iure civili italico (cf. art. 29 Normarum quae approbatae sunt per Protocollum diei 15 novembris 1981).

Horum omnium laborum conclusiones subiectae sunt iudicio Summi Pontificis Ioannis Pauli II, qui in Audientia diei 27 septembris anni 1986 criteria adhibita approbavit atque Congregationi pro Episcopis speciales facultates contulit, ut procedere possit ad ea exsequenda, quae proposita sunt, et ad adimplenda quae necessaria videantur.

Vi criterii generalis, quo statuitur ut in unum coalescant circumscriptiones ecclesiasticae usque adhuc pastorali curae unius Episcopi commissae, etiam pro dioecesibus unitis Algarensi et Bosanensi Congregatio pro Episcopis praesenti Decreto plenam earum unionem decernit.

1) Dioecesis nova hac structura praedita sedem habebit in urbe Algarensi, ubi hodierna Ecclesia Cathedralis proprium hunc titulum servat.

2) Denominatio dioecesis haec erit « Dioecesis Algarensis-Bosanensis ».

3) Hodierna Ecclesia Cathedralis urbis Bosanensis titulum sumet Concathedralis, in memoriam eius inçlitae et veteris traditionis.

4) Unicum habebitur Capitulum Cathedrale, quod quidem erit Capitulum Ecclesiae Cathedralis sedis episcopalis.

Capitulum autem Ecclesiae Cathedralis alterius dioecesis plene unitae nomen sumet Capituli Concathedralis.

5) Pariter unica erit Curia Episcopalis, itemque Tribunal ecclesiasticum, Seminarium, Collegium Consultorum, Consilium Presbyterale, Consilium Pastorale, Institutum clericorum sustentationi praepositum, organa apostolatus et alia quaelibet instituta dioecesana, quae vigenti iure canonico praevidentur, facta Episcopo potestate amovendi a sede dioecesis et alio transferendi nonnulla officia administrativa.

6) Sancti Patroni singularum dioecesium, quae in unum coalescunt, colentur Patroni novae dioecesis.

7) Sacerdotes et diaconi, qui hucusque uni ex dioecesibus unitis incardinati erant, posthac incardinati censentur novae dioecesi quae ex unione orta est.

8) Nova circumscriptio ecclesiastica in territorio suo includet et comprehendet territoria, quae ad unamquamque dioecesim unitam hodie pertinent.

9) Una cum territorio paroeciarum, quae hucusque pertinebant ad singulas dioeceses unitas, censentur adnexa novae ecclesiasticae circumscriptio^ etiam instituta ecclesiastica cum suis bonis atque iuribus quae ad ipsa quoquo modo spectent, ad normam can. 121 vigentis Codicis Iuris Canonici.

Pater ac Pastor in regimine dioecesis esse perget Exc.mus ac Rev.mus Dominus Ioannes Pes, Episcopus Algarensis-Bosanensis, cui Congregatio pro Episcopis confert mandatum ad exitum perducendi exsecutionem praedictarum dispositionum cum necessariis omnibus facultatibus.

Expleto mandato, idem Exc.mus Praesul documenta rediget, quae ad eandem Congregationem authentico exemplari quam primum transmittenda curabit, quibuslibet contrariis non obstantibus.

Ipse praeterea omnia in sua luce ponere studebit, ut inita provisio, recte intellecta quoad veram suam significationem, ab omnibus accipiatur sereno animo ac prompto dandae operae ut, quemadmodum aequum est, nova dioecesis reapse communitas evadat ad Regnum Dei in vitae actionem traducendum idemque propagandum magis magisque intenta.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Episcopis, die 30 mensis septembris anno 1986.

© BERNARDINUS Card. GANTIN, *Praefectus*

© Lucas Moreira Neves, O.P.
Archiepiscopus tit. Feraditanus Maior, *a Secretis*

L. © S.

In Congr. pro Episcopis tab., n. 986/86.

III

ALIPHANAE ET CAIACENSIS

De plena dioecesium unione.

Instantibus votis obsecundans Concilii Oecumenici Vaticani II quod attinet ad aptiorem circumscriptionum ecclesiasticarum compositionem (cf. CD. 22-23), Congregatio pro Episcopis — quae sub Ioannis XXIII fel. rec. Pontificatu, eius directoriis normis ducta, huiusmodi quaestionis studium iam inchoaverat — tempestivo tempore Italiae episcopos intentos fecit ad problema de dioecesium recognitione in Italia.

Postea, iussu Summi Pontificis Pauli VI fel. rec, haec eadem Congregatio, communi consilio agens cum Conferentia Episcopali Italiae eiusdemque actuosa fruens cooperatione, abhinc plusquam viginti annos gradatim ac progredienti ratione opus suscepit novo ordine disponendi dioeceses Italiae, quae communi hominum opinione nimis multae censentur neque omnes satis pollent vigore ob territorii, incolarum numeri et pastoralis instructus exiguitatem. Quo in opere absolvendo hoc semper fuit propositum, ut in unaquaque dioecesi magis perspicua natura Ecclesiae pateret, atque episcopus apte et efficaciter omnia sua munera explere posset, prout religiosae, spirituales ac morales necessitates, necnon societatis et culturae mutationes, quae hodie in cursu sunt, magis magisque postulant.

Directoriae normae clare a Concilio impertitae de dioecesium recognitione ; indicia atque elementa apta ad actionem pastoralem aestimandam ab episcopis suppeditata quibus plurium dioecesium regimen commissum est; itemque petitiones a variis partibus Sanctae Sedi exhibitae ut arctiori adhuc unitati talium dioecesium consuleret, immo

etiam plenae earundem unioni : haec omnia causa fuerunt, cur profundiori investigationi huiusmodi problema subiectum sit ; ad quod quidem rite expendendum, adiutricem contulerunt operam Consilium pro Publicis Ecclesiae Negotiis, Nuntiatura Apostolica in Italia et Conferentia Episcopalis huius nationis.

Quod autem effecit ut haec studia adhuc magis urgerent atque opportuna evaderent, vis legis fuit die 3 iunii 1985 normis tributa, quae recentioribus Pactis initis inter Sanctam Sedem et Gubernium Italicum continentur ; quibus quidem normis statuitur hinc « Circumscriptionem dioecesium (...) ab auctoritate ecclesiastica libere constitui » (art. 3/1 Pactorum diei 18 februarii 1984) ; illinc vero dioeceses iure canonico constitutas adipisci posse, iuridicam personalitatem in iure civili italico (cf. art. 29 Normarum quae approbatae sunt per Protocollum diei 15 novembris 1984).

Horum omnium laborum conclusiones subiectae sunt iudicio Summi Pontificis Ioannis Pauli II, qui in Audientia diei 27 septembris anni 1986 criteria adhibita approbavit atque Congregationi pro Episcopis speciales facultates contulit, ut procedere possit ad ea exsequenda, quae proposita sunt, et ad adimplenda quae necessaria videantur.

Vi criterii generalis, quo statuitur ut in unum coalescant circumscriptiones ecclesiasticae usque adhuc pastorali curae unius Episcopi commissae, etiam pro dioecesibus unitis Aliphana et Caiacensi Congregatio pro Episcopis praesenti Decreto plenam earum unionem decernit.

1) Dioecesis nova hac structura praedita sedem habebit in urbe Aliphana, ubi hodierna Ecclesia Cathedralis proprium hunc titulum servat.

2) Denominatio dioecesis haec erit « Dioecesis Aliphana - Caiacensis ».

3) Hodierna Ecclesia Cathedralis urbis Caiacensis titulum sumet Concathedralis, in memoriam eius inditae et veteris traditionis.

4) Unicum habebitur Capitulum Cathedrale, quod quidem erit Capitulum Ecclesiae Cathedralis sedis episcopalis.

Capitulum autem Ecclesiae Cathedralis alterius dioecesis plene unitae nomen sumet Capituli Concathedralis.

5) Pariter unica erit Curia Episcopalis, itemque Tribunal ecclesiasticum, Seminarium, Collegium Consultorum, Consilium Presbyterale, Consilium Pastorale, Institutum clericorum sustentationi praepositum, organa apostolatus et alia quaelibet instituta dioecesana, quae vigenti

iure canonico praevidentur, facta Episcopo potestate amovendi a sede dioecesis et alio transferendi nonnulla officia administrativa.

6) Sancti Patroni singularum dioecesium, quae in unum coalescunt, colentur Patroni novae dioecesis.

7) Sacerdotes et diaconi, qui hucusque uni ex dioecesibus unitis incardinati erant, posthac incardinati censentur novae dioecesi quae ex unione orta est.

8) Nova circumscriptio ecclesiastica in territorio suo includet et comprehendet territoria, quae ad unamquamque dioecesim unitam hodie pertinent.

9) Una cum territorio paroeciarum, quae hucusque pertinebant ad singulas dioeceses unitas, censentur adnexa novae ecclesiasticae circumscriptioni etiam instituta ecclesiastica cum suis bonis atque iuribus quae ad ipsa quoquo modo spectent, ad normam can. 121 vigentis Codicis Iuris Canonici.

Pater ac Pastor in regimine dioecesis esse perget Exc.mus ac Rev.mus Dominus Angelus Campagna, Episcopus Aliphanus-Caiacensis, cui Congregatio pro Episcopis confert mandatum ad exitum perducendi exsecutionem praedictarum dispositionum cum necessariis omnibus facultatibus.

Expleto mandato, idem Exc.mus Praesul documenta rediget, quae ad eandem Congregationem authentico exemplari quam primum transmittenda curabit, quibuslibet contrariis non obstantibus.

Ipse praeterea omnia in sua luce ponere studebit, ut inita provisio, recte intellecta quoad veram suam significationem, ab omnibus accipiatur sereno animo ac prompto dandae operae ut, quemadmodum aequum est, nova dioecesis reapse communitas evadat ad Regnum Dei in vitae actionem traducendum idemque propagandum magis magisque intenta.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Episcopis, die 30 mensis septembris anno 1986.

© BERNARDINUS Card. GANTIN, *Praefectus*

© Lucas Moreira Neves, O.P.
Archiepiscopus tit. Feraditanus Maior, *a Secretis*

L. © S.

In Congr. pro Episcopis tab., n. 935/86.

IV

AMALPHITANAE ET CAVENSIS

De plena dioecesium unione.

Instantibus votis obsecundans Concilii Oecumenici Vaticani II quod attinet ad aptiorem circumscriptionum ecclesiasticarum compositionem (cf. CD. 22-23), Congregatio pro Episcopis — quae sub Ioannis XXIII fel. rec. Pontificatu, eius directoriis normis ducta, huiusmodi quaestionis studium iam inchoaverat — tempestivo tempore Italiae episcopos intentos fecit ad problema de dioecesium recognitione in Italia.

Postea, iussu Summi Pontificis Pauli VI fel. rec, haec eadem Congregatio, communi consilio agens cum Conferentia Episcopali Italiae eiusdemque actuosa fruens cooperatione, abhinc plusquam viginti annos gradatim ac progredienti ratione opus suscepit novo ordine disponendi dioeceses Italiae, quae communi hominum opinione nimis multae censentur neque omnes satis pollent vigore ob territorii, incolarum numeri et pastoralis instructus exiguitatem. Quo in opere absolvendo hoc semper fuit propositum, ut in unaquaque dioecesi magis perspicua natura Ecclesiae pateret, atque episcopus apte et efficaciter omnia sua munera explere posset, prout religiosae, spirituales ac morales necessitates, necnon societatis et culturae mutationes, quae hodie in cursu sunt, magis magisque postulant.

Directoriae normae clare a Concilio impertitae de dioecesium recognitione; indicia atque elementa apta ad actionem pastoralem aestimandam ab episcopis suppeditata quibus plurium dioecesium regimen commissum est; itemque petitiones a variis partibus Sanctae Sedi exhibitae ut arctiori adhuc unitati talium dioecesium consuleret, immo etiam plenae earundem unioni : haec omnia causa fuerunt, cur profundiori investigationi huiusmodi problema subiectum sit ; ad quod quidem rite expendendum, adiutricem contulerunt operam Consilium pro Publicis Ecclesiae Negotiis, Nuntiatura Apostolica in Italia et Conferentia Episcopalis huius nationis.

Quod autem effecit ut haec studia adhuc magis urgerent atque opportuna evaderent, vis legis fuit die 3 iunii 1985 normis tributa, quae recentioribus Pactis initis inter Sanctam Sedem et Gubernium Italicum continentur ; quibus quidem normis statuitur hinc « Circumscriptionem dioecesium (...) ab auctoritate ecclesiastica libere consti-

tui)) (art. 3/1 Pactorum diei 18 februarii 1984) ; illinc vero dioeceses iure canonico constitutas adipisci posse, iuridicam personalitatem in iure civili italico (cf. art. 29 Normarum quae approbatae sunt per Protocollum diei 15 novembris 1984).

Horum omnium laborum conclusiones subiectae sunt iudicio Summi Pontificis Ioannis Pauli II, qui in Audientia diei 27 septembris anni 1986 criteria adhibita approbavit atque Congregationi pro Episcopis speciales facultates contulit, ut procedere possit ad ea exsequenda, quae proposita sunt, et ad adimplenda quae necessaria videantur.

Vi criterii generalis, quo statuitur ut in unum coalescant circumscriptiones ecclesiasticae usque adhuc pastorali curae unius Episcopi commissae, etiam pro dioecesibus unitis Amalphitana et Cavensi Congregatio pro Episcopis praesenti Decreto plenam earum unionem decernit.

1) Dioecesis nova hac structura praedita sedem habebit in urbe Amalphitana, ubi hodierna Ecclesia Cathedralis proprium hunc titulum servat.

2) Denominatio dioecesis haec erit « Archidioecesis Amalphitana-Cavensis », lingua vernacula « Arcidiocesi di Amalfi-Cava de' Tirreni ».

3) Hodierna Ecclesia Cathedralis urbis vulgo nuncupatae <(Cava de' Tirreni » titulum sumet Concathedralis, in memoriam eius inditae et veteris traditionis.

4) Unicum habebitur Capitulum Cathedrale, quod quidem erit Capitulum Ecclesiae Cathedralis sedis episcopalis.

Capitulum autem Ecclesiae Cathedralis alterius dioecesis plene unitae nomen sumet Capituli Concathedralis.

5) Pariter unica erit Curia Episcopalis, itemque Tribunal ecclesiasticum, Seminarium, Collegium Consultorum, Consilium Presbyterale, Consilium Pastorale, Institutum clericorum sustentationi praepositum, organa apostolatus et alia quaelibet instituta dioecesana, quae vigenti iure canonico praevidentur, facta Episcopo potestate amovendi a sede dioecesis et alio transferendi nonnulla officia administrativa.

6) Sancti Patroni singularum dioecesium, quae in unum coalescunt, colentur Patroni novae dioecesis.

7) Sacerdotes et diaconi, qui hucusque uni ex dioecesibus unitis incardinati erant, posthac incardinati censentur novae dioecesi quae ex unione orta est.

8) Nova circumscriptio ecclesiastica in territorio suo includet et comprehendet territoria, quae ad unamquamque dioecesim unitam hodie pertinent.

9) Una cum territorio paroeciarum, quae hucusque pertinebant ad singulas dioeceses unitas, censentur adnexa novae ecclesiasticae circumscriptioni etiam instituta ecclesiastica cum suis bonis atque iuribus quae ad ipsa quoquo modo spectent, ad normam can. 121 vigentis Codicis Iuris Canonici.

Pater ac Pastor in regimine dioecesis esse perget Exc.mus ac Rev.mus Dominus Ferdinandus Palatucci, Archiepiscopus Amalphitanus-Cavensis, cui Congregatio pro Episcopis confert mandatum ad exitum perducendi exsecutionem praedictarum dispositionum cum necessariis omnibus facultatibus.

Expleto mandato, idem Exc.mus Praesul documenta rediget, quae ad eandem Congregationem authentico exemplari quam primum transmittenda curabit, quibuslibet contrariis non obstantibus.

Ipse praeterea omnia in sua luce ponere studebit, ut inita provisio, recte intellecta quoad veram suam significationem, ab omnibus accipiatur sereno animo ac prompto dandae operae ut, quemadmodum aequum est, nova dioecesis reapse communitas evadat ad Regnum Dei in vitae actionem traducendum idemque propagandum magis magisque intenta.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Episcopis, die 30 mensis septembris anno 1986.

© BERNARDINUS Card. GANTIN, *Praefectus*

© Lucas Moreira Neves, O.P.
Archiepiscopus tit. Feraditanus Maior, *a Secretis*

L. © S.

In Congr. pro Episcopis tao., n. 933/86.

V

AMPURIENSIS ET TEMPLENSIS

De plena dioecesium unione.

Instantibus votis obsecundans Concilii Oecumenici Vaticani II quod attinet ad aptiorem circumscriptionum ecclesiasticarum compositionem

(cf. CD. 22-23), Congregatio pro Episcopis — quae sub Ioannis XXIII fel. rec. Pontificatu, eius directoriis normis ducta, huiusmodi quaestionis studium iam inchoaverat — tempestivo tempore Italiae episcopos intentos fecit ad problema de dioecesium recognitione in Italia.

Postea, iussu Summi Pontificis Pauli VI fel. rec, haec eadem Congregatio, communi consilio agens cum Conferentia Episcopali Italiae eiusdemque actuosa fruens cooperatione, abhinc plusquam viginti annos gradatim ac progredienti ratione opus suscepit novo ordine disponendi dioeceses Italiae, quae communi hominum opinione nimis multae censentur neque omnes satis pollent vigore ob territorii, incolarum numeri et pastoralis instructus exiguitatem. Quo in opere absolvendo hoc semper fuit propositum, ut in unaquaque dioecesi magis perspicua natura Ecclesiae pateret, atque episcopus apte et efficaciter omnia sua munera explere posset, prout religiosae, spirituales ac morales necessitates, necnon societatis et culturae mutationes, quae hodie in cursu sunt, magis magisque postulant.

Directoriae normae clare a Concilio impertitae de dioecesium recognitione; indicia atque elementa apta ad actionem pastoralem aestimandam ab episcopis suppeditata quibus plurium dioecesium regimen commissum est; itemque petitiones a variis partibus Sanctae Sedi exhibitae ut arctiori adhuc unitati talium dioecesium consuleret, immo etiam plenae earundem unioni : haec omnia causa fuerunt, cur profundiori investigationi huiusmodi problema subiectum sit ; ad quod quidem rite expendendum, adiutricem contulerunt operam Consilium pro Publicis Ecclesiae Negotiis, Nuntiatura Apostolica in Italia et Conferentia Episcopalis huius nationis.

Quod autem effecit ut haec studia adhuc magis urgerent atque opportuna evaderent, vis legis fuit die 3 iunii 1985 normis tributa, quae recentioribus Pactis initis inter Sanctam Sedem et Gubernium Italicum continentur ; quibus quidem normis statuitur hinc « Circumscriptionem dioecesium (...) ab auctoritate ecclesiastica libere constitui » (art. 3/1 Pactorum diei 18 februarii 1984) ; illinc vero dioeceses iure canonico constitutas adipisci posse, iuridicam personalitatem in iure civili italico (cf. art. 29 Normarum quae approbatae sunt per Protocollum diei 15 novembris 1984).

Horum omnium laborum conclusiones subiectae sunt iudicio Summi Pontificis Ioannis Pauli II, qui in Audientia diei 27 septembris anni 1986 criteria adhibita approbavit atque Congregationi pro Episco-

Horum omnium laborum conclusiones subiectae sunt iudicio Summi Pontificis Ioannis Pauli II, qui in Audientia diei 27 septembris anni 1986 criteria adhibita approbavit atque Congregationi pro Episcopis speciales facultates contulit, ut procedere possit ad ea exsequenda, quae proposita sunt, et ad adimplenda quae necessaria videantur.

Vi criterii generalis, quo statuitur ut in unum coalescant circumscriptiones ecclesiasticae usque adhuc pastorali curae unius Episcopi commissae, etiam pro dioecesibus unitis Compsana, Sancti Angeli de Lombardis, Bisaciensis et Nuscana Congregatio pro Episcopis praesenti Decreto plenam earum unionem decernit.

1) Dioecesis nova hac structura praedita sedem habebit in urbe Sancti Angeli de Lombardis, ubi hodierna Ecclesia Cathedralis proprium hunc titulum servat.

2) Denominatio dioecesis haec erit « Archidioecesis Sancti Angeli de Lombardis-Compsana-Nuscana-Bisaciensis ».

3) Hodiernae Ecclesiae Cathedrales urbium Compsanae, Nuscanae et Bisaciensis titulum sument Concathedralium, in memoriam earum inclitarum et veterum traditionum.

4) Unicum habebitur Capitulum Cathedrale, quod quidem erit Capitulum Ecclesiae Cathedralis sedis episcopalis.

Capitula autem Ecclesiarum Cathedralium aliarum dioecesium plene unitarum nomina sument Capitulorum Concathedralium.

5) Pariter unica erit Curia Episcopalis, itemque Tribunal ecclesiasticum, Seminarium, Collegium Consultorum, Consilium Presbyterale,

Consilium Pastorale, Institutum clericorum sustentationi praepositum, organa apostolatus et alia quaelibet instituta dioecesana, quae vigenti iure canonico praevidentur, facta Episcopo potestate amovendi a sede dioecesis et alio transferendi nonnulla officia administrativa.

6) Sancti Patroni singularum dioecesium, quae in unum coalescunt, colentur Patroni novae dioecesis.

7) Sacerdotes et diaconi, qui hucusque uni ex dioecesibus unitis incardinati erant, posthac incardinati censentur novae dioecesi quae ex unione orta est.

8) Nova circumscriptio ecclesiastica in territorio suo includet et comprehendet territoria, quae ad unamquamque dioecesim unitam hodie pertinent.

9) Una cum territorio paroeciarum, quae hucusque pertinebant ad singulas dioeceses unitas, censentur adnexa novae ecclesiasticae circumscriptioni etiam instituta ecclesiastica cum suis bonis atque iuribus quae ad ipsa quoquo modo spectent, ad normam can. 121 vigentis Codicis Iuris Canonici.

Pater ac Pastor in regimine dioecesis esse perget Exc.mus ac Rev.mus Dominus Antonius Nuzzi, Archiepiscopus Sancti Angeli de Lombardis-Compsanus-Nuscanus- Bisaciensis, cui Congregatio pro Episcopis confert mandatum ad exitum perducendi exsecutionem praedictarum dispositionum cum necessariis omnibus facultatibus.

Expleto mandato, idem Exc.mus Praesul documenta rediget, quae ad eandem Congregationem authentico exemplari quam primum transmittenda curabit, quibuslibet contrariis non obstantibus.

Ipse praeterea omnia in sua luce ponere studebit, ut inita provisio, recte intellecta quoad veram suam significationem, ab omnibus accipiatur sereno animo ac prompto dandae operae ut, quemadmodum aequum est, nova dioecesis reapse communitas evadat ad Regnum Dei in vitae actionem traducendum idemque propagandum magis magisque intenta.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Episcopis, die 30 mensis septembris anno 1986.

68 BERNARDINUS Card. GANTIN, *Praefectus*

63 Lucas Moreira Neves, O.P.
Archiepiscopus tit. Feraditanus Maior, *a Secretis*

L. 68 S.

In Congr. pro Episcopis tab., n. 957/86.

XXIII

CONVERSANENSIS ET MONOPOLITANAE

De plena dioecesium unione.

Instantibus votis obsecundans Concilii Oecumenici Vaticani II quod attinet ad aptiorem circumscriptionum ecclesiasticarum compositionem (cf. CD. 22-23), Congregatio pro Episcopis — quae sub Ioannis XXIII fel. rec. Pontificatu, eius directoriis normis ducta, huiusmodi quaestionis studium iam inchoaverat — tempestivo tempore Italiae episcopos intentos fecit ad problema de dioecesium recognitione in Italia.

Postea, iussu Summi Pontificis Pauli VI fel. rec, haec eadem Congregatio, communi consilio agens cum Conferentia Episcopali Italiae eiusdemque actuosa fruens cooperatione, abhinc plusquam viginti annos gradatim ac progredienti ratione opus suscepit novo ordine disponendi dioeceses Italiae, quae communi hominum opinione nimis multae censentur neque omnes satis ^pollent vigore ob territorii, incolarum numeri et pastoralis instructus exiguitatem. Quo in opere absolvendo hoc semper fuit propositum, ut in unaquaque dioecesi magis perspicua natura Ecclesiae pateret, atque episcopus apte et efficaciter omnia sua munera explere posset, prout religiosae, spirituales ac morales necessitates, necnon societatis et culturae mutationes, quae hodie in cursu sunt, magis magisque postulant.

Directoriae normae clare a Concilio impertitae de dioecesium recognitione; indicia atque elementa apta ad actionem pastoralem aestimandam ab episcopis suppeditata quibus plurium dioecesium regimen commissum est; itemque petitiones a variis partibus Sanctae Sedi exhibitae ut arctiori adhuc unitati talium dioecesium consuleret, immo etiam plenae earundem unioni : haec omnia causa fuerunt, cur profundiori investigationi huiusmodi problema subiectum sit ; ad quod quidem rite expendendum, adiutricem contulerunt operam Consilium pro Publicis Ecclesiae Negotiis, Nuntiatura Apostolica in Italia et Conferentia Episcopalis huius nationis.

Quod autem effecit ut haec studia adhuc magis urgerent atque opportuna evaderent, vis legis fuit die 3 iunii 1985 normis tributa, quae recentioribus Pactis initis inter Sanctam Sedem et Gubernium Italicum continentur ; quibus quidem normis statuitur hinc « Circumscriptionem dioecesium (...) ab auctoritate ecclesiastica libere constitui » (art. 3/1 Pactorum diei 18 februarii 1984) ; illinc vero dioeceses

iure canonico constitutas adipisci posse, iuridicam personalitatem in iure civili italico (cf. art. 29 Normarum quae approbatae sunt per Protocollum diei 15 novembris 1984).

Horum omnium laborum conclusiones subiectae sunt iudicio Summi Pontificis Ioannis Pauli II, qui in Audientia diei 27 septembris anni 1986 criteria adhibita approbavit atque Congregationi pro Episcopis speciales facultates contulit, ut procedere possit ad ea exsequenda, quae proposita sunt, et ad adimplenda quae necessaria videantur.

Vi criterii generalis, quo statuitur ut in unum coalescant circumscriptiones ecclesiasticae usque adhuc pastorali curae unius Episcopi commissae, etiam pro dioecesibus unitis Conversanensi et Monopolitana Congregatio pro Episcopis praesenti Decreto plenam earum unionem decernit.

1) Dioecesis nova hac structura praedita sedem habebit in urbe Conversanensi, ubi hodierna Ecclesia Cathedralis proprium hunc titulum servat.

2) Denominatio dioecesis haec erit « Dioecesis Conversanensis-Monopolitana ».

3) Hodierna Ecclesia Cathedralis urbis Monopolitanae titulum sumet Concathedralis, in memoriam eius inditae et veteris traditionis.

4) Unicum habebitur Capitulum Cathedrale, quod quidem erit Capitulum Ecclesiae Cathedralis sedis episcopalis.

Capitulum autem Ecclesiae Cathedralis alterius dioecesis plene unitae nomen sumet Capituli Concathedralis.

5) Pariter unica erit Curia Episcopalis, itemque Tribunal ecclesiasticum, Seminarium, Collegium Consultorum, Consilium Presbyterale, Consilium Pastorale, Institutum clericorum sustentationi praepositum, organa apostolatus et alia quaelibet instituta dioecesana, quae vigenti iure canonico praevidentur, facta Episcopo potestate amovendi a sede dioecesis et alio transferendi nonnulla officia administrativa.

6) Sancti Patroni singularum dioecesium, quae in unum coalescunt, colentur Patroni novae dioecesis.

7) Sacerdotes et diaconi, qui hucusque uni ex dioecesibus unitis incardinati erant, posthac incardinati censentur novae dioecesi quae ex unione orta est.

8) Nova circumscriptio ecclesiastica in territorio suo includet et comprehendet territoria, quae ad unamquamque dioecesim unitam hodie pertinent.

9) Una cum territorio paroeciarum, quae hucusque pertinebant ad singulas dioeceses unitas, censentur adnexa novae ecclesiasticae circumscriptioni etiam instituta ecclesiastica cum suis bonis atque iuribus quae ad ipsa quoquo modo spectent, ad normam can. 121 vigentis Codicis Iuris Canonici.

Pater ac Pastor in regimine dioecesis esse perget Exc.mus ac Rev.mus Dominus Antonius D'Erchia, Episcopus Conversanensis-Monopolitanus, cui Congregatio pro Episcopis confert mandatum ad exitum perducendi exsecutionem praedictarum dispositionum cum necessariis omnibus facultatibus.

Expleto mandato, idem Exc.mus Praesul documenta rediget, quae ad eandem Congregationem authentico exemplari quam primum transmittenda curabit, quibuslibet contrariis non obstantibus.

Ipse praeterea omnia in sua luce ponere studebit, ut inita provisio, recte intellecta quoad veram suam significationem, ab omnibus accipiatur sereno animo ac prompto dandae operae ut, quemadmodum aequum est, nova dioecesis reapse communitas evadat ad Regnum Dei in vitae actionem traducendum idemque propagandum magis magisque intenta.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Episcopis, die 30 mensis septembris anno 1986.

93 BERNARDINUS Card. GANTIN, *Praefectus*

93 Lucas Moreira Neves, O.P.
Archiepiscopus tit. Feraditanus Maior, *a Secretis*

L. 93 S.

In Congr. pro Episcopis tab., n. 908/86.

XXIV

COSENTINAE ET BISINIANENSIS

De plena dioecesium unione.

Instantibus votis obsecundans Concilii Oecumenici Vaticani II quod attinet ad aptiorem circumscriptionum ecclesiasticarum compositionem (cf. CD. 22-23), Congregatio pro Episcopis — quae sub Ioannis XXIII fel. rec. Pontificatu, eius directoriis normis ducta, huiusmodi quaestio-

nis studium iam inchoaverat — tempestivo tempore Italiae episcopos intentos fecit ad problema de dioecesium recognitione in Italia.

Postea, iussu Summi Pontificis Pauli VI fel. rec, haec eadem Congregatio, communi consilio agens cum Conferentia Episcopali Italiae eiusdemque actuosa fruens cooperatione, abhinc plusquam viginti annos gradatim ac progredienti ratione opus suscepit novo ordine disponendi dioeceses Italiae, quae communi hominum opinione nimis multae censentur neque omnes satis pollent vigore ob territorii, incolarum numeri et pastoralis instructus exiguitatem. Quo in opere absolvendo hoc semper fuit propositum, ut in unaquaque dioecesi magis perspicua natura Ecclesiae pateret, atque episcopus apte et efficaciter omnia sua munera explere posset, prout religiosae, spirituales ac morales necessitates, necnon societatis et culturae mutationes, quae hodie in cursu sunt, magis magisque postulant.

Directoriae normae clare a Concilio impertitae de dioecesium recognitione ; indicia atque elementa apta ad actionem pastoralem aestimandam ab episcopis suppeditata quibus plurium dioecesium regimen commissum est; itemque petitiones a variis partibus Sanctae Sedi exhibitae ut arctiori adhuc unitati talium dioecesium consuleret, immo etiam plenae earundem unioni : haec omnia causa fuerunt, cur profundiori investigationi huiusmodi problema subiectum sit ; ad quod quidem rite expendendum, adiutricem contulerunt operam Consilium pro Publicis Ecclesiae Negotiis, Nuntiatura Apostolica in Italia et Conferentia Episcopalis huius nationis.

Quod autem effecit ut haec studia adhuc magis urgerent atque opportuna evaderent, vis legis fuit die 3 iunii 1985 normis tributa, quae recentioribus Pactis initis inter Sanctam Sedem et Gubernium Italicum continentur ; quibus quidem normis statuitur hinc ((Circumscriptionem dioecesium (...) ab auctoritate ecclesiastica libere constitui » (art. 3/1 Pactorum diei 18 februarii 1984) ; illinc vero dioeceses iure canonico constitutas adipisci posse, iuridicam personalitatem in iure civili italico (cf. art. 29 Normarum quae approbatae sunt per Protocollum diei 15 novembris 1984).

Horum omnium laborum conclusiones subiectae sunt iudicio Summi Pontificis Ioannis Pauli II, qui in Audientia diei 27 septembris anni 1986 criteria adhibita approbavit atque Congregationi pro Episcopis speciales facultates contulit, ut procedere possit ad ea exsequenda, quae proposita sunt, et ad adimplenda quae necessaria videantur.

Vi criterii generalis, quo statuitur ut in unum coalescant circumscriptiones ecclesiasticae usque adhuc pastorali curae unius Episcopi commissae, etiam pro dioecesibus unitis Cosentina et Bisinianensi Congregatio pro Episcopis praesenti Decreto plenam earum unionem decernit.

1) Dioecesis nova hac structura praedita sedem habebit in urbe Cosentina, ubi hodierna Ecclesia Cathedralis proprium hunc titulum servat.

2) Denominatio dioecesis haec erit « Archidioecesis Cosentina-Bisinianensis ».

3) Hodierna Ecclesia Cathedralis urbis Bisinianensis titulum sumet Concathedralis, in memoriam eius inditae et veteris traditionis.

4) Unicum habebitur Capitulum Cathedrale, quod quidem erit Capitulum Ecclesiae Cathedralis sedis episcopalis.

Capitulum autem Ecclesiae Cathedralis alterius dioecesis plene unitae nomen sumet Capituli Concathedralis.

5) Pariter unica erit Curia Episcopalis, itemque Tribunal ecclesiasticum, Seminarium, Collegium Consultorum, Consilium Presbyterale, Consilium Pastorale, Institutum clericorum sustentationi praepositum, organa apostolatus et alia quaelibet instituta dioecesana, quae vigenti iure canonico praevidentur, facta Episcopo potestate amovendi a sede dioecesis et alio transferendi nonnulla officia administrativa.

6) Sancti Patroni singularum dioecesium, quae in unum coalescunt, colentur Patroni novae dioecesis.

7) Sacerdotes et diaconi, qui hucusque uni ex dioecesibus unitis incardinati erant, posthac incardinati censentur novae dioecesi quae ex unione orta est.

8) Nova circumscriptio ecclesiastica in territorio suo includet et comprehendet territoria, quae ad unamquamque dioecesim unitam hodie pertinent.

9) Una cum territorio paroeciarum, quae hucusque pertinebant ad singulas dioeceses unitas, censentur adnexa novae ecclesiasticae circumscriptioni etiam instituta ecclesiastica cum suis bonis atque iuribus quae ad ipsa quoquo modo spectent, ad normam can. 121 vigentis Codicis Iuris Canonici.

Pater ac Pastor in regimine dioecesis esse perget Exc.mus ac Rev.mus Dominus Dinus Trabalzini, Archiepiscopus Cosentinus-Bisi-

nianensis, cui Congregatio pro Episcopis confert mandatum ad exitum perducendi exsecutionem praedictarum dispositionum cum necessariis omnibus facultatibus.

Expleto mandato, idem Exc.mus Praesul documenta rediget, quae ad eandem Congregationem authentico exemplari quam primum transmittenda curabit, quibuslibet contrariis non obstantibus.

Ipse praeterea omnia in sua luce ponere studebit, ut inita provisio, recte intellecta quoad veram suam significationem, ab omnibus accipiatur sereno animo ac prompto dandae operae ut, quemadmodum aequum est, nova dioecesis reapse communitas evadat ad Regnum Dei in vitae actionem traducendum idemque propagandum magis magisque intenta.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Episcopis, die 30 mensis septembris anno 1986.

83 BERNARDINUS Card. GANTIN, *Praefectus*

83 Lucas Moreira Neves, O.P.
Archiepiscopus tit. Feraditanus Maior, *a Secretis*

L. 83 S.

In Congr. pro Episcopis tab., n. 901/86.

XXV

CROTONENSIS ET SANCTAE SEVERINAE

De plena dioecesium unione.

Instantibus votis obsecundans Concilii Oecumenici Vaticani II quod attinet ad aptiorem circumscriptionum ecclesiasticarum compositionem (cf. CD. 22-23), Congregatio pro Episcopis — quae sub Ioannis XXIII fel. rec. Pontificatu, eius directoriis normis ducta, huiusmodi quaestionis studium iam inchoaverat — tempestivo tempore Italiae episcopos intentos fecit ad problema de dioecesium recognitione in Italia.

Postea, iussu Summi Pontificis Pauli VI fel. rec, haec eadem Congregatio, communi consilio agens cum Conferentia Episcopali Italiae eiusdemque actuosa fruens cooperatione, abhinc plusquam viginti annos gradatim ac progredienti ratione opus suscepit novo ordine disponendi dioeceses Italiae, quae communi hominum opinione nimis multae censentur neque omnes satis pollent vigore ob territorii, incolarum numeri et pastoralis instructus exiguitatem. Quo in opere absolvendo

hoc semper fuit propositum, ut in unaquaque dioecesi magis perspicua natura Ecclesiae pateret, atque episcopus apte et efficaciter omnia sua munera explere posset, prout religiosae, spirituales ac morales necessitates, necnon societatis et culturae mutationes, quae hodie in cursu sunt, magis magisque postulant.

Directoriae normae clare a Concilio impertitae de dioecesium recognitione; indicia atque elementa apta ad actionem pastoralem aestimandam ab episcopis suppeditata quibus plurium dioecesium regimen commissum est; itemque petitiones a variis partibus Sanctae Sedi exhibitae ut arctiori adhuc unitati talium dioecesium consuleret, immo etiam plenae earundem unioni : haec omnia causa fuerunt, cur profundiori investigationi huiusmodi problema subiectum sit ; ad quod quidem rite expendendum, adiutricem contulerunt operam Consilium pro Publicis Ecclesiae Negotiis, Nuntiatura Apostolica in Italia et Conferentia Episcopalis huius nationis.

Quod autem effecit ut haec studia adhuc magis urgerent atque opportuna evaderent, vis legis fuit die 3 iunii 1985 normis tributa, quae recentioribus Pactis initis inter Sanctam Sedem et Gubernium Italicum continentur ; quibus quidem normis statuitur hinc ((Circumscriptionem dioecesium (...) ab auctoritate ecclesiastica libere constitui » (art. 3/1 Pactorum diei 18 februarii 1984) ; illinc vero dioeceses iure canonico constitutas adipisci posse, iuridicam personalitatem in iure civili italico (cf. art. 29 Normarum quae approbatae sunt per Protocollum diei 15 novembris 1984).

Horum omnium laborum conclusiones subiectae sunt iudicio Summi Pontificis Ioannis Pauli II, qui in Audientia diei 27 septembris anni 1986 criteria adhibita approbavit atque Congregationi pro Episcopis speciales facultates contulit, ut procedere possit ad ea exsequenda, quae proposita sunt, et ad adimplenda quae necessaria videantur.

Vi criterii generalis, quo statuitur ut in unum coalescant circumscriptiones ecclesiasticae usque adhuc pastorali curae unius Episcopi commissae, etiam pro dioecesibus unitis Crotonensi et Sanctae Severinae Congregatio pro Episcopis praesenti Decreto plenam earum unionem decernit.

1) Dioecesis nova hac structura praedita sedem habebit in urbe Crotonensi, ubi hodierna Ecclesia Cathedralis proprium hunc titulum servat, et suffraganea erit Ecclesiae Metropolitanae Rheginensis-Bovensis.

2) Denominatio dioecesis haec erit « Archidioecesis Crotonensis-Sanctae Severinae ».

3) Hodierna Ecclesia Cathedralis urbis Sanctae Severinae titulum sumet Concathedralis, in memoriam eius inditae et veteris traditionis.

4) Unicum habebitur Capitulum Cathedrale, quod quidem erit Capitulum Ecclesiae Cathedralis sedis episcopalis.

Capitulum autem Ecclesiae Cathedralis alterius dioecesis plene unitae nomen sumet Capituli Concathedralis.

5) Pariter unica erit Curia Episcopalis, itemque Tribunal ecclesiasticum, Seminarium, Collegium Consultorum, Consilium Presbyterale, Consilium Pastorale, Institutum clericorum sustentationi praepositum, organa apostolatus et alia quaelibet instituta dioecesana, quae vigenti iure canonico praevidentur, facta Episcopo potestate amovendi a sede dioecesis et alio transferendi nonnulla officia administrativa.

6) Sancti Patroni singularum dioecesium, quae in unum coalescunt, colentur Patroni novae dioecesis.

7) Sacerdotes et diaconi, qui hucusque uni ex dioecesibus unitis incardinati erant, posthac incardinati censentur novae dioecesi quae ex unione orta est.

8) Nova circumscriptio ecclesiastica in territorio suo includet et comprehendet territoria, quae ad unamquamque dioecesim unitam hodie pertinent.

9) Una cum territorio paroeciarum, quae hucusque pertinebant ad singulas dioeceses unitas, censentur adnexa novae ecclesiasticae circumscriptioni etiam instituta ecclesiastica cum suis bonis atque iuribus quae ad ipsa quoquo modo spectent, ad normam can. 121 vigentis Codicis Iuris Canonici.

Pater ac Pastor in regimine dioecesis esse perget Exc.mus ac Rev.mus Dominus Iosephus Agostino, Archiepiscopus Crotonensis-Sanctae Severinae, cui Congregatio pro Episcopis confert mandatum ad exitum perducendi exsecutionem praedictarum dispositionum cum necessariis omnibus facultatibus.

Expleto mandato, idem Exc.mus Praesul documenta rediget, quae ad eandem Congregationem authentico exemplari quam primum transmittenda curabit, quibuslibet contrariis non obstantibus.

Ipse praeterea omnia in sua luce ponere studebit, ut inita provisio, recte intellecta quoad veram suam significationem, ab omnibus acci-

piatur sereno animo ac prompto dandae operae ut, quemadmodum aequum est, nova dioecesis reapse communitas evadat ad Regnum Dei in vitae actionem traducendum idemque propagandum magis magisque intenta.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Episcopis, die 30 mensis septembris anno 1986.

68 BERNARDINUS Card. GANTIN, *Praefectus*

68 Lucas Moreira Neves, O.P.
Archiepiscopus tit. Feraditanus Maior, *a Secretis*

L. 68 S.

In Congr. pro Episcopis tab., n. 90S/86.

XXVI

DIANENSIS ET POLICASTRENSI

De plena dioecesium unione.

Instantibus votis obsecundans Concilii Oecumenici Vaticani II quod attinet ad aptiorem circumscriptionum ecclesiasticarum compositionem (cf. CD. 22-23), Congregatio pro Episcopis — quae sub Ioannis XXIII fel. rec. Pontificatu, eius directoriis normis ducta, huiusmodi quaestionis studium iam inchoaverat — tempestivotempore Italiae episcopos intentos fecit ad problema de dioecesium recognitione in Italia.

Postea, iussu Summi Pontificis Pauli VI fel. rec, haec eadem Congregatio, communi consilio agens cum Conferentia Episcopali Italiae eiusdemque actuosa fruens cooperatione, abhinc plusquam viginti annos gradatim ac progredienti ratione opus suscepit novo ordine disponendi dioeceses Italiae, quae communi hominum opinione nimis multae censentur neque omnes satis pollent vigore ob territorii, incolarum numeri et pastoralis instructus exiguitatem. Quo in opere absolvendo hoc semper fuit propositum, ut in unaquaque dioecesi magis perspicua natura Ecclesiae pateret, atque episcopus apte et efficaciter omnia sua munera explere posset, prout religiosae, spirituales ac morales necessitates, necnon societatis et culturae mutationes, quae hodie in cursu sunt, magis magisque postulant.

Directoriae normae clare a Concilio impertitae de dioecesium recognitione; indicia atque elementa apta ad actionem pastoralem aestimandam ab episcopis suppeditata quibus plurium dioecesium regimen

commissum est; itemque petitiones a variis partibus Sanctae Sedi exhibitae ut arctiori adhuc unitati talium dioecesium consuleret, immo etiam plenae earundem unioni : haec omnia causa fuerunt, cur profundiori investigationi huiusmodi problema subiectum sit ; ad quod quidem rite expendendum, adiutricem contulerunt operam Consilium pro Publicis Ecclesiae Negotiis, Nuntiatura Apostolica in Italia et Conferentia Episcopalis huius nationis.

Quod autem effecit ut haec studia adhuc magis urgerent atque opportuna evaderent, vis legis fuit die 3 iunii 1985 normis tributa, quae recentioribus Pactis initis inter Sanctam Sedem et Gubernium Italicum continentur ; quibus quidem normis statuitur hinc ((Circumscriptionem dioecesium (...) ab auctoritate ecclesiastica libere constitui » (art. 3/1 Pactorum diei 18 februarii 1984) ; illinc vero dioeceses iure canonico constitutas adipisci posse, iuridicam personalitatem in iure civili italico (cf. art. 29 Normarum quae approbatae sunt per Protocollum diei 15 novembris 1984).

Horum omnium laborum conclusiones subiectae sunt iudicio Summi Pontificis Ioannis Pauli II, qui in Audientia diei 27 septembris anni 1986 criteria adhibita approbavit atque Congregationi pro Episcopis speciales facultates contulit, ut procedere possit ad ea exsequenda, quae proposita sunt, et ad adimplenda quae necessaria videantur.

Vi criterii generalis, quo statuitur ut in unum coalescant circumscriptiones ecclesiasticae usque adhuc pastorali curae unius Episcopi commissae, etiam pro dioecesibus unitis Dianensi et Policastrensi Congregatio pro Episcopis praesenti Decreto plenam earum unionem decernit.

1) Dioecesis nova hac structura praedita sedem habebit in urbe vulgo nuncupata « Teggiano », • ubi hodierna Ecclesia Cathedralis proprium hunc titulum servat.

2) Denominatio dioecesis haec erit ((Dioecesis Dianensis-Policastrensis », lingua vernacula « Diocesi di Teggiano-Policastro ».

3) Hodierna Ecclesia Cathedralis urbis Policastrensis titulum sumet Concathedralis, in memoriam eius inditae et veteris traditionis.

4) Unicum habebitur Capitulum Cathedrale, quod quidem erit Capitulum Ecclesiae Cathedralis sedis episcopalis.

Capitulum autem Ecclesiae Cathedralis alterius dioecesis plene unitae nomen sumet Capituli Concathedralis.

5) Pariter unica erit Curia Episcopalis, itemque Tribunal ecclesia-

sticum, Seminarium, Collegium Consultorum, Consilium Presbyterale, Consilium Pastorale, Institutum clericorum sustentationi praepositum, organa apostolatus et alia quaelibet instituta dioecesana, quae vigenti iure canonico praevidentur, facta Episcopo potestate amovendi a sede dioecesis et alio transferendi nonnulla officia administrativa.

6) Sancti Patroni singularum dioecesium, quae in unum coalescunt, colentur Patroni novae dioecesis.

7) Sacerdotes et diaconi, qui hucusque uni ex dioecesibus unitis incardinati erant, posthac incardinati censentur novae dioecesi quae ex unione orta est.

8) Nova circumscriptio ecclesiastica in territorio suo includet et comprehendet territoria, quae ad unamquamque dioecesim unitam hodie pertinent.

9) Una cum territorio paroeciarum, quae hucusque pertinebant ad singulas dioeceses unitas, censentur adnexa novae ecclesiasticae circumscriptioni etiam instituta ecclesiastica cum suis bonis atque iuribus quae ad ipsa quoquo modo spectent, ad normam can. 121 vigentis Codicis Iuris Canonici.

Exc.mo ac Rev.mo Dbmino Gerardo Pierro, Episcopo Tursiensi-Lacunerulonensi atque Administratori Apostolico Dianensi-Policastrensi Congregatio pro Episcopis confert mandatum ad exitum perducendi exsecutionem praedictarum dispositionum cum necessariis omnibus facultatibus.

Expleto mandato, idem Exc.mus Praesul documenta rediget, quae ad eandem Congregationem authentico exemplari quam primum transmittenda curabit, quibuslibet contrariis non obstantibus.

Ipse praeterea omnia in sua luce ponere studebit, ut inita provisio, recte intellecta quoad veram suam significationem, ab omnibus accipiatur sereno animo ac prompto dandae operae ut, quemadmodum aequum est, nova dioecesis reapse communitas evadat ad Regnum Dei in vitae actionem traducendum idemque propagandum magis magisque intenta.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Episcopis, die 30 mensis septembris anno 1986.

© BERNARDINUS Card. GANTIN, *Praefectus*

© Lucas Moreira Neves, O.P.
Archiepiscopus tit. Feraditanus Maior, *a Secretis*

L. © S.

In Congr. pro Episcopis tab., n. 9^9/86.

XXVII

FABRIANENSIS ET MATHELICENSIS

De plena dioecesium unione.

Instantibus votis obsecundans Concilii Oecumenici Vaticani II quod attinet ad aptiorem circumscriptionum ecclesiasticarum compositionem (cf. CD. 22-23), Congregatio pro Episcopis — quae sub Ioannis XXIII fel. rec. Pontificatu, eius directoriis normis ducta, huiusmodi quaestionis studium iam inchoaverat — tempestivo tempore Italiae episcopos intentos fecit ad problema de dioecesium recognitione in Italia.

Postea, iussu Summi Pontificis Pauli VI fel. rec, haec eadem Congregatio, communi consilio agens cum Conferentia Episcopali Italiae eiusdemque actuosa fruens cooperatione, abhinc plusquam viginti annos gradatim ac progredienti ratione opus suscepit novo ordine disponendi dioeceses Italiae, quae communi hominum opinione nimis multae censentur neque omnes satis pollent vigore ob territorii, incolarum numeri et pastoralis instructus exiguitatem. Quo in opere absolvendo hoc semper fuit propositum, ut in unaquaque dioecesi magis perspicua natura Ecclesiae pateret, atque episcopus apte et efficaciter omnia sua munera explere posset, prout religiosae, spirituales ac morales necessitates, necnon societatis et culturae mutationes, quae hodie in cursu sunt, magis magisque postulant.

Directoriae normae clare a Concilio impertitae de dioecesium recognitione; indicia atque elementa apta ad actionem pastoralem aestimandam ab episcopis suppeditata quibus plurium dioecesium regimen commissum est; itemque petitiones a variis partibus Sanctae Sedi exhibitae ut arctiori adhuc unitati talium dioecesium consuleret, immo etiam plenae earundem unioni : haec omnia causa fuerunt, cur profundiori investigationi huiusmodi problema subiectum sit; ad quod quidem rite expendendum, adiutricem contulerunt operam Consilium pro Publicis Ecclesiae Negotiis, Nuntiatura Apostolica in Italia et Conferentia Episcopalis huius nationis.

Quod autem effecit ut haec studia adhuc magis urgerent atque opportuna evaderent, vis legis fuit die 3 iunii 1985 normis tributa, quae recentioribus Pactis initis inter Sanctam Sedem et Gubernium Italicum continentur; quibus quidem normis statuitur hinc ((Circumscriptionem dioecesium (...) ab auctoritate ecclesiastica libere constitui » (art. 3/1 Pactorum diei 18 februarii 1984); illinc vero dioeceses

iure canonico constitutas adipisci posse, iuridicam personalitatem in iure civili italico (cf. art. 29 Normarum quae approbatae sunt per Protocollum diei 15 novembris 1984).

Horum omnium laborum conclusiones subiectae sunt iudicio Summi Pontificis Ioannis Pauli II, qui in Audientia diei 27 septembris anni 1986 criteria adhibita approbavit atque Congregationi pro Episcopis speciales facultates contulit, ut procedere possit ad ea exsequenda, quae proposita sunt, et ad adimplenda quae necessaria videantur.

Vi criterii generalis, quo statuitur ut in unum coalescant circumscriptiones ecclesiasticae usque adhuc pastorali curae unius Episcopi commissae, etiam pro dioecesibus unitis Fabrianensi et Mathelicensi Congregatio pro Episcopis praesenti Decreto plenam earum unionem decernit.

1) Dioecesis nova hac structura praedita sedem habebit in urbe Fabrianensi, ubi hodierna Ecclesia Cathedralis proprium hunc titulum servat.

2) Denominatio dioecesis haec erit « Dioecesis Fabrianensis-Mathelicensis ».

3) Hodierna Ecclesia Cathedralis urbis Mathelicensis titulum sumet Concathedralis, in memoriam eius inditae et veteris traditionis.

4) Unicum habebitur Capitulum Cathedrale, quod quidem erit Capitulum Ecclesiae Cathedralis sedis episcopalis.

Capitulum autem Ecclesiae Cathedralis alterius dioecesis plene unitae nomen sumet Capituli Concathedralis.

5) Pariter unica erit Curia Episcopalis, itemque Tribunal ecclesiasticum, Seminarium, Collegium Consultorum, Consilium Presbyterale, Consilium Pastorale, Institutum clericorum sustentationi praepositum, organa apostolatus et alia quaelibet instituta dioecesana, quae vigenti iure canonico praevidentur, facta Episcopo potestate amovendi a sede dioecesis et alio transferendi nonnulla officia administrativa.

6) Sancti Patroni singularum dioecesium, quae in unum coalescunt, colentur Patroni novae dioecesis.

7) Sacerdotes et diaconi, qui hucusque uni ex dioecesibus unitis incardinati erant, posthac incardinati censentur novae dioecesi quae ex unione orta est.

8) Nova circumscriptio ecclesiastica in territorio suo includet et comprehendet territoria, quae ad unamquamque dioecesim unitam hodie pertinent.

9) Una cum territorio paroeciarum, quae hucusque pertinebant ad singulas dioeceses unitas, censentur adnexa novae ecclesiasticae circumscriptioni etiam instituta ecclesiastica cum suis bonis atque iuribus quae ad ipsa quoquo modo spectent, ad normam can. 121 vigentis Codicis Iuris Canonici.

Pater ac Pastor in regimine dioecesis esse perget Exc.mus ac Rev.mus Dominus Aloisius Scuppa, Episcopus Fabrianensis-Mathelicensis, cui Congregatio pro Episcopis confert mandatum ad exitum perducendi exsecutionem praedictarum dispositionum cum necessariis omnibus facultatibus.

Expleto mandato, idem Exc.mus Praesul documenta rediget, quae ad eandem Congregationem authentico exemplari quam primum transmittenda curabit, quibuslibet contrariis non obstantibus.

Ipse praeterea omnia in sua luce ponere studebit, ut inita provisio, recte intellecta quoad veram suam significationem, ab omnibus accipiatur sereno animo ac prompto dandae operae ut, quemadmodum aequum est, nova dioecesis reapse communitas evadat ad Regnum Dei in vitae actionem traducendum idemque propagandum magis magisque intenta.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Episcopis, die 30 mensis septembris anno 1986.

83 BERNARDINUS Card. GANTIN, *Praefectus*

83 Lucas Moreira Neves, O.P.
Archiepiscopus tit. Feraditanus Maior, *a Secretis*

L. 83 S.
In Congr. pro Episcopis tab., n. ***90,5/86.***

XXVIII

FANENSIS, FOROSEMPRONIENSIS CALLIENSIS ET PERGULANAE

De plena dioecesium unione.

Instantibus votis obsecundans Concilii Oecumenici Vaticani II quod attinet ad aptiorem circumscriptionum ecclesiasticarum compositionem (cf. CD. 22-23), Congregatio pro Episcopis — quae sub Ioannis XXIII

fel. rec. Pontificatu, eius directoriis normis ducta, huiusmodi quaestionis studium iam inchoaverat — tempestivo tempore Italiae episcopos intentos fecit ad problema de dioecesium recognitione in Italia.

Postea, iussu Summi Pontificis Pauli VI fel. rec, haec eadem Congregatio, communi consilio agens cum Conferentia Episcopali Italiae eiusdemque actuosa fruens cooperatione, abhinc plusquam viginti annos gradatim ac progredienti ratione opus suscepit novo ordine disponendi dioeceses Italiae, quae communi hominum opinione nimis multae censentur neque omnes satis pollent vigore ob territorii, incolarum numeri et pastoralis instructus exiguitatem. Quo in opere absolvendo hoc semper fuit propositum, ut in unaquaque dioecesi magis perspicua natura Ecclesiae pateret, atque episcopus apte et efficaciter omnia sua munera explere posset, prout religiosae, spirituales ac morales necessitates, necnon societatis et culturae mutationes, quae hodie in cursu sunt, magis magisque postulant.

Directoriae normae clare a Concilio impertitae de dioecesium recognitione; indicia atque elementa apta ad actionem pastoralem aestimandam ab episcopis suppeditata quibus plurium dioecesium regimen commissum est; itemque petitiones a variis partibus Sanctae Sedi exhibitae ut arctiori adhuc unitati talium dioecesium consuleret, immo etiam plenae earundem unioni : haec omnia causa fuerunt, cur profundiori investigationi huiusmodi problema subiectum sit; ad quod quidem rite expendendum, adiutricem contulerunt operam Consilium pro Publicis Ecclesiae Negotiis, Nuntiatura Apostolica in Italia et Conferentia Episcopalis huius nationis.

Quod autem effecit ut haec studia adhuc magis urgerent atque opportuna evaderent, vis legis fuit die 3 iunii 1985 normis tributa, quae recentioribus Pactis initis inter Sanctam Sedem et Gubernium Italicum continentur ; quibus quidem normis statuitur hinc ((Circumscriptionem dioecesium (...) ab auctoritate ecclesiastica libere constitui » (art. 3/1 Pactorum diei 18 februarii 1984) ; illinc vero dioeceses iure canonico constitutas adipisci posse, iuridicam personalitatem in iure civili italico (cf. art. 29 Normarum quae approbatae sunt per Protocollum diei 15 novembris 1984).

Horum omnium laborum conclusiones subiectae sunt iudicio Summi Pontificis Ioannis Pauli II, qui in Audientia diei 27 septembris anni 1986 criteria adhibita approbavit atque Congregationi pro Episcopis speciales facultates contulit, ut procedere possit ad ea exsequenda, quae proposita sunt, et ad adimplenda quae necessaria videantur.

Vi criterii generalis, quo statuitur ut in unum coalescant circumscriptiones ecclesiasticae usque adhuc pastorali curae unius Episcopi commissae, etiam pro dioecesibus unitis Fanensi, Forosemproniensi, Calliensi et Pergulana Congregatio pro Episcopis praesenti Decreto plenam earum unionem decernit.

1) Dioecesis nova hac structura praedita sedem habebit in urbe Fanensi, ubi hodierna Ecclesia Cathedralis proprium hunc titulum servat, et suffraganea erit Ecclesiae Metropolitanae Urbinatensis-Urbaniensis-Sancti Angeli in Vado.

2) Denominatio dioecesis haec erit « Dioecesis Fanensis-Forosemproniensis-Calliensis-Pergulana ».

3) Hodiernae Ecclesiae Cathedrales urbium Forosemproniensis, Calliensis et Pergulanae titulum sument Concathedralium, in memoriam earum inclitarum et veterum traditionum.

4) Unicum habebitur Capitulum Cathedrale, quod quidem erit Capitulum Ecclesiae Cathedralis sedis episcopalis.

Capitula autem Ecclesiarum Cathedralium aliarum dioecesium plene unitarum nomina sument Capitulorum Concathedralium.

5) Pariter unica erit Curia Episcopalis, itemque Tribunal ecclesiasticum, Seminarium, Collegium Consultorum, Consilium Presbyterale, Consilium Pastorale, Institutum clericorum sustentationi praepositum, organa apostolatus et alia quaelibet instituta dioecesana, quae vigenti iure canonico praevidentur, facta Episcopo potestate amovendi a sede dioecesis et alio transferendi nonnulla officia administrativa.

6) Sancti Patroni singularum dioecesium, quae in unum coalescunt, colentur Patroni novae dioecesis.

7) Sacerdotes et diaconi, qui hucusque uni ex dioecesibus unitis incardinati erant, posthac incardinati censentur novae dioecesi quae ex unione orta est.

8) Nova circumscriptio ecclesiastica in territorio suo includet et comprehendet territoria, quae ad unamquamque dioecesim unitam hodie pertinent.

9) Una cum territorio paroeciarum, quae hucusque, pertinebant ad singulas dioeceses unitas, censentur adnexa novae ecclesiasticae circumscriptioni etiam instituta ecclesiastica cum suis bonis atque iuribus quae ad ipsa quoquo modo spectent, ad normam can. 121 vigentis Codicis Iuris Canonici.

Pater ac Pastor in regimine dioecesis esse perget Exc.mus ac Rev.mus Dominus Marius Cecchini, Episcopus Fanensis-Forosempro-niensis-Calliensis-Pergulanus, cui Congregatio pro Episcopis confert mandatum ad exitum perducendi exsecutionem praedictarum disposi-tionum cum necessariis omnibus facultatibus.

Expleto mandato, idem Exc.mus Praesul documenta rediget, quae ad eandem Congregationem authentico exemplari quam primum trans-mittenda curabit, quibuslibet contrariis non obstantibus.

Ipse praeterea omnia in sua luce ponere studebit, ut inita provisio, recte intellecta quoad veram suam significationem, ab omnibus acci-piatur sereno animo ac prompto dandae operae ut, quemadmodum aequum est, nova dioecesis reapse communitas evadat ad Regnum Dei in vitae actionem traducendum idemque propagandum magis magisque intenta.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Episcopis, die 30 mensis septembris anno 1986.

83 BERNARDINUS Card. GANTIN, *Praefectus*

83 Lucas Moreira Neves, O.P.
Archiepiscopus tit. Feraditanus Maior, *a Secretis*

L. 83 S.

In Congr. pro Episcopis tab., n. 903/86.

XXIX

FAVENTINAE ET MUTILENSIS

De plena dioecesium unione.

Instantibus votis obsecundans Concilii Oecumenici Vaticani II quod attinet ad aptiorem circumscriptionum ecclesiasticarum compositionem (cf. CD. 22-23), Congregatio pro Episcopis — quae sub Ioannis XXIII fel. rec. Pontificatu, eius directoriis normis ducta, huiusmodi quaestio-nis studium iam inchoaverat — tempestivo tempore Italiae episcopos intentos fecit ad problema de dioecesium recognitione in Italia.

Postea, iussu Summi Pontificis Pauli VI fel. rec, haec eadem Con-gregatio, communi consilio agens cum Conferentia Episcopali Italiae eiusdemque actuosa fruens cooperatione, abhinc plusquam viginti

annos gradatim ac progredienti ratione opus suscepit novo ordine disponendi dioeceses Italiae, quae communi hominum opinione nimis multae censentur neque omnes satis pollent vigore ob territorii, incolarum numeri et pastoralis instructus exiguitatem. Quo in opere absolvendo hoc semper fuit propositum, ut in unaquaque dioecesi magis perspicua natura Ecclesiae pateret, atque episcopus apte et efficaciter omnia sua munera explere posset, prout religiosae, spirituales ac morales necessitates, necnon societatis et culturae mutationes, quae hodie in cursu sunt, magis magisque postulant.

Directoriae normae clare a Concilio impertitae de dioecesium recognitione; indicia atque elementa apta ad actionem pastoralem aestimandam ab episcopis suppeditata quibus plurium dioecesium regimen commissum est; itemque petitiones a variis partibus Sanctae Sedi exhibitae ut arctiori adhuc unitati talium dioecesium consuleret, immo etiam plenae earundem unioni : haec omnia causa fuerunt, cur profundiori investigationi huiusmodi problema subiectum sit ; ad quod quidem rite expendendum, adiutricem contulerunt operam Consilium pro Publicis Ecclesiae Negotiis, Nuntiatura Apostolica in Italia et Conferentia Episcopalis huius nationis.

Quod autem effecit ut haec studia adhuc magis urgerent atque opportuna evaderent, vis legis fuit die 3 iunii 1985 normis tributa, quae recentioribus Pactis initis inter Sanctam Sedem et Gubernium Italicum continentur ; quibus quidem normis statuitur hinc ((Circumscriptionem dioecesium (...) ab auctoritate ecclesiastica libere constitui)) (art. 3/1 Pactorum diei 18 februarii 1984) ; illinc vero dioeceses iure canonico constitutas adipisci posse, iuridicam personalitatem in iure civili italico (cf. art. 29 Normarum quae approbatae sunt per Protocollum diei 15 novembris 1984).

Horum omnium laborum conclusiones subiectae sunt iudicio Summi Pontificis Ioannis Pauli II, qui in Audientia diei 27 septembris anni 1986 criteria adhibita approbavit atque Congregationi pro Episcopis speciales facultates contulit, ut procedere possit ad ea exsequenda, quae proposita sunt, et ad adimplenda quae necessaria videantur.

Vi criterii generalis, quo statuitur ut in unum coalescant circumscriptiones ecclesiasticae usque adhuc pastorali curae unius Episcopi commissae, etiam pro dioecesibus unitis Faventina et Mutilensi Congregatio pro Episcopis praesenti Decreto plenam earum unionem decernit.

1) Dioecesis nova hac structura praedita sedem habebit in urbe Faventina, ubi hodierna Ecclesia Cathedralis proprium hunc titulum servat.

2) Denominatio dioecesis haec erit « Dioecesis Faventina-Mutilensis ».

3) Hodierna Ecclesia Cathedralis urbis Mutilensis titulum sumet Concathedralis, in memoriam eius inditae et veteris traditionis.

4) Unicum habebitur Capitulum Cathedrale, quod quidem erit Capitulum Ecclesiae Cathedralis sedis episcopalis.

Capitulum autem Ecclesiae Cathedralis alterius dioecesis plene unitae nomen sumet Capituli Concathedralis.

5) Pariter unica erit Curia Episcopalis, itemque Tribunal ecclesiasticum, Seminarium, Collegium Consultorum, Consilium Presbyterale, Consilium Pastorale, Institutum clericorum sustentationi praepositum, organa apostolatus et alia quaelibet instituta dioecesana, quae vigenti iure canonico praevidentur, facta Episcopo potestate amovendi a sede dioecesis et alio transferendi nonnulla officia administrativa.

6) Sancti Patroni singularum dioecesium, quae in unum coalescunt, colentur Patroni novae dioecesis.

7) Sacerdotes et diaconi, qui hucusque uni ex dioecesibus unitis incardinati erant, posthac incardinati censentur novae dioecesi quae ex unione orta est.

8) Nova circumscriptio ecclesiastica in territorio suo includet et comprehendet territoria, quae ad unamquamque dioecesim unitam hodie pertinent.

9) Una cum territorio paroeciarum, quae hucusque pertinebant ad singulas dioeceses unitas, censentur adnexa novae ecclesiasticae circumscriptioni etiam instituta ecclesiastica cum suis bonis atque iuribus quae ad ipsa quoquo modo spectent, ad normam can. 121 vigentis Codicis Iuris Canonici.

Pater ac Pastor in regimine dioecesis esse perget Exc.mus ac Rev.mus Dominus Franciscus Tarsicius Bertozzi, Episcopus Faventinus-Mutilensis, cui Congregatio pro Episcopis confert mandatum ad exitum perducendi exsecutionem praedictarum dispositionum cum necessariis omnibus facultatibus.

Expleto mandato, idem Exc.mus Praesul documenta rediget, quae

ad eandem Congregationem authentico exemplari quam primum transmittenda curabit, quibuslibet contrariis non obstantibus.

Ipse praeterea omnia in sua luce ponere studebit, ut inita provisio, recte intellecta quoad veram suam significationem, ab omnibus accipiatur sereno animo ac prompto dandae operae ut, quemadmodum aequum est, nova dioecesis reapse communitas evadat ad Regnum Dei in vitae actionem traducendum idemque propagandum magis magisque intenta.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Episcopis, die 30 mensis septembris anno 1986.

83 BERNARDINUS Card. GANTIN, *Praefectus*

83 Lucas Moreira Neves, O.P.
Archiepiscopus tit. Feraditanus Maior, *a Secretis*

L. 83 S.
In Congr. pro Episcopis tab., n. 904/86.

XXX

FERRARIENSIS ET COMACLENSIS

De plena dioecesium unione.

Instantibus votis obsecundans Concilii Oecumenici Vaticani II quod attinet ad aptiorem circumscriptionum ecclesiasticarum compositionem (cf. CD. 22-23), Congregatio pro Episcopis — quae sub Ioannis XXIII fel. rec. Pontificatu, eius directoriis normis ducta, huiusmodi quaestionis studium iam inchoaverat — tempestivo tempore Italiae episcopos intentos fecit ad problema de dioecesium recognitione in Italia.

Postea, iussu Summi Pontificis Pauli VI fel. rec, haec eadem Congregatio, communi consilio agens cum Conferentia Episcopali Italiae eiusdemque actuosa fruens cooperatione, abhinc plusquam viginti annos gradatim ac progredienti ratione opus suscepit novo ordine disponendi dioeceses Italiae, quae communi hominum opinione nimis multae censentur neque omnes satis pollent vigore ob territorii, incolarum numeri et pastoralis instructus exiguitatem. Quo in opere absolvendo hoc semper fuit propositum, ut in unaquaque dioecesi magis perspicua natura Ecclesiae pateret, atque episcopus apte et efficaciter omnia sua munera explere posset, prout religiosae, spirituales ac morales neces-

sitates, necnon societatis et culturae mutationes, quae hodie in cursu sunt, magis magisque postulant.

Directoriae normae clare a Concilio impertitae de dioecesium recognitione; indicia atque elementa apta ad actionem pastoralem aestimandam ab episcopis suppeditata quibus plurium dioecesium regimen commissum est; itemque petitiones a variis partibus Sanctae Sedi exhibitae ut arctiori adhuc unitati talium dioecesium consuleret, immo etiam plenae earundem unioni : haec omnia causa fuerunt, cur profundiori investigationi huiusmodi problema subiectum sit ; ad quod quidem rite expendendum, adiutricem contulerunt operam Consilium pro Publicis Ecclesiae Negotiis, Nuntiatura Apostolica in Italia et Conferentia Episcopalis huius nationis.

Quod autem effecit ut haec studia adhuc magis urgerent atque opportuna evaderent, vis legis fuit die 3 iunii 1985 normis tributa, quae recentioribus Pactis initis inter Sanctam Sedem et Gubernium Italicum continentur ; quibus quidem normis statuitur hinc ((Circumscriptionem dioecesium (...) ab auctoritate ecclesiastica libere constitui » (art. 3/1 Pactorum djei 18 februarii 1984) ; illinc vero dioeceses iure canonico constitutas adipisci posse, iuridicam personalitatem in iure civili italico (cf. art. 29 Normarum quae approbatae sunt per Protocollum diei 15 novembris 1984).

Horum omnium laborum conclusiones subiectae sunt iudicio Summi Pontificis Ioannis Pauli II, qui in Audientia diei 27 septembris anni 1986 criteria adhibita approbavit atque Congregationi pro Episcopis speciales facultates contulit, ut procedere possit ad ea exsequenda, quae proposita sunt, et ad adimplenda quae necessaria videantur.

Vi criterii generalis, quo statuitur ut in unum coalescant circumscriptiones ecclesiasticae usque adhuc pastorali curae unius Episcopi commissae, etiam pro dioecesibus unitis Ferrariensi et Comaclensi Congregatio pro Episcopis praesenti Decreto plenam earum unionem decernit.

1) Dioecesis nova hac structura praedita sedem habebit in urbe Ferrariensi, ubi hodierna Ecclesia Cathedralis proprium hunc titulum servat.

2) Denominatio dioecesis haec erit « Archidioecesis Ferrariensis-Comaclensis ».

3) Hodierna Ecclesia Cathedralis urbis Comaclensis titulum sumet Concathedralis, in memoriam eius inditae et veteris traditionis.

4) Unicum habebitur Capitulum Cathedrale, quod quidem erit Capitulum Ecclesiae Cathedralis sedis episcopalis.

Capitulum autem Ecclesiae Cathedralis alterius dioecesis plene unitae nomen sumet Capituli Concathedralis.

5) Pariter unica erit Curia Episcopalis, itemque Tribunal ecclesiasticum, Seminarium, Collegium Consultorum, Consilium Presbyterale, Consilium Pastorale, Institutum clericorum sustentationi praepositum, organa apostolatus et alia quaelibet instituta dioecesana, quae vigenti iure canonico praevidentur, facta Episcopo potestate amovendi a sede dioecesis et alio transferendi nonnulla officia administrativa.

6) Sancti Patroni singularum dioecesium, quae in unum coalescunt, colentur Patroni novae dioecesis.

7) Sacerdotes et diaconi, qui hucusque uni ex dioecesibus unitis incardinati erant, posthac incardinati censentur novae dioecesi quae ex unione orta est.

8) Nova circumscriptio ecclesiastica in territorio suo includet et comprehendet territoria, quae ad unamquamque dioecesim unitam hodie pertinent.

9) Una cum territorio paroeciarum, quae hucusque pertinebant ad singulas dioeceses unitas, censentur adnexa novae ecclesiasticae circumscriptioni etiam instituta ecclesiastica cum suis bonis atque iuribus quae ad ipsa quoquo modo spectent, ad normam can. 121 vigentis Codicis Iuris Canonici.

Pater ac Pastor in regimine dioecesis esse perget Exc.mus ac Rev.mus Dominus Aloisius Maverna, Archiepiscopus Ferrariensis-Comaclensis, cui Congregatio pro Episcopis confert mandatum ad exitum perducendi exsecutionem praedictarum dispositionum cum necessariis omnibus facultatibus.

Defensor et propagator fidei, hanc defendit non solum contra eorum temporum errores, verum etiam contra ieiunas verborum concertationes, quae caritatem et veritatem offendebant. Vere enim tantum certavit et passus est, ut affirmari potuerit eum *studium veritatis* in intrepidum *Servitium veritatis* convertisse indeque congruenter, fortiter et aequo animo accepisse *Martyrium* veritatis ac specimen dedisse singularis fidelitatis ecclesialis et communicationis sollicitudinis omnium Ecclesiarum. Humili silentio repugnantias sustinuit et proprios sui dolores, abhorrens a qualibet cupiditate ad commodum suum pertinente, sed scelus existimavit silentium quotiens causa Iesu Christi tractaretur, Ecclesiae et Pontificis vel quotiens *bonum animarum, suprema lex* in periculo versaretur : quae lex omnia eius consilia direxit, saepe novantia et vulgatis opinionibus contraria.

Fidem docuit et disseminavit maxime exemplo vitae *in fide Iesu Christi.* Vir deprecationis, voto *sub gravi* se adstrinxit ad meditationem cotidianam; divina mysteria et sacram liturgiam fervore celebrabat animos movente; longas insumebat horas, diu noctuque, in adoratione Eucharistiae prostratus, posteaque assiduo labori non parcebat. Perfecte ita contemplationem cum actione temperavit. Diligentissimus in suis officiis exsequendis, peccatum fugiens *quasi a facie colubri (Sir* 21, 2), non solum austeram corporis paenitentiam exercitavit, sed etiam cum gaudio *stultitiae crucis* se dedit, poscens usque a Matre caelesti, quam tenera pietate colebat, *fac me cruce inebriari!*

Tam arcte cum Deo coniunctus, ob id ipsum *Pontifex* fuit, indefatigatos auctor unitatis et communionis Populi Dei. In Ecclesia Italica, contrapositis contentiosis excruciata post potestatis temporalis intermissionem, patienter se dedit reconciliationi sacerdotum, S. Thomam aut Rosmini sequentium, cleri et laicatus, ordinum societatis, rationis et fidei, pristini et novi mundi, Ecclesiae et Reipublicae. Cum anxie ferret continuationem « funestae dissensionis » S. Sedis cum moderatoribus Italiae, enisus est ut compositionis viam inveniret, historice et theologicae iustam, Quaestionis Romanae. Actione pastorali usus est ad mutatas temporum condiciones et ad novas populi necessitates apta, et tenaciter egit, sed semper concordite cum Romano Pontifice, ut nova aetas ecclesialis maturesceret, solum evangelica efficacitate fundata, unitate veritatis et caritatis Christi nisa.

Pastor, Bonum Pastorem imitatus, voluit imprimis omnes oves suas ipse cognoscere, quinquies eas visens, impendio laborum, quos omnes incredibiles existimabant, vere faciens se omnia omnibus, ut omnes, si fieri posset, ad Christum adduceret, adhibens etiam indagationes sociologicas, quo melius temporis necessitates cognosceret. Oves errantes quaesivit, vel mortem contemptui habens, quam ei minitabantur. Se bonis suis omnibus exuens, esurientibus alimenta dedit, omnem humanam miseriam sublevavit, in carcerem inclusos visit, Institutum condidit mulierum sordarum mutarumque, pacem conciliavit in controversiis civium, miro modo ((motum catholicum » ordinavit.

Servus Dei est toto orbe terrarum notus ob operam suam pro iis, qui domibus migraverunt; qui tum coniunctim Italiam relinquebant, ab omnibus deserti. Pro iis « consilium evangelizationis » iniit et provectus totius personae humanae, instituta anno 1887 Congregatione Missionariorum a Sancto Carolo, a Leone XIII approbata. Postquam persuaserat S. Franciscae Saverio Cabrini ut missionalem industriam inciperet apud eos qui Eboracum Novum migraverant, anno 1895 condidit Congregationem Sororum Missionariarum Scalabrinianarum a S. Carolo Borromeo. Ad curam eorum qui patria migraverant direxit etiam Sorores Apostólas a S. Corde Iesu, a Matre Clelia Merloni institutas, et anno 1889 constituit Societatem a S. Raphaele, laicam, pro iurium humanorum et exsulum tutela.

Fortiter patrocinatus est necessitati actionis pastoralis propriae, aptae ad servandum patrimonium spirituale eorum, qui migraverant, et Sancto Pio X institutionem suggessit Corporis ecclesialis centralis, ad hoc ipsum accommodati, excitans Ecclesiam universam ut conscia fieret quaestionis, quae amplius in dies totum genus humanum ipsaque Ecclesiae futura implicabat.

Hinc Benedictus XV, agnovit «incomparabilis praesulis... singulares virtutes et eam ante omnia, quae harum princeps fuit, caritatem; quae ita eum incendit, ut angustos ei fines vastae dioecesis reddiderit eumque impulerit ad novum gregem quaerendum in iis qui longe aliorsum migraverant » (Chirographum diei 30 mensis Iunii anno 1915) ; et Pius XII de eo dixit : « Apostolicus ille vir, quem de Ecclesia ac Civitate meritissimum Nos ipsi declaravimus » (Constitutio Apostolica *Exsul Familia,* a. 1952, I, IIj.

Igne ustus caritatis et ardentis gloriae Dei studii atque animarum salutis, laboribus apostolicis exhaustus, praesertim excursionibus qui-

bus inviserat qui in Foederatas Civitates Americae Septentrionalis et in Brasiliani migraverant, sancte mortuus est in sua episcopali sede Piacentina, sexagesimum sextum vitae annum agens, calendis Iuniis anno 1905.

Vox populi « sanctum » eum acclamavit. Ordinarius Placentinus inire statuit anno 1936 Processus Dioecesanos, quorum acta missa sunt ad S. Rituum Congregationem anno 1940, et, servatis servandis die 11 mensis Maii anno 1982, Causa introducta est, probante Ioanne Paulo II Papa.

Quaestio deinde agitata est apud Congregationem pro Causis Sanctorum de virtutibus in specie eiusdem Servi Dei, et quidem primum, die 25 Novembris a. 1986, in Congressu Peculiari Patrum Consultorum, moderante Fidei Promotore Generali Rev.mo D.no Antonio Petti; deinde, die 17 Februarii insequentis anni 1987, in Congregatione Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, ponente Em.mo Cardinali Bernardino Gantin. Et in utroque Coetu, dubio num constaret de heroicis Servi Dei virtutibus, responsum affirmativum est latum.

De hisce omnibus supra expositis facta est per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata et fidelis Summo Pontifici Ioanni Paulo II relatione, qui vota Congregationis excipiens, mandavit ut Decretum super virtutibus heroicis Famuli Dei conscriberetur.

Quod cum rite est factum, accitis hodierna die cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit : *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis in gradu heroico Servi Dei Ioannis Baptistae Scalabrini, Episcopi Piacentini, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem Decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 16 mensis Martii, A. D. 1987.

PETRUS Card. PALAZZINI, *Praefectus*

Ii. © S.

£B Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

IV
SANCTI PHILIPPI

Canonizationis Ven. Servae Dei Teresiae a Iesu (« de Los Andes ») (in saec. : Ioannae Fernández Solar), novitiae monialium Ordinis Carmelitarum Discalceatorum (1900-1920).

SUPER DUBIO

An constet de miraculo, in casu et ad effectum de quo agitur.

Venerabilem Servam Dei Teresiam a Iesu (in saeculo : Ioannam Fernández Solar), novitiam Monialium Ordinis Carmelitarum Discalceatorum, natam Sancti Iacobi in Chile die 13 Iulii anno 1900 vitaque functam apud « Los Andes » die 12 Aprilis anno 1920, heroicas exercuisse virtutes christianas Summus Pontifex Ioannes Paulus II die 22 Martii a. 1986 sollemniter edixit.

Ad honores autem Beatorum Caelitum eidem rite decernendos, Causae actores sanationem quandam, intercedente eadem Venerabili Serva Dei, divinitus patratam Apostolicae Sedi, quemadmodum novum ius praecipit, ad cognoscendum obtulerunt. Quae mira sanatio contigit Hectori Richardo Carrasco, iuveni duodeviginti annorum, siphonario Chilensi qui, invocata fiducialiter eadem Venerabili Teresia a Iesu, rapidissime die 9 Decembris a. 1983, convaluit a morbo quem medici italico sermone ita descripserunt : « Fibrillazione ventricolare e arresto respiratorio da scarica elettrica, con danno cerebrale anossico e polmonite da aspirazione », edita prius prognosi valde suspensa quoad valetudinem et quoad vitam.

Super quo mirando eventu instructus est Processus apud Curiam archiepiscopalem Sancti Iacobi in Chile, a die 19 mensis Octobris anno 1984 ad diem 16 Octobris a. 1985, Romam deinde transmissus, de cuius iuridica forma et vis decretum exiit Congregationis pro Causis Sanctorum die 23 mensis Ianuarii a. 1986.

Postid coepta est apud eandem Congregatione pro Causis Sanctorum disceptatio iure praescripta super eadem mira sanatione et quidem primum, die 21 mensis Ianuarii a. 1987, in sessione Consilii Medici, propitio sane exitu circa praeternaturalitatem sanationis Hectoris Richardi Carrasco. Deinde secuta est, die 20 Februarii eodem anno discussio Consultorum theologorum, praesidente Rev.mo Domi-

no Antonio Petti, Fidei Promotore Generali, in Congressu Peculiari; et demum, die 3 mensis Martii eodem anno, in Congregatione Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, ponente Em.mo ac Rev.mo D.no Agnello Rossi. Et in utroque Coetu, dubio *An constet de miraculo, in casu et ad effectum de quo agitur, suffragia fuere affirmativa.*

De praemissis autem omnibus certior est factus per subscriptum Cardinalem Praefectum Summus Pontifex Ioannes Paulus II qui, vota Congregationis pro Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut Decretum rite appararetur super praedicta mira sanatione.

Quod cum esset factum, accitis hodierna die Cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, iisque astantibus, Beatissimus Pater edixit: *Constare de miraculo, intercedente Venerabili Serva Dei Teresia a Iesu de « Los Andes » (in saeculo: Ioanna Fernández Solar), a Deo patrato, videlicet, de valde rapida, perfecta ac stabili sanatione domini Hectoris Richardi Carrasco, a morbo vulgo descripto « Fibrillazione ventricolare e arresto respiratorio da scarica elettrica, con danno cerebrale anossico e polmonite da aspirazione ».*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc Decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 16 Martii A. D. 1987.

PETRUS Card. PALAZZINI, *Praefectus*

L. *m* S.

® Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

V

VARSAVIEN.

Canonizationis Servi Dei Honorati a Biala Podlaska (in saec.: Venceslai Kozminski), Sacerdotis Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum Fundatoris plurium Congregationum Religiosarum (1829-1916).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

Christus Dominus suis discipulis dixit: « Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum

manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert» *(Io* 12, 24).

Haec Christi Domini verba bene accommodantur Servo Dei Honorato Kozminski, Fundatori plurium congregationum religiosarum; qui in vita humillimus minimum se et quasi mortuum putans, industriam suam tamquam arborem amplificavit, cuius rami magni multum fructum bonum hactenus afferunt ad utilitatem Ecclesiae sanctae.

Servus Dei in oppido *Biala Podlaska,* in Polonia, in dioecesi Podlachensi, natus est die 16 Octobris anno 1829 ex piis parentibus Stephano Kozminski et Alexandra Kahl, bonis catholicis et satis opulentis, eique in baptismate nomina Florentino, Venceslao, Ioanni indita sunt.

In eius vita parentes maximum momentum habebant nam liberis exemplo erant in officiis religiose adimplendis et virtutibus christianis exercendis. Primas litteras in loco natali didicit, gymnasium autem *Ploci frequentava.* Ab anno 1844 in Varsaviensi Schola Bonarum Artium architecturae studuit. Anno sequenti pater eius improviso e vivis migravit. Ex quattuor orphanis duorum ulteriora studia educationemque mater assidue curavit. In gymnasio Plocensi Venceslaus, perniciosis doctrinis religioni contrariis, quibus tunc iuventus inficiebatur, obnoxius, fidem perdidit, exercitia religiosa reliquit, aliosque a fide abstrahere conatus est. Anno 1846, coniuratione contra imperium Russicum iniuste suspectus, in durissimum carcerem i. e. ((Cittadellam » Varsaviensem inclusus est. Adhuc captivus in infidelitate obdurans, ignoratum morbum, verisimiliter typhum, contraxit. Eodem tempore gravem luctationem internam expertus est, ex qua fidem in festo Assumptionis B. M. V. die 15 Augusti anno 1846 recuperavit. Die 27 Martii anno 1847 ex carcere liber dimissus, ad bonam frugem conversus, de vita anteacta ab imo corde doluit et culpam suam publice confessus est. Conversionis gratiam Deiparae Virgini, et matris suae precibus attribuit.

Die 21 Decembris a. 1848 Lubartovi Ordinem Fratrum Minorum Capuccinorum ingressus est, habitum religiosum novumque nomen Honoratum accepit. Inde ab initio vitam religiosam aggressus est ut exemplaris novitius, qui vocationem suam magni aestimabat. Ipse quidem frater laicus fieri maluit, sed Superiores, eius ingenium et mentis et morum indolem recte inspicientes, ad sacerdotium eum direxerunt. Priorem professionem die 21 Decembris anno 1849 et professionem perpetuam die 18 Decembris anno 1850 fecit. Die 27 Decembris anno 1852 sacerdotio auctus, primam Missam die 1 Ianuarii 1853

celebravit. Deinde laborem pastoralem ut confessarius, praedicator et capellanus carceris fructuose peragebat. Desiderans religiosum spiritum in societate saeculari vivifican et cultus Mariae Virginis et spiritus franciscalis propationem, Rosarii Viventis Circulos condidit ac Tertium Ordinem Franciscanum iterum iterumque rectius ordinavit, et quidem scientibus atque consentientibus Superioribus.

At post infaustum Polonorum adversus dominantes Russos motum anno 1863 ortum, conventus PP. Capuccinorum Varsaviae suppressus est et Servus Dei cum aliis fratribus sodalibus ad conventum in urbe *Zakroczym* situm translatus est. Illic ad a. 1892 in difficillimis condicionibus commoratus est, etenim neque ex conventu libere exire, neque extra locum commorationis proficisci poterat. Strictius quam ceteri religiosi a publicis vigilibus imperatoris Russici inspiciebatur. Servus Dei tamen hisce condicionibus minime fractus est.

Simul quoque multum temporis spatium ponebat in audiendis confessionibus et in spirituali moderamine hominum, qui sive ex urbe Varsavia sive ex aliis Poloniae regionibus turmatim ad eum affluebant. Per totam vitam amator animarum fuit et inter fideles indefessum confessarium se praebuit.

De vitae religiosae a potestate Russica vastatione anno 1864 facta doluit et continuo inquirebat quomodo adiutorio esse posset animabus zelo plenis, quae se divino servitio per consilia evangelica dedere cupiebant.

Anno 1892, cum conventus urbis *Zakroczym* a potestate civili Russica sublatus esset, Servus Dei translatus est ad conventum urbis *Nowe Miasto,* ubi in iisdem difficillimis condicionibus a vigilibus Russicis saepissime inspectus ac quaesitus usque ad diem obitus 16 Decembris anno 1916 degit.

Per totam vitam sacerdotalem propter Dei amorem et animarum salutem impigerrimum laborem exercuit, persecutionis impavidus. Difficillimi problematis religiosi et socialis solutio ope Evangelii a Servo Dei feliciter inventa est. Iesu et Mariae Nazarethanam vitam occultam, ab evangelistis descriptam, perfectum vitae regularis specimen esse acri suo ingenio perspexit. Quam ob rem illis fidelibus, tam viris quam mulieribus, qui suam vocationem ad vitam religiosam clare perspiciebat, sed proh dolor, conventu et novitiatu a potestate Russica praecluso, Institutum religiosum ingredi nequibant, consulebat, ut eiusmodi vitam sine habitu religioso in suo quovis loco viverent.

Habita licentia sui Ministri Generalis Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum, ea condicione ut pro hac opera unus episcopus facultatem daret, talibus fidelibus intra annos 1855-1895, viginti sex instituta religiosa condidit. Et singulae Congregationes apud singulas hominum classes finem proprium consequi nitebantur : aliae apud scholas, aliae apud homines excultos, educatores puerorum, opifices, ancillas, fabros, iuventutem rusticanam et oppidanam, aegrotos, rústicos, urbanos, aniculas. Ideo propter novas formas Congregationum, iam saeculo xix conditarum, Institutorum saecularium, quae papa Pius XII Constitutione Apostolica « Provida Mater Ecclesia » approbavit et nunc in novo Codice Iuris Canonici uti Instituta vitae consecratae recognoscuntur, recte Servus Dei praecursor habetur. Servus Dei in viam perfectionis evangelicae plurimas animas induxit. Attamen suo tempore non tantum apud religiosos verum etiam apud fideles universos, vocationem ad sanctitatem excolendam provexit. Multum ipse profuit scriptis religiosis et asceticis.

Suppressae et tamquam morientis Provinciae Polonicae Capuccinorum, in qua unicus conventus in urbe *Nowe Miasto* superfuit, spiritum seraphicum et regularem observantiam sustentavit.

Maxime varia et fructuosa Servi Dei navitas externa emanavit ex ipsius vita interna impensissimo acta. Verus Sancti Francisci Asisinatis filius et imitator, sehaphici Patris vestigiis inhaerens, Evangelium fecit vitae suae regulam. In P. Honorati vita eminebant virtutes fidei, spei, caritatis erga Deum et proximum. Servum inutilem et parvum Providentiae divinae instrumentum se putans, latere et negligi studebat ; operum autem suorum fructum gratiae divinae et aliis hominibus tribuebat.

Fortitudinem et constantiam ad difficultates superandas ex Sanctissima Eucharistia et sacrificio Missae hauriebat, quam cotidie admirabili cum pietate celebrabat. Orationi per circiter octo horas diu noctuque vacabat. Persuasum habebat omnes gratias sibi deprecatione Beatae Mariae Virginis esse concessas, quam ideo ardentissima veneratione et cultu prosequebatur ; Deiparae se ipsum saepissime consecravit.

Fortis fuit in rebus adversis, prudens in regimine multarum Congregationum, firmus in consultis, disciplinae et asceseos cultor ; parciter cibo et somo utebatur, simplici et usitata veste religiosa contentus, habitu austerus, terrestribus bonis alienus, moribus integer, iustus erga omnes, superioribus obsequens, in quibus Deum videbat; amicus fratribus sodalibus, gratus erga beneficiorum auctores.

Splendidam virtutum suarum coronam ornavit pretiosissima margarita dolorum corporis, quorum causae fuerunt complures morbi, qui praesertim ultimis vitae annis ei quasi consueti comites fuerunt; quos vero is, cum bene passionem et mortem Domini meditatus esset, excepit et perfecta cum laetitia tulit, adimplens ea, quae desunt passionum Christi, in carne sua, pro corpore eius, quod est Ecclesia (cfr. *Col* 1, 24).

De industria et vita interna Servi Dei verba afferri possunt quae Christus Dominus de suo praecursore Ioanne Baptista dixit : « Ille erat lucerna ardens et lucens » *(Io* 5, 35). Illud quoque Siracidae ad eum transferri potest, quod de Nehemia dictum est : « Qui in vita sua suffulsit domum... et in diebus peccatorum corroboravit pietatem» *(Eccli.* 50, 1; 49, 4).

Percrebrescente in dies fama sanctitatis, qua quidem etiam vivus Servus Dei floruit, annis 1949-1952 processus super fama sanctitatis et virtutibus in genere et super non cultu in Curia Archiepiscopali Varsaviensi rite constructi sunt. Processiculus super scriptis apertus die 27 Aprilis a. 1950, et die 15 Aprilis a. 1969 conclusus est. Die autem 5 aprilis a. 1974 Decretum super scriptis editum est. Causa pro Introductione apud Sedem Apostolicam anno 1983 praeparata iam erat, sed, promulgata die 25 Ianuarii a. 1983 nova Constitutione Apostolica « Divinus Perfectionis Magister » et Decreto Congregationis pro Causis Sanctorum die 7 Februarii 1983 eodem anno edito, causa Servi Dei P. Honorati statim ad forum apostolicum introducta est. Annis 1983-1985, moderantae Relatore eiusdem Congregationis, « Summarium Documentorum Additum » et « Positio super virtutibus » praeparata sunt. Decretum super auctoritate et vi iuridica processus die 1 Februarii O). 1985 et Decretum super non cultu die 29 Martii anno 1985 edita sunt.

Servatis itaque omnibus de iure servandis, quaestio agitata est apud Congregationem pro Causis Sanctorum super virtutibus theologalibus et cardinalibus eisque adnexis Servi Dei, die 30 Septembris a. 1986 ; Consultores Theologi, praesidente Rev.mo D.no Antonio Petti, Promotore Generali Fidei, in Congressu Peculiari coadunati, heroicas virtutes Servi Dei agnoverunt. Eandem faventem sententiam dixerunt etiam Rev.mi Patres Cardinales et Episcopi, Ponente Em.mo ac Dev.mo D.no Andrea Card. Deskur, qui in Cangregationem Ordinariam convenerunt die 3 Februarii anno 1987.

Facta demum de hisce omnibus per subscriptum Cardinalem Prae-

fectum Summo Pontifici Ioanni Paulo II accurata relatione, sanctitas Sua vota Congregationis pro Causis Sanctorum libenter excipiens, mandavit ut Decretum super heroicis Servi Dei virtutibus conscriberetur.

Quod cum rite factum esset, accitis hodierna die Cardinalibus infrascripto atque Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, iisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter edixit : ***Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis Servi Dei Honorati a Biala Podlaska (in saec. : Venceslai KozminsJci), in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.***

Hoc autem Decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referri praecepit.

Datum Romae, die 16 Martii A. D. 1987.

PETRUS Card. PALAZZINI, ***Praefectus***

L. © S.

© Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, ***a Secretis***

VI

VERONEN..

Canonizationis Ven. Servi Dei Ioannis Calabria, Sacerdotis Fundatoris Congregationum Pauperum Servorum et Pauperum Servarunt Divinae Providentiae (1873-1954).

SUPER DUBIO

An et de quo miraculo constet, in casu et ad effectum de quo agitur.

Veronae natus die 8 mensis Octobris anno 1873, humillimo quidem loco, Ioannes Calabria primis litterarum elementis apud Patres a Stigmatibus D. N". Iesu Christi est imbutus. Adhuc iuvenis, inops ipse, ino pum et aegrotorum complexus est necessitates, eorum animarum quoque saluti prospiciens. Militare servitium in nosocomio Veronensi pro militibus confecit, fructuosum exercendo apostolatum. Ad sacerdotium promotus, sacerdotalibus muniis Veronae cum laude functus est. In sui ministerii exercitio praesipuam habuit curam puerorum orphano-

rum et indigentium, quos sua in paupere domo divina Providentia fisus recepit. Consentiente ac benedicente episcopo asylum aperuit inopibus pueris et derelictis accipiendis excolendisque necnon et nosocomia ubi aetate provecti requiescerent. Deinde Piam Unionem Operis Sociarum condidit et postea Congregationem Pauperum Servorum Divinae Providentiae instituit. Anno demum 1944 Familiam Fratrum Externorum fundavit, laicis constantem. Altero universali bello furente. Omnibus, praesertim non christianis et Iudaeis, foederatis vel inimicis, suarum domorum portas aperuit, periculorum ac discriminum immemor. Apostolicam vivendi formam et vitae rationem secundum Evangelium « sine glossa », sacerdotibus praesertim et religiosis valde commendavit; plures quoque libros edidit, quibus exposuit quid de Ecclesiae renovatione ipse sentiret. Laboribus fractus, die 4 Decembris a. 1954 pie in Domino obdormivit, egregiam sanctitatis famam post se relinquens. Eum autem heroicas coluisse virtutes Summus Pontifex Ioannes Paulus II die 16 mense Ianuario a. 1986 declaravit.

Ut autem eidem Servo Dei honores Beatorum Caelitum rite decernerentur, Causae actores miram sanationem Apostolicae Sedi ad cognoscendum obtulerunt, videlicet domini Liborii Testa, annorum 72, domicilium habentis in loco cui nomen vulgo *Cappadocia,* intra fines archidioeceseos Aquillanae, in Italia. Is namque, omni recuperandae valetudinis spe humanis subsidiis deiecta, atque prognosi a medico in suspenso posita quoad valetudinem, ad caeleste auxilium per intercessionem Venerabilis Ioannis Calabria recurrit; et ecce exauditus est, nam nocte quae intercessit inter dies 27 et 28 Decembris a. 1957 de repente, complete stabilique modo convaluit a morbo, quem Consilium nostrum Medicum descripsit Italico sermone : « Epatopatia cronica cirrogena in etilista, pregressa malattia terzana con episodi di ascite recidivante ».

Super huiusmodi mira sanatione instructus est (aa. 1964-1965) apud Curiam episcopalem Marsorum processus ordinaria potestate sed ((more apostolico », ut dicunt, de cuius iuridica forma et vi exiit Decretum huius Congregationis die 31 Martii a. .1984. Super eodem miro eventu praefatum Consilium Medicum, die 2 Iulii anno 1986, acute disceptavit censuitque eandem sanationem hodiernae scientiae medicae legibus explicari haud posse. Hinc eadem sanatio subiecta est disceptationibus theologorum, et primum quidem, die 19 mensis Decembris eodem anno 1986, in Congressu Peculiari Consultorum theologorum,

moderante Rev.mo D.no Antonio Petti, Fidei Promotore Generali; et deinde, die 17 mensis Februarii anni huius 1987, in Congregatione Ordinaria Patrum Cardinalium, ponente Em.mo ac Rev.mo Domino Aloisio Cardinali Ciappi. Porro, utroqoe in Coetu, Consultorum scilicet et Cardinalium, dubio proposito num constaret de miraculo, in casu et ad effectum de quo agitur, datum est responsum affirmativum.

De praemissis omnibus facta postmodum per subscriptum Cardinalem Praefectum Summo Pontifici Ioanni Paulo II accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis pro Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut Decretum super miraculo appararetur.

Quod cum rite est factum, accitis hodierna die Cardinalibus infrascripto Praefecto et Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit : *Constare de uno miraculo a Deo patrato, intercedente Ven. Servo Dei Ioanne Calabria, scilicet de repentina, perfecta stabilique sanatione domini Liborii Testa ab « epatopatia cronica in etilista, pregressa malattia terzana con episodi di ascite recidivante ».*

Hoc autem Decretum in vulgus edi et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referri iussit.

Datum Romae, die 16 Martii A. D. 1987.

PETRUS Card. PALAZZINI, *Praefectus*

L. & S.

£8 Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

VII

VICTORIEN.

Canonizationis Servae Dei Margaritae Mariae López de Maturana, Fundatricis Instituti Missionariarum B. M. V. de Mercede de Bérriz (1884-1934).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

Ratio actionis missionalis Ecclesiae oritur ex Dei voluntate, qui (("omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, unus est mediator Dei et hominum, homo Christus

Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus" (1 *Tim* 2, 4-6), "et non est in alio aliquo salus" *(Act* 4, 12). Oportet igitur ut ad Eum, per praedicationem Ecclesiae agnitum, omnes convertantur, et Ipsi et Ecclesiae, quae Corpus Eius est, per Baptismum incorporetur » (Conc. Oec. Vat. II, Decretum de activitate missionali Ecclesiae *Ad Gentes Divinitus,* 7).

Mandatum Christi : « Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae » *(Me* 16, 15), secuta est etiam Serva Dei Margarita Maria López de Maturana, quae omnes impendit vires in prolatione et propagatione Regni Dei in terra; quem finem ut adipiscentur, non solum in se ipse coluit spiritum magnopere catholicum et erga divinam gratiam fidelissimum, sed omni ope studium et amorem actionis missionalis Ecclesiae circa se diffudit. Ut hoc consequeretur ex Ordine Dominae Nostrae a Mercede novum ramum excudit, novam videlicet religiosam familiam, disseminationi fidei deditam apud populos, qui nondum nuntium evangelicum audierant.

Serva Dei Flaviobrigae nata est die 25 mensis Iulii anno 1884 a Vincentio López de Maturana et Ioanna Ortiz de Zarate, qui ei nomen indiderunt Mariam Pilar. Postridie per sacramentum baptismi in populum Novi Foederis ingressa est. Post biennium (die 6 mensis Iulii anno 1886), secundum eius temporis consuetudinem, sacramentum Confirmationis accepit; postid, magno, cum fervore, ad Eucharisticam mensam accessit.

A familia est optime et fructuose educata; quam educationem perfecit in Ephebeo « Vera Cruz » appellato in urbe *Bérriz* dicta patrio sermone, quod Moniales Nostrae Dominae a Mercede regebant, in quas introivit die 25 mensis Iulii anno 1903, postquam penitus consilium se Domino consecrandi perspexerat et privatim castitatis votum susceperat (anno 1901). Consueto novitiatus anno peracto, per quem enituit pietatis ardore, diligenti Regularum observantia, voluntariae castigationis exercitio, delicata caritate et indolis bonitate, professionem simplicem fecit (die 15 mensis Augusti anno 1904) et dein sollemnem (die 28 Augusti anno 1907).

A primis annis vitae consecratae magnae virtutis specimen dedit et ardentis, constantis aviditatis progrediendi sine intermissione in Christi imitatione; unde concordem sibi peperit Sororum sodalium existimationem, quae magni facientes eximias eius facultates humanas et religiosas, ei munia crediderunt maiora in dies momento et

ratione: ianitrix fuit, post magistra, inspectrix et rectrix Ephebei, cuius ipsa alumna fuerat egregia, et denique commendatrix communitatis ab anno 1927.

In multis negotiis, quae semper egit excellenter, secum tulit sitim apostolicam Ecclesiae; quapropter omnem nanciscebatur occasionem ut Christum demostraret et animas adduceret ad Deum, imprimis Ephebei alumnas. Scripsit : « Magnopere opto earum animas formare sicut Iesus vult; sed intellego inanem esse omnem conatum meum, nisi me ipsam ei arte coniungo » ; quam ob rem, congruenter, proponebat : « Volo sancta esse, ante omnia : hanc curam aspicere volo tamquam officium meum praecipuum; omnibus laboribus meis, quantumvis amplis, anteit mea sanctitas ». Tam eximiis incensa consiliis, sedulitate coluit intimam cum Domino coniunctionem, deprecationem, divinarum veritatum contemplationem, constantem votorum religiosorum exsecutionem, continentiam sui, affabilitatem erga omnes.

Sororibus sodalibus vera mater fuit, de earum bono spiritali et corporeo sollicita. Cum, anno 1927 creata est Antistita, Virgini Mariae communitatem credens, dixit : « Putate me solummodo pauperem eius servam esse, quae nomine eius vos regam, solabor et expolire nitar, quantum in me erit ». Et insequentibus annis mire in hoc proposito mansit.

Eius spiritualitatis et industriae nota potissima fuit alacer et activus amor Ecclesiae et Missionum. Firmiter credens in verbum Domini, totam condonavit vitam non solum doctrinae evangelii magis magisque serviendo, verum etiam nuntiando verbis, scriptis et operibus Christum unicum esse nomen in quo oporteat homines salvos fieri (cfr. *Act* 4, 12). Cum fervore et prudentia spiritum missionalem diffudit in sua communitate et, quo melius necessitatibus Ecclesiae et mundi responderet, Monasterium suum in Institutum missionale mutavit. Persuasum enim sibi habebat propositum mercedarium accommodandum esse necessitatibus novorum temporum; et, quoniam quartum votum — seu voluntas propriam vitam devovendi ad vitam servorum servandam — iam ei obsoletum videbatur, existimavit pro eo utiliter votum substitui posse vitam dandi, si necessarium, pro infidelium salute. Arduum opus fuit ; sed, fulta immensa gratiae divinae fiducia, ea, quod optabat obtinuit, tum approbatione Superioris Generalis Ordinis Mercedarii (anno 1924), tum supremae Auctoritatis Ecclesiae (anno 1926), tum concordi consensu Sororum sodalium, quae proinde factae sunt primae religiosae Instituti Missionariarum B. M. V. de

Mercede de Bérriz, quarum Constitutiones Sancta Sedes approbavit die 14 mensis Augusti anno 1930.

Interim Institutum, in quo spiritus antiqui Ordinis perfecte temperatus erat cum novis apostolicis normis, ferventer inierat (anno 1926) opus evangelizationis in longinquis Sinae regionibus, celeriter simul crescens in aliis nationibus.

Serva Dei, Antistita Generalis facta die 30 mensis Iulii anno 1931, sortem Congregationis rexit manu usu perita, prudenti et forti : quod cum simplicitate fecit, humilitate, mansuetudine et humanitate, sibi comparans dilectionem et venerationem Sororum, quae libenter eius votis obsequebantur et praescriptis oboediebant. Omnibus enim apparebat eam non seipsam quaerere nec terrenam utilitatem, sed solam Dei gloriam, Ecclesiae bonum et animarum salutem. Etiam in difficilioribus et acerbioribus casibus cor eius tranquillum erat, quia Deo confidebat eiusque Providentiae. Dicere solebat : « Deus Dominus noster nos regit et curat sicut arbusculam exilem, quam is augere vult; dum hanc nostram parvitatem videbimus, credo Eum operam suam continuaturum ».

Haec spiritus mirabilis serenitas profluebat ex fide in Deo, ex fervida caritate, quam in eum habebat et ex perfecta, quam adepta erat, suorum sensuum moderatione. Sorori geminae Servae Dei Eleonorae López de Maturana, sorori professae Congregationis Carmelitarum a Caritate (1884-1931), scripsit : « Vivo prorsus amori Iesu dedita; scio hunc Iesu amorem voraginem esse quam pauci cognoscunt, si cogitatur quot nimia fecerit Ipse, ut illum nobis significaret, et ego statui Cum audacter in rem meam convertere, sicut Sancta Teresia dicat. Cotidie magis animadverto me nihil esse: nec fidelis sum, nec mihimetipsi mortua, nec quartam partem virtutum habeo in occasionibus quae mihi contingunt; placet mihi me sic videre, amori Iesu confidere, eum precari ut me purificet suumque mihi concedat perfectum amorem, *gratuito,* id est ob fidem quam ei habeo : ita non confido me sanctam esse me effecturam exercitatione huius aut illius virtutis, sed tantum quia Dominus potest me sanctam reddere, et quia hoc spero. Hoc modo Iesus est mihi vita, et quidquid mihi mittit, bonum est mihi; nec gaudere, nec vivere, nec mori cupio ; solum exopto fiduciam, quam Iesu habeo, augeri, quoniam scio me numquam ea esse abusuram. Mihi sic viventi, nescio quam pacem concedat Dominus ».

Et donum pacis interioris servavit etiam inter longum et acerbum morbum, quo mortua est die 23 mensis Iulii anno 1934 in valetudinario S. Ignatii Sebastianopoli Hispania.

Fama sanctitatis, quam Serva Dei viva sibi comparaverat, mansit post eius mortem; quam ob rem apud Curiam Episcopalem Victoriensem inchoata est Causa canonizationis celebratione Processus Ordinarii Informativi (annis 1943-1950) et item Processus Rogatorialis Matritensis (anno 1950). Editis Decretis super scriptis (anno 1954), super Introductione Causae (anno 1961) et super non cultu (anno 1962), instructi sunt Processus Apostolici Flaviobrigensis (annis 1965-1968) et Guadalaiarensis in Mexico (annis 1967-1968). Horum Processuum vis et auctoritas agnita est a Congregatione pro Causis Sanctorum die 9 mensis Februarii anno 1973.

Felici cum exitu Consultores Theologi, in Congressu Peculiari acto die 16 mensis Decembris anno 1986, de virtutibus Servae Dei consuluerunt.

Patres Cardinales et Episcopi, in Congregatione Ordinaria coacti die 3, mensis Martii anno 1987, Ponente Causae Exc.mo ac Rev.mo Domino Paulino Limongi, archiepiscopo titulari Nicaeensi in Haemimonto, professi sunt Servam Dei Margaritam Mariam López de Maturana heroum in modum virtutes théologales, cardinales et adnexas exercuisse.

Facta postmodum de hisce omnibus per subscriptum cardinalem Praefectum accurata Summo Pontifici Ioanni Paulo II relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis pro Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut Decretum super heroicis Servae Dei virtutibus appararetur.

Quod cum factum esset, accitis hodierna die cardinali subscripto Praefecto necnon Causae ponente meque Antistite a secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque adstantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit : ***Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis in gradu heroico Servae Dei Margaritae López de Maturana, in casu et ad effectum de quo agitur.***

Hoc autem Decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referri praecepit.

Datum Romae, die 16 Martii, A. D. 1987.

PETRUS Card. PALAZZINI, ***Praefectus***

L. © S.

© Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, a ***Secretis***

VIII

FLORENTINA

Canonizationis Ven. Servae Dei Eleonorae Ramírez Montalvo viduae Landi, Fundatricis Ancillarum SS. Trinitatis et Divinae Incarnationis (1602-1659).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, in caso et ad effectum de quo agitur.

« Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum? Si frater aut soror nudi sunt et indigent victu cotidiano, dicat autem aliquis de vobis illis: «Ite in pace, calefacimini et satur amini », non dederit autem eis, quae necessaria sunt corporis, quid proderit? Sic et fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa » *(Iac* 2, 14-17). Fides enim viva est et ad salutem adducit, prout totam format vitam credentis, qui firme divinum sequens verbum, Dei voluntati paret et opera facit a Christo discipulis praescripta; Dominus namque dixit: ((Non omnis qui dicit mihi : Domine, Domine, intrabit in regnum caelorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in caelis est » *(Mt* 7, 21), et etiam : « Si quis diligit me, sermonem meum servabit » *(Io* 14, 23) ; sanctus Paulus, denique, palam affirmat Deum « redditurum esse unicuique secundum opera eius » *(Rom* 2, 6). Verus igitur Christi sectator scit sibi mandata Dei esse servanda, si vult ad vitam ingredi (cf. *Mt,* 19, 17), et boni fructus faciendi (cf. *Mt* 7, 17).

His salutaribus principiis adhaerescens, etiam Serva Dei Eleonora Ramírez Montalvo, verbo Domini obsequens et Spiritus Sancti impulsibus, legem eius observavit et custodivit in toto corde suo (cf. *Ps* 118, 34) ; vultum Dei amanter quaesivit eiusque fruita est familiaritate ; impigre operam navavit regno Christi in terra dilatando et populo novi Foederis erga evangelii praecepta fideliori reddendo; factis amorem testificata est in puellas pauperes et prudenter educationem provexit puellarum nobilium.

Serva Dei Genuae orta est die 6 mensis Iulii anno 1602 a Ioanne Ramírez Montalvo et Elisabetha Torrebianca. Biduo post baptismi

sacramentum accepit. Ob adversos familiae casus et patris mortem praematuram (a. 1607) laboriose et aspere egit infantiam; pro pretio tamen recte et religiose a matre (f 1621) est educata et a Clarissis Monasterii Sanctae Clarae Floren tiae, quarum alumna fuit egregia ab aetate novem annorum usque ad aetatem duodeviginti annorum. Quamvis se Domino consecrare optaret, mater tamen eam e monasterio eduxit et impulit ad nubendum Horatio Landi (die 30 mensis Augusti anno 1620), nobili homini Florentino. Aliquot post annos (anno 1625), cum maiorem perfectionem appeteret in Christo sequendo et animadverteret se vocari ad insistendum in res divinas, mariti consensu, qui eam existimabat sacrarium Spiritus Sancti, secessit in pauperem domunculam. Ita, omnibus commodis et inanibus mundi relictis, agere coepit vitam solitariam et tempus impendere in assiduam precationem et in ásperas paenitentias. Haec singularis morum austeritas, sicut interdum contigit, non est a propinquis probata, quos cognatae pudebat. Qua re, suadente etiam confessario, fidelis Christi discipula in domum se contulit (a. 1626) fratris minoris natu; sed hac sedis mutatione proposita non remisit, namque, magno Domini amore incensa, magis magisque paenitentiis se dedidit et deprecationi, in quam diem et magnam noctis partem insumebat, continuos progressus faciens in cognitione Dei et singulares gratias obtinens ab eo.

Simul autem, cum ardenter exoptaret saluti animarum consulere etiam finitimo apostolatu, libenter in Indias iisset evangelium nuntiatura et latura martyrium, sed monita est ne tam audax studium ad effectum adduceret. Hoc deposito consilio, cogitavit se posse nihilo minus gloriae Dei operam navare si ubi erat, maneret. Hinc, necessariis concessionibus habitis, apud se puellas pauperes coegit (anno 1627), condens quae dicebatur « Domus puellarum Dominae Montalvo »; quaeque postea appellata est « Domus puellarum a SS. Sacramento ». Adiuvantibus P. Cosimo Pazzi, S. I., et Elisabetha Celleni, Opus convaluit et ab auctoritate ecclesiastica dioecesana anno 1628 est approbatum. Dum materna cura et prudenti rationi puelli educandis prospiciebat quibus assidebat, utilis esse, precando et patiendo, urbi suae, Ecclesiae et omnibus, qui eius auxilio indigebant non destitit. Insuper maxima cum diligentia vitam suam interiorem excolebat, quam sine intermissione alebat contemplatione, mediatione, ascesi, paupertate et humilitate. Quo acerbiores erant dolores corporis et spiritus, eo plura caelestia dona accipiebat a Deo : temptationes, difficultates, opum penuria, morbi, molestiae, nedum ignem eius caritatis exstinguerent

aut attenuarent, eiusdem vim roborabant et flammas augebant quae, altae, populum Florentinum illuminabant et calefaeiebant.

Post varios eventus, non semper laetos, innixa in Opus iam conditum, statuit Institutum « Ancillarum a SS. Virgine Matre Dei », post vocatum « Ancillarum a Divina Incarnatione », cuius constitutiones, ab ipsa Conditrice conscriptae, approbatae sunt a Vicario Generali Florentino die 25 mensis Octobris anno 1645. Novum Institutum, quod consulere intendebat puellarum pauperum educationi, abolitum est a moderatoribus Italicis anno 1886, eiusque sodales se coniunxerunt cum Instituto ((Ancillarum a SS. Trinitate », ab eadem Serva Dei condito (anno 1650) puellis nobilibus educandis: ortum est hoc modo praesens Institutum Sororum Minimarum Ancillarum SS. Trinitatis, a Sancta Sede approbatum anno 1956.

Serva Dei, etsi in contemplatione mersa sicut piscis in aqua, attenta speculatrix fuit rerum circumiacëntium ; quin, ex ipsa luce, quae in eius spiritu splendebat, melius intellexit necessitates spiritales proximi et hominum eius aetatis, et est cupiditate accensa immittendi in hominum corda evangelicum fermentum. Ita in vita sua studium contemplationis temperavit cum navitate, silentium cum testimonio, solitudinem cum industria participatione salvifici muneris Ecclesiae. Idcirco, quamquam libenter coram Deo sistebat et cum eo amanter colloquebatur, vigili et materna cura Opera sua gubernabat; pari cum sedulitate et temperamento suis discipulis moderabatur in cognitione et servitio Domini. Quandoquidem cupiebat fieri omnia omnibus, sortem etiam et bonum Ecclesiae respiciebat, cuius filia fuit obsequens et fidelis : quo pulchrior et sanctior fieret mystica Sponsa Christi, exoptavit multimodis eius reformationem ; utque id eveniret, suadebat imprimis augmentum cultus SS. Trinitatis, quam peculiari et flagranti amore prosequebatur; recognitionem religionum popularium; institutionem doctrinae christianae, cum ignotus glorifican non possit ; refrenationem luxus ecclesiastici; officiorum collationem dignis personis.

Ipsa sensit, et quidem cum gaudio, suum esse continenter progredi in cognitione divinae evritatis, quam, adiuvante Spiritu Sancto, eminenter, abundanter et fructuose mente comprehendit. Deum eius intellectus luce Dei efferebatur, anima purissima incendebatur caritate, quam significabat se totam Amato suo tradendo eique per omnia piacendo, voluntatem eius diligenter faciendo omneque peccati genus vitando. Quo expeditius per viam perfectionis percurreret et suam cum Domino augeret familiaritatem, fervidam pietatem excolebat erga

SS. Eucharistiam, erga mysteria vitae Domini nostri, erga Virginem Mariam. Super actum fundamentum vividae fidei, precationis, humilitatis, aspernationis sui ipsius, communionis cum Ecclesia eiusque auctoritatibus, insigne extruxit virtutum aedificium, quas tam excellenter est assecuta, ut difficile esset diiudicare in qua maiorem perfectionem esset adepta, cum omnibus praecellenti Ideo simul prudens erat et simplex, iusta et generosa, sollers et constans, fortis et mitis, firma in inceptis et obsequens aliens consiliis, studiosa silentii et iucunda in sermocinatione, bonorum terrestrium neglegens et cauta in negotiis gerendis et in rectione operum suorum, patriae caelestis appetens et sollicita de prosperitate spiritali et corporea societatis terrenae, amans mariti, a quo est in viduitate relicta anno 1656, et omnino rebus Dei dedita, servitio proximi et Ecclesiae. Etsi multis dotibus naturae praedita et divinis, occultationem amabat et contemptum ; humiliora ministeria exercebat et, licet habilis esset scriptrix et poetria, nullam humanam laudem quaerebat.

Talis mansit donec pie et suaviter de vita decessit die 10 mensis Augusti anno 1659, a discipulis et a populo venerata.

Eius fama sanctitatis, quam viva sibi comparaverat, post mortem perduravit ; quam ob rem religiose retenta sunt non solum eius scripta et eximiarum eiu svirutum memoria, verum etiam praestantia monumenta ad eius vitam et sanctitatem pertinentia. Anno 1739 ei tributus est titulus *Venerabilis* et tandem, post varios conatus frustra confectos ob causas a Causa seiunctos, celebratus est Processus Ordinarius Informativus apud Curiam archiepiscopalem Florentinam (anno 1925). Die 18 Novembris anno 1936 editum est Decretum super scriptis Venerabili Servae Dei tributis. Ut par erat, praeparatio *Positionis* delegata est Sectioni Historicae id temporis Congregationis Eituum. Expletis necessariis inquisitionibus actorum in tabulis inclusorum et eorum inspectionibus, die 17 Martii anno 1965, felici cum exitu convenerunt Consultores Historici. Die 13 Novembris anno 1976 proditum est Decretum super Introductione Causae et die 3 Martii anno 1978 Decretum super non cultu.

Die 27 Ianuarii anno 1987 Consultores Theologi, in Congressu Peculiari coacti, moderante Rev.mo D.no Antonio Petti, Promotore Generali Fidei, faventem opinionem dixerunt de virtutibus a Venerabili Serva Dei exercitis.

Etiam Patres Cardinales et Episcopi, in Congregatione Ordinaria die 7 Aprilis a. 1987, Ponente Causae Em.mo et Rev.mo D.no Cardinali

Mario Aloisio Ciappi, agnoverunt Venerabilem Servam Dei Eleonoram Ramírez Montalvo virtutes théologales, cardinales et adnexas heroum in modum exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus per subscriptum Cardinalem Summo Pontifici Ioanni Paulo II accurata relatione, Sanctitas Sua ut decretum super heroicis Servae Dei virtutibus conscriberetur mandavit.

Quod cum rite esset factum, hodierna die, accitis cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis, ceterisque de more convocandis, iisque astantibus, Beatissimus Pater, declaravit sollemniter : *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis; in gradu heroico, Ven. Servae Dei Eleonorae Ramírez Montalvo viduae Landi, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem Decretum in vulgus edi et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referri praecepit.

Datum Romae, die 8 mensis Maii A. D. 1987.

PETRUS Card. PALAZZINI, *Praefectus*

L. © S.

& Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

IX

MESSANEN.

Canonizationis Beatae Eustochiae Calafato, Virginis Clarissae, Fundatricis Monasterii Montis Virginis Messanensis (1434-1485).

SUPER DUBIO

An, post indultam ab Apostolica Sede venerationem, constet de miraculo, in casu et ad effectum de quo agitur.

In urbe Messana, die 25 Martii anno 1434, nata, Eustochia Calafato, virgo Clarissa, magna popularique in vita et post mortem (die 20 Ianuarii a. 1485), ad nostra usque tempora, sanctitudinis fama gavisa est. Pius Papa VI eius ab immemorabili tempore cultum approbavit die 14 mensis Novembris a. 1782. Probatis demum, ad iuris normam, die 21 Martii a. 1985, a Ioanne Paulo II heroicis eiusdem vir-

tutibus, Causae actores miram quandam sanationem Apostolicae Sedi ad cognoscendum exhibuerunt, ut ad canonizationem eiusdem Beatae rite deveniretur. Agitur porro de sanatione domini Lecterii Mangano, 65 annos nati, a meningoecephalopathia probabilis naturae posttraumaticae cum statu gravis veterni; quae evenit inter vesperam diei 21 et mane diei 22 mensis Martii anno 1965, in pago *Annunûata* (prope Messanam), precibus Beatae Eustochiae Calafato tributa.

Lecterius et non gravem affectionem ulceris stomachi et intestinae appendicis morbi, semper commoda est usus valetudine. Die 26 mensis Octobris a. 1964 ob autocineticum casum est trauma calvae passus. Illico in valetudinarium deductus curarum causa, quas casus postulabat, post 21 dies est inde dimissus. Instaurato labore apud navalia Messenia, aliud ostendit incommodum; unde die 9 mensis Februarii a. 1965 iterum est in valetudinarium deductus, edita prognosi « meningum myelitis in sede cervicum superiore» ex praegressu traumatis calvae. Ibi eius condiciones peiores factae sunt, adeo ut propinqui rogaverint ut sibi fas esset eum domum ferre, ut posset domi mori. Incidit tum in veternum morti proximum. Interim cognati aegri casum precibus commendaverunt Beatae Eustochiae Calafato ; et quidem brevi tempore, nocte interposita inter diem 21 et diem 22 mensis Martii anno 1965, gradatim restitutum est sensorium et salus tota recuperata.

Super huiusmodi miro eventu conditus est, annis 1967-1971, apud curiam archiepiscopalem Messanensem processus more, ut dicunt, apostolico, cuius iuridica forma et vis admissa sunt per Decretum Congregationis pro Causis Sanctorum die 16 Novembris a. 1984 editum. Consilium deinde Medicum eiusdem Congregationis, die 26 Novembris a. 1986 coadunatum, examini subiectis depositionibus tum testium excussorum, tum medicorum a curatione et ab inspectione, praefatam sanationem esse factum quod per naturae leges explicari non posse affirmavit.

Quibus absolutis, actio est agitata super eadem sanatione primum, die 27 Martii a. 1987, in Congressu Peculiari Consultorum theologorum, moderante Rev.mo D.no Antonio Petti, Fidei Promotore Generali ; postea, die 28 Aprilis eodem anno, in Ordinaria Patrum Cardinalium Congregatione, ponente Em.mo ac Rev.mo Domino Iosepho Casoria. Et in utroque Coetu dubio proposito num constaret de miraculo cunctis votis responsum est datum affirmativum.

Facta postmodum de hisce omnibus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum relatione, Sanctitas Sua vota

Congregationis pro Causis Sanctorum excipiens, iussit Decretum super eadem sanatione mira rite apparari.

Quod cum factum esset, accitis hodierna die cardinalibus subscripto Praefecto et Causae Ponente meque Antistite a Secretis, ceterisque de more convocandis, iisque astantibus, Beatissimus Patre declaravit: *Constare de uno miraculo, Beata Eustochia Calafato intercedente, a Deo patrato, scilicet de instantánea, perfecta ac duratura sanatione domini Lecterii Mangano a meningoecephalopathia probabilis naturae postraumaticae, rapidissima autem quoad generales condiciones.*

Hoc autem Decretum publici fieri iuris et in acta Congregationis referri mandavit.

Datum Romae, die 8 mensis Maii, A. D. 1987.

PETRUS Card. PALAZZINI, *Praefectus*

L. & S.

© Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Visita Ufficiale :

Giovedì, 25 Giugno 1987, S. E. il Dottor KURT WALDHEIM, Presidente Federale della Repubblica d'Austria.

Ha ricevuto in Udienza Ufficiale per la presentazione delle Lettere Credenziali:

Venerdì, 5 Giugno 1987, S. E. il Signor PEREZI KARUKUBIRO-KAMUNANWIRE, Ambasciatore di Uganda presso la Santa Sede.

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Visita:

Sabato, 6 Giugno 1987, S. E. il Signor RONALD REAGAN, Presidente degli Stati Uniti d'America.

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Udienza :

Sabato, 20 Giugno 1987, S. E. il Signor MARTIN DOHOU AZONYIHO, Ministro dell'Agricoltura e dello Sviluppo (Iella Repubblica Popolare del Benin.

Mercoledì, 24 Giugno 1987, S. E. il Signor Brian Lenihan, Ministro degli Affari Esteri d'Irlanda.

Venerdì, 26 Giugno 1987, l'On. RICARDO GÓMEZ GALVEZ, Presidente del Congresso della Repubblica del Guatemala.

Martedì, 30 Giugno 1987, il Signor JERZY KUBERSKI, Capo della Delegazione del Governo della Repubblica Popolare di Polonia per i contatti permanenti di lavoro con la Santa Sede.

Sabato, 4 Luglio 1987, S. A. Em.ma Fra ANGELO DE' MOIANA DI COLOGNA, Principe e Gran Maestro del Sovrano Militare Ordine di Malta.

Da Lunedì 8 a Domenica 14 Giugno 1987 il Santo Padre si è recato in Apostolico pellegrinaggio in Polonia.

Giovedì, 25 Giugno 1987, il Santo Padre ha presieduto, nel Palazzo Apostolico Vaticano, una riunione degli Em.mi Signori Cardinali Capi dei Dicasteri della Curia Romana.

Venerdì, 3 Luglio 1987, alla presenza del Santo Padre, si è riunita nel Palazzo Apostolico Vaticano la Congregazione per le Cause dei Santi.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Breve Apostolico il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

20 giugno 1987. Mons. Ivan Dias, Arcivescovo tit. di Eusubisir, *Pro-Nunzio Apostolico in Corea.*

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato :

7 maggio 1987. Mons. Mcolino Sarale, *Cappellano degli Agenti di Vigilanza dello Stato della Città del Vaticano.*
27 » » S. E. mons. Basil Meeking, Vescovo di Christchurch, *Membro del Segretariato per VTJnione dei Cristiani.*
6 giugno » Mons. Sebastiano Másala, Uditore della Rota Romana, *Canonista della Penitenzieria Apostolica.*
» » » Mons. Tommaso Giussani ed il sac. Francesco Moccia, S.A.C., *Consiglieri della Penitenzieria Apostolica.*
15 » » S. E. mons. Jerzy Ablewicz, Arcivescovo di Tarnów, *Membro Vescovo diocesano della Congregazione per le Cause dei Santi «.in aliud quinquennium».*
26 » » Mons. Gerard Daucourt, *Delegato nel Segretariato per* ***r*** *Unione dei Cristiani.*
27 » » I padri : Golm Murphy, S.S.C.M.E. ; Bruno Holtz S. M.B. ; — il signor Robert Malhant, *Consultori della Pontificia Commissione per le Comunicazioni Sociali.*
2 luglio » Mons. Peter Paul Prabhu, *Sotto-Segretario della Pontificia Commissione per la Pastorale delle Migrazioni e del Turismo.*

Protonotari Apostolici soprannumerari:

13 febbraio 1986. Mons. William Anthony Genuario (Bridgeport).
26 agosto » Mons. Peter Chavalit Vinikul (Ratchaburi).
29 dicembre » Mons. Bassiano Staffieri (Lodi).

5	gennaio	1987.	Mons. Pablo Urizar Barrios (Santa Cruz del Quiche)
24	»	»	Mons. Noger Morin (Ottawa).
28	febbraio	»	Mons. Luigi Carcano (Milano).
16	marzo	»	Mons. Danilo Salomone (Lanciano-Ortona).
»	»	»	Mons. Antonio Trotta (Lanciano-Ortóna).
18	»	»	Mons. Wladyslaw Galab (Czestochowa).
21	»	»	Mons. Stanislaw Grzybek (Czestochowa).
»	»	»	Mons. Czesiaw Pawlaczyk (Poznan).
30	»	»	Mons. Teofil Ratajczak (Poznan).
»	»	»	Mons. Baldassarre Cuomo (Pompei).
24	»	»	Mons. Antonio Macculi (Otranto).
»	»	»	Mons. Rodomonte Galligani (Civita Castellana).

Prelati d'Onore di Sua Santità:

18	dicembre	1985.	Mons. Francis J. Hudak (Harrisburg).
»	»	»	Mons. Cletus H. Wagman (Harrisburg).
»	»	»	Mons. Robert E. Lawrence (Harrisburg).
13	febbraio	1986.	Mons. Andrew Thomas Cusack (Bridgeport).
»	»	»	Mons. Harry Loran Haie (Bridgeport).
»	»	»	Mons. Bernard Stephen Scanion (Bridgeport).
»	»	»	Mons. William Joseph Scheyd (Bridgeport).
»	»	»	Mons. Alfred Joseph Sienkiewicz (Bridgport).
2	settembre	»	Mons. Petra Gherman (Fägarase Alba Julia).
29	»	»	Mons. Enrico Ravera (Lodi).
»	»	»	Mons. Luigi Fioretti (Lodi).
21	ottobre	»	Mons. Giuseppe Bonanomi (Lugano).
»	»	»	Mons. Isidoro Marcionetti (Lugano).
»	»	»	Mons. Urban Mwendakwao (Sumbawanga).
»	»	»	Mons. Raymund Msenga (Sumbawanga).
5	gennaio	1987.	Mons. Ignace Cretnick (Paris).
»	»	»	Mons. Jonas Petrosius (Paris).
»	»	»	Mons. Julius Gasparik (Paris).
»	»	»	Mons. Zdravko Ostojic (Paris).
8	gennaio	»	Mons. Nikolaus Wyrwol (Hildesheim).
12	»	»	Mons. Johann Diekmann (Trier).
»	»	»	Mons. Robert Tremblay (Ottawa).
24	»	»	Mons. Gabriel Gómez Sánchez (Toluca).
»	»	»	Mons. J. Arnold Stanton (Ottawa).
27	»	»	Mons. Paul Guiberteau (Paris).
»	»	»	Mons. Antonio Domínguez Valverde (Sevilla).
29	»	»	Mons. Joannes Cheung Sam-Kyou (Masan-Korea).
»	»	»	Mons. Aloysius Kim Dou-Ho (Masan-Korea).
»	»	»	Mons. Florianus Chunz Ha-Kwen (Masan-Korea).
16	febbraio	»	Mons. Primitivo Castillo Sosa (Tulancingo).
23	»	»	Mons. Vito Mandolini (Civitavecchia Tarquinia).
25	»	»	Mons. Horacio Rljevic (Zarate-Campana).
27	»		Mons. Pedro Laos Hurtado (Lima).

8	marzo	»	Mons. Marcel Thorel (Paris).
»		»	Mons. Charles Moiette (Paris).
»	»	»	Mons. Urbain Lang (Edmundston).
4	»	»	Mons. Joseph E. Kiniry (Altoona-Johnstown).
5	»	»	Mons. Charles Marda (Lilongwe).
16	»	»	Mons. Carlo Alberto Scarinci (Lanciano-Ortona).
21	»	»	Mons. Stanislaw Kalek (Poznan).
»	»	»	Mons. Tadeusz Jablonski (Poznan).
23	»	»	Mons. Juozas Prunskis (Panevézys)
30	»	»	Mons. Pietro Caggiano (Pompei).
4	aprile	»	Mons. Michele Pinto (Lecce).
27	»	»	Mons. Francesco Guarino (Tursi-Lagonegro).
5	maggio	»	Mons. Aldo Balduin (Adria-Rovigo).
9	»	»	Mons. John Iverinci (Toronto).
»	»		Mons. George William O'Brien (Toronto).
»	»	»	Mons. Clement Schwalm (Toronto).
»			Mons. Peter Somerville (Toronto).
27	»	»	Mons. Adriano Bernardini (Roma).
»	»	»	Mons. Emery Kabongo (Luluabourg).
»		»	Mons. Lorenzo Baldisseri (Pisa).
»	»	»	Mons. Diego Causerò (Udine).
»		»	Mons. Abraham Kattumana (Ernakulam).

Cappellani di Sua Santità:

18	dicemre	1985.	Il sac. Francis M. Kumontiy (Harrisburg).
»	»	»	Il sac. William M. Richardson (Harrisburg).
16	gennaio	1986.	Il sac. Rolf Breitenbruch (Köln).
13	febbraio	»	Il sac. Joseph James Cuneo (Bridgeport).
»	»	»	Il sac. Alan Francis Detscher (Bridgeport).
»	»	»	Il sac. Nicholas Vincent Grieco (Bridgeport).
»	»	»	Il sac. Richard Joseph Shea (Bridgeport).
»	»	»	Il sac. Gregory Michael Smith (Brigdeport).
12	maggio	»	Il sac. Martin Philip Ryan (Bridgeport).
»	»	»	Il sac. Giacomo Sommavilla (Termoli).
»	»	»	Il sac. Riccardo Mucciarella (Larino).
6	novembre	»	Il sac. Joannes Benz (Köln).
2	dicembre	»	Il sac. Rufus Olukayo de Parióla (Ekiti).
16	»	»	Il sac. Ludwig Schick (Fulda).
18	»	»	Il sac. Alois Hartmann (Fulda).
29	»		Il sac. Claudio Baggini (Lodi).
»	»	»	Il sac. Francesco Pavesi (Lodi).
»	»	»	Il sac. Attilio Fogliazza (Lodi).
»	»	»	Il sac. Lino Magenes (Lodi).
»	»	»	Il sac. Mario Ferrari (Lodi).
»	»		Il sac. Luciano Quartieri (Lodi).
8	febbraio	1987.	Il sac. Vito Ferini (Udine).
»	»	»	Il sac. Angelo Peressutti (Udine).
»	»	»	Il sac. Lino Andrioli (Udine).
7	»	»	Il sac. Dante Maironi (Pescara).

7 febbraio 1987. II sac. Venturino Di Nicola (Pescara).
13 » » II sac. Giuseppe Alfano (Patti).
» » » II sac. Francesco Surace (Patti).
» » » II sac. Giuseppe Sava (Patti).
» » » II sac. Filadelfo Lorello (Patti).
» » » II sac. Antonino Ojeni (Patti).
18 » » II sac. Jaroslav Nemec (Olomouc).
» » » II sac. Emeterio I. Roldan (Kalibo).
20 » » II sac. Giuseppe Di Filippo (Teramo-Atri).
23 » » II sac. Arnaldo Saladini (Civitavecchia-Tarquinia).
» » » II sac. Loreto Panaccione (Civitavecchia-Tarquinia).
27 » » II sac. René Paredes Ara ja (Lima).
» » » II sac. Jaime Núñez Rubatto (Lima).
3 marzo » II sac. Hilarión Kaianabayo (Fort-Portal).
» » » II sac. Amado D. Olayvar (Maasin).
5 » » II sac. Nino Rolleri (Piacenza).
10 » » II sac. Robert James Sarno (Brooklyn).
» » » II sac. Leonard Pawel Flisikowski (Chehnno).
» » » II sac. Mario Ghezzi (Montepulciano-Chiusi-Pienza).
18 » » II sac. Franciszek Rapala (Czestochowa).
» » II sac. Józef Nowaczynski (Czestochowa).
» » » II sac. Stanislaw Kadziolka (Czestochowa).
21 » » II sac. Dominique François J. Mamberti (Ajaccio).
» » » II sac. Jan Ówiejkowski (Poznan).
» » » II sac. Tadeusz Pilaciúski (Poznan).
» » » II sac. Zbigniew Rapior (Poznan).
» » » II sac. Tadeusz Szmyt (Poznan).
» » » II sac. Antoni Wilczyúski (Poznaú).
» » » II sac. Jan Pytel (Poznaú).
» » » II sac. Tadeusz Walachowicz (Poznaú).
28 » » II sac. Carlo Testa (Milano).
2 aprile » II sac. Carlo De Vecchi (La Spezia-Sarzana-Brugnato).
4 » » II sac. Salvatore Bacca (Lecce).
» » II sac. Vincenzo Bassa (Lecce).
» » II sac. Temistocle De Leo (Lecce).
» » » II sac. Benedetto Bisconti (Lecce).
» » II sac. Lorenzo Ceccarini (Fano-Fossombrone-Cagli-Pergola).
7 » » II sac. Nicola Di Domenica (Trivento).
» » » II sac. Pasquale Maria Di Filippo (Trivento).
» » » II sac. Vincenzo Zaccardi (Trivento).
9 » » II sac. Lauro Minin (Udine).
24 » » II sac. Adriano Caprioli (Milano).
29 » » II sac. Albino Tenderini (Venezia).
2 maggio » II sac. Domenico Gamielli (Belluno-Feltre).
4 » » II sac. Giovanni Brusoni (Lodi).
5 » » II sac. Petr Esterka (Brno).
» » » II sac. Ugo Battizocco (Adria-Rovigo).
» » II sac. Afro Borgato (Adria-Rovigo).

5	maggio	1987.	II sac. Giordano Caberletti (Adria-Rovigo).
»	»	»	II sac. Bruno Cappato (Adria-Rovigo).
»	»	»	II sac. Vanni Cezza (Adria-Rovigo).
»	»	»	II sac. Antonio Dona (Adria-Rovigo).
»	»	»	II sac. Mario Scarparo (Adria-Rovigo).
»	»	»	II sac. Giorgio Seno (Adria-Rovigo).
9	»	»	Il sac. Jerzy Nowaczyk (Gorzów).
»	»	»	Il sac. Leonard Paul O'Malley (Toronto).
12	»	»	II sac. Giambattista Di Quattro (Ragusa).
»	»	»	II sac. Aleksandrs Goldikovskis (Riga).
22	»	»	II sac. Luigi Maggioni (Milano).
»	»	»	II sac. Józef Kazimierz Drazek (Warmia).
13	giugno	»	II sac. Giuseppe Torresan (Padova).

NECROLOGIO

1	maggio	1987.	Mons. Dominic Joseph Abreo, Vescovo di Aurangabad *(India).*
2	giugno	»	Mons. Antonio Maria Aguirre, Vescovo emerito di S. Isidro *(Argentina).*
7	»	»	Mons. Giovanni Starnati, Vescovo di Lungro degli Italo-Albanesi *(Italia).*
13	»	»	Mons. Altivo Pacheco Ribeiro, Vescovo tit. di Aliezira.
16	»	»	Mons. Pedro José Ri vera Mejia, Vescovo emerito di Socorro y San Gil *(Colombia).*
17	»	»	Mons. Walter Binin, Vescovo di Lins *(Brasile).*
18	»	»	Mons. Raymond Rodly Caesar, Vescovo di Garoka *(Papua Nuova Guinea).*
26	»	»	Mons. Bienvenido Tudtud, Vescovo tit. di Timida.
30	»	»	Mons. Joâo Batista Cavati, Vescovo emerito di Caratinga *(Brasile).*

An. et vol. LXXIX 6 Augusti 1987 N. 8

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: **Palazzo Apostolico — Città del Vaticano** — *Administratio:* **Libreria Editrice Vaticana**

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

LITTERAE DECRETALES

Beata Margarita Bourgeoys Sancta esse decernitur et definitur.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

In historia propagationis Ecclesiae, quotiens novae terrae reperiebatur, multae animae eundem audierunt arcessitum, quem Abraham : « Dixit autem Dominus ad Abram : Egredere de terra tua et de cognatione tua et de domo patris tui in terram, quam monstrabo tibi. Paciamque te in gentem magnam et benedicam tibi et magnificabo nomen tuum, erisque in benedictionem)) *(Gn* 12, 1-3).

Inter omnes, qui hunc interiorem arcessitum animadverterunt et secuti sunt, eminet Margarita Bourgeoys, exemplar dignum quod universae Ecclesiae proponatur ad imitandum et venerandum, quodque titulum meruit <(Matris regionis et Ecclesiae cuiusdam ».

Cum prorsus magna Americana continens attacta est et dein gradatim vestigata, capta, evangelizata ab Europa christiana, vel fere saeculo post, Margarita Bourgeoys nata est in urbe Trecis, e numerosa familia, modesta et christiana, cuius parentes fuerunt Abraham Bourgeoys et Villelma Garnier, die xvn mensis Aprilis, quo etiam baptizata est. Eius vitae primos viginti annos omnino ignoramus. Ipsa ferme sola, ad gratias Domino agendas, ultimis suis annis narrat nobis educationis bona a parentibus ea aetate acceptae, a sacerdotibus, qui eam celeriter ad viam direxerunt pietatis, ad quoddam vitae genus, iam vitae mulieris religiosae in mundo similis.

Damna belli eam excitaverunt ad misericordem caritatem : « Servire pauperibus maxima erat eius sollicitudo », quaedam cognata scripsit.

Cum undeviginti esset annorum et matre orbata, pater ei curam domus delegavit et fratrum minorum natu educationem. Nihil tamen praemonebat iter spiritale extra vias ordinarias eam esse facturam.

Sed ad maiorem magnanimitatem et derelictionem vocabatur, ut ei Virgo Maria significavit viginti annos natae, inter pompam in honorem Sancti Rosarii. Affirmavit enim se tactam esse, mutatam, sibique non iam cognitam, dum Virginis Mariae imaginem aspiciebat. Statimque suis ((vanitatibus » depositis statuit ex mundo se recipere, ut se servitio Dei totam traderet.

Itamque se contulit imprimis ad pueros educandos, ad aegros pauperes, ad morientes et ad mortuos curandos, cum interim ante omnia sacramenta paenitentiae et Eucharistiae obiret. In animo habebat religiosa fieri; sed Virgo Maria per moderatorem spiritus indicavit illi se nolle eam vitam monialis in monasterio clausae degere, proposuitque ut eius vita esset « viatrix ». Et quidem post aliquot considerationis annos, mense Maio anno MDCLIII Praefectus Canadae eam hortatus est ut se sequeretur aliquasque ibi mulieres assequeretur, iam profecías, quibuscum aegrotos et pueros curaret, exciperet « feras incultasque gentes » se convertendi studiosas.

Inde, post Virginis visionem, quae ei dixerat : « I, nequaquam te relinquam », consilium cepit.

Huic affirmationi fisa, Margarita urbem patriam reliquit semel et in perpetuum die vi mensis Februarii anno MDCLIII, sine pecunia, pro sarcina fasciculum secum habens, qui sub brachio poterat portari.

Die XVI mensis Novembris anno MDCLIII, post novem navigationis menses, Marianopoli de navi exiit, quo nomine tunc urbs Montréal appellabatur.

Primum cordi ei fuit rursus crucem extollere in colle, quam « Iriquenses » diruerant. Quo actu et aliquid alti significare voluit et Christum deprecari, qui eas in aerumnis regere debebat. Ab anno MDCLIII ad annum MDLVIII innumerabilibus colonis servivit, peculiarem tamen adhibens sollicitudinem de matribus deque earum pueris, adeo ut me-, rita sit ((Mater coloniae » vocari. Insuper potissimam operam navavit pueris congregandis, ut eos erudiret, christianam doceret doctrinam atque ad humiliores vitae labores institueret. Fuit etiam ab ea aegris consulendum auxiliumque ferendum ceteris mulieribus, quae eos curabant, sed non erant numero sufficientes. Cotidie, praeter alias necessitates et interdum in periculis, quae e globis armatis oriebantur, ad terram suam defendendam contra ereptores paratis, niti oportebat novas domus aperire et quos eiusmodi opera postulabat invenire.

Margarita Bourgeoys septem confecit itinera in Galliam, unde identidem secum pias ducebat animas, quae eius exemplo incitabantur ad pericula obeunda terrarum novarum et ad se Deo consecrandam. Ita orta est Congregatio a Domina Nostra Marianopolitana, quam rex Galliae anno MDCLXXI publice approbavit, Episcopus vero anno MDCLXXVI. Ab hoc anno ((Filiae saeculares » percurrebant « binae » ripas fluminis Sancti Laurentii, « sicut Maria in sua Visitatione », ut puellas institutione bonas christianas redderent et exinde bonas matres familias, iuxta praecipuam visionem Servae Dei. Iam primae postulantes Canadenses vel ((Iroquenses » novitiatum ingrediebantur et stabiles aperiebantur « missiones », rogante Episcopo vel parochis.

Anno MDCLXXVIII Serva Dei vidit finitum opus, quod pietas in Mariam ei ab anno MDCLVII inire suaserat : aedificationem videlicet Aediculae Dominae Nostrae a Bono Auxilio, quae primus locus fuit peregrinationis in honorem Matris Dei in regione Marianopolitana.

Quod ad Congregationem attinet, cum haec iam satis formata videretur, Episcopus, Servae Dei exaudiens optatum, eam munere Antistitae exoneravit. Longi laborum anni— spiritus vera nox — iam Servam Dei purificaverant ; septem anni, quibus clausa fuit in valetudinario, eam « Bono Magistro » similem fecerant. Non tamen destitit Congregationi invigilare : tuncque quae non potuerat ore dicere, scripsit, et scripta fuerunt quasi thesaurus, unde Filiae eius nunc quoque hauriunt.

Die XXIV mensis Iunii anno MDCLXXXXVHI subscripsit acceptioni Regularum Instituti Filiarum Saecularium Congregationis a Domina Nostra, quales approbaverat Episcopus Quebecensis, Dominus de Saint-Vallier. Deinde publicam votorum religiosorum professionem fecit, quae iam quadraginta annos exercebat. Vere tum poterat dicere : ((Nunc dimittis ».

Et quidem mortua est die xn mensis Ianuarii anno MDCC, cum vitam suam devovisset pro sanatione iuvenis sororis, in mortis colluctatione versantis.

Margarita Bourgeoys et mulieres quae eam secutae sunt, non erant religiosae votis obstrictae, etsi iam earum globus appellatus est « Congregatio ». Ita conditae sunt huiusmodi consociationes laicorum magnanimorum qui, gratia baptismatis iam firmati, conabantur Christum ostendere a se inventum, vel quibus se Christus revelavit interdum, ut eos mitteret nomen suum in mundum universum portaturos.

Magnum hoc est exemplum, quod Margarita Bourgeoys nobis reliquit : exemplum magnae animae, alacris, quam Virgo Maria allexit ut Filium suum hominibus novarum terrarum daret.

Labores ad eius canonizationem obtinendam solummodo tamen inierunt anno MDCCCLIX. Deinceps Decretum Introductionis Causae editum est a Leone XIII die xix mensis Decembris anno MDCCCLXXVIII. Die xix mensis Iunii anno MCMX Pius X eius virtutes heroum more exercitas agnovit et Pius XII eam in Beatorum numerum rettulit die xn mensis Novembris Anno Sancto MCML.

Christifidelium autem in recens declaratam Beatam crevit in dies religio atque ea deprecante Deus multa est largitus beneficia, inter quae et asserta miracula. Quapropter Causa Canonizationis resumpta est die XVI mensis Martii anno MCMLX, Ioanne XXIII probante, et actores prodigiosam, quae putabatur, sanationem Apostolicae Sedi exhibuerunt, uti propositum consequerentur.

De sanatione agebatur Lisae Gauthier, secundum et vicesimum aetatis annum agentis, a tumore maligno in intestino « colon » radicato, pessimae speciei cancro, post imploratum Beatae patrocinium a parentibus aegrotae et a Sororibus Instituti Beatae Margaritae Bourgeoys, postque infirmae impositam reliquiam.

Instructo Processu Canonico disceptatum est de hoc asserto miraculo, estque disceptatio felici cum exitu conclusa tum in Congressu Peculiari Patrum Consultorum die xix mensis Novembris anno MCMLXXXI acto, tum in Coetu Plenario Patrum Cardinalium in Aedibus Vaticanis celebrato die XII mensis Ianuarii anno MCMLXXXII, Ponente Causae Rev.mo Cardinali Francisco Carpino. Faventem eorum sententiam Nos ratam habuimus et Decreto die II mensis Aprilis anno MCMLXXXII prodito ediximus sanationem Lisae Gauthier miraculo factam esse. Quapropter in Sacro Consistorio die xxiv mensis Maii, anno MCMLXXXII celebrato, statuimus Beatam Margaritam Bourgeoys in Sanctorum numerum referre.

Hoc igitur fausto die, maxima cum Nostri animi et universi Populi Dei laetitia, in Patriarchali Basilica Sancti Petri in Vaticano, ad quam multi ex orbis terrarum partibus pietatis causa peregrinatores advenerant, et ubi plures S. R. E. Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, Praelati Curiae Romanae aderant, Nos precibus obsecundavimus Venerabilis Fratris Nostri Petri Palazzini, Praefecti Congregationis pro Causis Sanctorum, qui Nos oravit ut Beatae Margaritae Bourgeoys Sanctorum Caelitum honores decerneremus. Itaque, postquam auxilium omnium Sanctorum imploravimus ac Divino Spiritui adhibuimus preces, vi supremi Ministerii, quo fungimur et Universae Ecclesiae Magister et Vicarius Christi in terra, haec declaravimus et decrevimus :

« Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae, et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini

nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, Beatam Margaritam Bourgeoys et Beatam Ioannam Delanoue Sanctas esse decernimus et definimus, ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes eas in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recoli debere. In nomine Patris, et filii, et Spiritus Sancti. Amen ».

Quibus prolatis vocibus praecepimus ut haec conficerentur expedirenturque Litterae Decretales. Gratias autem et egimus Nos Deo una cum praesentibus utque sermonem habuimus de novensilibus Sanctis earumque mirandis virtutibus et operibus, caeleste earundem primi invocavimus patrocinium et augustiore ritu divinum sacrificium ad earum pariter honorem perreximus facere. Quapropter omnibus, quae investiganda et ponderanda fuerant, accuratissime peractis, singula ea quae supra memoravimus, iam nunc toti Ecclesiae patefacimus, mandantes ut harum Litterarum exemplis et locis, etiam typis editis, manu tamen alicuius tabellionis subscriptis sigilloque impressis, eadem prorsus fides habeatur, quae his ipsis tribueretur, si quando deinde exhiberentur.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die uno et tricesimo mensis Octobris, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo secundo, Pontificatus Nostri quinto.

EGO IOANNES PAULUS

Ecclesiae Catholicae Episcopus

Iosephus Del Ton, *Protonot. Apost.*

In Secret. Status tab., n. 181.61l;.

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

S. GEORGII MARTYRIS ROMENORUM

Romenorum byzantini ritus Exarchatus Apostolicus titulo S. Georgii Martyris in loco vulgo Canton (Ohio), ad Eparchiae dignitatem, sedi Apostolicae immediate subiectae, evehitur.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Principi Apostolorum in sublimi cathedra, ineffabili Dei voluntate positi, illud unum vel maxime spectamus, ut ecclesiastica negotia singulari cura ac vigilantia tractentur ac dirigantur in universo terrarum orbe pro Christifidelium commodo ac spiritali bono. Cum igitur Venerabilis Frater Noster Simon S. R. E. Cardinalis Lourdusamy Congregationi pro Ecclesiis Orientalibus praepositus, Pro-Nuntii Apostolici praehabito favorabili suffragio, proposuerit ut Exarchatus Apostolicus Romenorum ritus byzantini, S. Georgii Martyris titulo, in loco vulgo Canton (Ohio) Foederatarum Americae Septemtrionalis Civitatum, ad gradum et honorem Eparchiae eveheretur, Nos re perpensa, confisi haec omnia in fidelium bonum cessura, ex Nostra Apostolica potestate, statuimus ut Exarchatus Apostolicus quem commemoravimus, *Eparchiae* dignitate augeatur, Apostolicae Sedi immediate subiectae, cum omnibus videlicet iuribus atque obligationibus quae ad hunc honorem spectant ac condicionem. His exinde de rebus, occasione capta opportuna, clerus et populus istius ritus certiores fiant. Ceterum, hac concessione, Nostram Romenorum Communitati benevolentiam praestantes, minime dubitamus quin singuli recentis Eparchiae S. Georgii Martyris fideles spiritalis vitae nova suscipiant incitamenta.

Datum Romae, apud S. Petrum, die sexto et vicesimo mensis Martii, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo septimo, Pontificatus Nostri nono.

© AUGUSTINUS Card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

D. SIMON Card. LOURDUSAMY
Congr. pro Eccl. Orient. Praef.

Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*
Angelus Lanzoni, *Proton. Apost.*

Loco £3 Plumbi
In Secret. Status tab., n. 194.570 bis.

II

SANCTI MICHAELIS IN SYDNEYENSI

Conditur in Australia nova Eparchia « Sancti Michaelis in Sydneyensi » pro fidelibus in Australiana Dicione degentibus ritus Byzantini Graecorum Melkitarum catholicorum.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quae quantaque fuerit per varias hominum aetates huius Apostolicae Sedis de Ecclesiis Orientalibus sollicitudo et cura, tum fere innumera Pontificum Romanorum documenta produnt, tum, maxime, decretum « De Ecclesiis Orientalibus Catholicis » Concilii Vaticani II. Agitur enim de nobilissima familiae christianae parte, antiquitate, doctrina, pietate insigni, ob quas laudes semper ceu fax resplenduit in Ecclesiae domo collocata. Quam ob rem, volentibus Nobis fidelibus ritus Byzantini Graecorum Melkitarum catholicorum in Australia degentibus aptius providere, ne scilicet fides illorum forte tenuetur, sed, novis viribus, convalescat, bene fieri visum est, si in nobilissima illa Dicione novam Eparchiam conderemus, nempe in eorum fidelium, quos diximus, utilitatem. Expetito ergo consilio a Venerabili Fratre Nostro S. R. E. Cardinali Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus Praefecto, apostolica Nostra auctoritate novam Eparchiam constituimus iis omnibus regendis atque curandis, qui in Australia Byzantino ritu Graecorum Melkitarum utuntur, « Sancti Michaeli in Sydneyensi » nomine, factis nempe iuribus atque oneribus talium Ecclesiarum. Eius autem constitutio atque administratio ad normas Iuris Ecclesiarum Orientalium fiet. Ceterum quod gessimus omnibus bonum, faustum felix fortunatumque sit. Contrariis nihil obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die sexta et vicesima mensis Martii, anno Domini Millesimo nongentesimo octogesimo septimo, Pontificatus Nostri nono.

© AUGUSTINUS Card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

D. SIMON Card. LOURDUSAMY
Congr. pro Eccl. Orient. Praef.

Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*

Angelus Lanzoni, *Proton. Apost.*

Loco ffi Plumbi
In Secret. Status tab., n. 196.600.

III

SANCTI CAROLI BORROMEO

Quibusdam locis ab Ecclesia Dumaguetensi aliisque a Bacolodensi distractis nova Sancti Caroli Borromeo dioecesis conditur in Philippinis Insulis.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Certiores quidem facti de multitudine incolarum, qui intra fines Ecclesiarum Dumaguetensis et Bacolodensis habitant, non dubitamus quin consentiendum sit precibus huic Apostolicae Sedi ad hoc ab earum Episcopis adhibitis ut nova illic dioecesis condatur ad Christifidelium commodum perutilis, audita Conferentia Episcopali Insularum Philippinarum. Quare, cum res in votis sit ipsius Venerabilis Fratris Brunonis Torpigliani, Archiepiscopi titulo Mallianensis et in Philippinis Insulis Apostolici Nuntii, ex sententia Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Congregationis pro Episcopis negotia procurantium, quam ratam omnino habemus, deque potestate Nostra Apostolica harumque Litterarum virtute, ipso suppleto consensu quorum interest aut interesse censetur, haec decernimus, quae sequuntur, atque iubemus. A dioecesi Dumaguetensi has seiungimus circumscriptiones paroeciales: La Libertad, Guihulngan, Vallehermoso, Canlaon, Quezon San Carlos, Calatrava, Toboso, Old Escalante, New Escalante; a dioecesi autem Bacolodensi has separamus: Manlapa, Caduhaan, Cadiz, Pandanan, Fabbrica, New Sagay, Olda Sagay, Vito; ex iisque omnibus simul sumptis locis novam dioecesim condimus nomine *Sancti Caroli Borromeo* iisdemque definitam finibus paroeciarum modo memoratarum propriis, quam et sufiraganeam constituimus Ecclesiae Iarensi, huiusque Metropolitae Archiepiscopi iuri ipsum pro tempore dioecesis nunc conditae Episcopum subicimus. Simul statuimus ut dioecesana nova sedes in urbe collocetur, cui nomen vulgo ((San Carlos », dum templum paroeciale ibi exstans in honorem Sancti Caroli Borromeo Deo dicatum ad cathedralis templi gradum evehimus insigniaque una cum privilegiis et honoribus ei tribuimus, quibus reliqua id genus templa fruuntur. Episcopo vero pro tempore dioecesis Sancti Caroli Borromeo onera iuraque facimus, quae ad dioecesanos pertinent Episcopos, unoque tempore commonefacimus ut ibi Consultorum Collegium quam primum instituatur, qui Ordinario loci praesenti sint adiumento. Quod congrua respicit

alimenta Praesulis Sancti Caroli Borromeo, in Curiae emolumentis fideliumque stipibus constare debent iustaque bonorum in portione, quae ad mentem can. 122 CIC ab episcopalibus mensis Dumaguetensi et Bacolodensi necesse est novae obveniant mensae episcopali. In iisque dein, quae et Seminarii dioecesani aedificationem et sacrorum alumnorum institutionem spectant aut formationem, praescripta iuris communis serventur, ratione quidem habita normarum a Congregatione pro Institutione Catholica editarum. Videatur praeterea ut selecti tirones philosophicis aut theologicis disciplinis instruendi, necnon sacerdotes quibus altiora fuerint studia complenda, ad Pontificium Collegium Philippinum mittantur in Urbe situm. Quae canonicis normis et de dioecesium regimine et de bonorum ecclesiasticorum gestione et de dioecesano Administratore sede vacante eligendo et de oneribus et iuribus fidelium, deque aliis id genus statuta sunt, ea adamussim ibi quoque serventur. Constitutione novae dioecesis ad effectum adducta, sacerdotes eidem censeantur adscripti Ecclesiae intra cuius fines offi cium ecclesiasticum habent, quemadmodum ceteri clerici et Seminarii tirones illi Ecclesiae addicantur, in qua legitimum habent domicilium. Omnia denique actorum scripta documenta, quae nempe ant ad novam dioecesim eiusve clerum aut ad fideles aut ad bona temporalia pertinent, ad Curiam Sancti Caroli Borromeo transmittenda curent dioeceses Dumaguetensis et Bacolodensis, ut in condendo archivio probe custodiantur. Quod reliquum est, Venerabilis Frater Bruno Torpigliani, quem diximus, a Nobis deputatus quae hic decrevimus rite exsequatur, facultate sibi facta id delegandi ad virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere tamen addito studii collocandi in certo veroque actae exsecutionis litterarum exemplo Congregationi pro Episcopis mittendo. Quas Apostolicas Litteras nunc et in posterum ratas esse volumus, contrariis haud obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die tricesimo mensis Martii, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo septimo, Pontificatus Nostri nono.

© AUGUSTINUS Card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

© BERNARDINUS Card. GANTIN
Congr. pro Episcopis Praef.

Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*
Angelus Lanzoni, *Proton. Apost.*

Loco £B Plumbi

In Secret. Status tab., n. 194.578.

IV

CABANCALENSIS

In Insulis Philippinis nova dioecesis conditur Cabancalensis appellanda.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Resonant usquequaque in animo Nostro, quibus divino consilio fidelium grex commissus est universus, verba illa Salvatoris : ((Euntes ergo in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae...)) ***(Me*** 16, 15). Docent enim voces illae divinae oportere omnino Apostolos mundum hunc peragrare ad praedicandum verbum salutis, sine quo neminem posse salvum fieri. Haec autem ratio est, cur Nos cogitationes Nostras omnes eo intendamus, ut praedicatio atque propagatio christianae veritatis velox per gentes « currat et clarificetur)) (II, ***Thess*** 3,1). Quare, cum Venerabilis Frater Antonius Fortich, Episcopus Bacolodensis, audita Conferentia episcopali Insularum Philippinarum, iam ab hac Petri Sede petierit, ut e suo territorio nova dioecesis conderetur : esse enim nimio incolarum numero habitatam; Nos, Venerabili Fratre Brunone Torpigliani sententiam rogato, Archiepiscopo titulo Mallianensi atque in iis Insulis Apostolico Nuntio, item Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, Congregationi pro Episcopis praepositis, haec statuimus. A Bacolodensi dioecesi has paroecias distrahimus : La Castellana, Moisés Padilla, Isabela, Aguisan (Himamaylan), Binalbagan, Himamaylan, Payo (Binalbagan), Su-ay Himamaylan, Kabankalan, Candoni, Dankalan (Ilog), Hog, Sipalay, Cauayan, Hinobaan ; quibus territoriis novam dioecesim constituimus ***Gabancalensem*** appellandam, nempe iisdem finibus terminandam, quibus paroeciae e quibus coalescit. Sedes dioecesis Cabancalensis in urbe Kabankalan ponetur; in eiusque templo S. Francisco Xaverio dicato Episcopus cathedram suam collocabit docendae religionis. Erectam dioecesim suffraganeam facimus archidioecesis Iarensis, sic ut eius Episcopum sacri Praesulis Iarensis, ad normam iuris Canonici. Statuimus item, ut Episcopus collegium Consultorum quam primum eligat, in sui ipsius auxilium. Ad mensam episcopalem quod attinet, provideatur Curiae emolumentis, fidelium collationibus, atque bonis quae adhuc Bacolodensi propria erant, pro rata parte, iuxta canonem 122 C. I. C. De Seminario res ita agatur, ut serventur praescripta iuris communis, prae oculis

habitis normis atque decretis Congregationis pro Institutione Catholica. Ceterum, qui ex alumnis optimi fuerint, Romam mittantur ut in Pontificio Collegio Philippino philosophiam atque sacram theologiam recte discant; similiter et de sacerdotibus statuimus, qui sacra studia complere debeant. Ad regimen novae dioecesis, quod pertinet, electionem administratoris dioecesani, similia, ad amussim canones Ecclesiae serventur. Edicimus etiam ut, dioecesi condita, eo ipso sacerdotes Ecclesiae illi addicantur, in cuius territorio officium ecclesiasticum habent; ceteri vero clerici atque Seminarii tirones, ei, in qua legitime degant. Documenta tandem et acta, quae quoque modo conditam dioecesim Cabancalensem respiciant, ad eius Curiam mittantur, ibique religiose serventur. Contrariis nihil obstantibus. Ad haec omnia perficienda Venerabilem Brunonem Torpigliani deputamus, vel quem ipse delegent, modo in ecclesiastica dignitate constitutum virum. Re vero acta documenta exarabit, quorum fide dignum exemplum ad Congregationem mittet pro Episcopis, idque cito.

Datum Romae, apud S. Petrum, die tricesimo mensis Martii, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo septimo, Pontificatus Nostri nono.

© AUGUSTINUS Card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

© BERNARDINUS Card. GANTIN
Congr. pro Episcopis Praef.

Iosephus Del Ton, *Proton. Apost.*
Angelus Lanzoni, *Proton. Apost.*

Loco £B Plumbi
In Secret. Status tab., n. ift}.57//.

V

BUNGOMAËNSIS

In Kenia nova dioecesis creatur Bungomaënsis.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Pari ut passu ipsa ecclesiasticarum dicionum per terrarum orbem administratio progrediatur perficiaturque cum magis usque crescentibus ibidem tum christifidelium multitudinibus tum pastoralium necessitatum magnitudinibus, usu iam diutissime venit ut fines alicuius latius patentis communitatis ecclesialis ita contrahantur unde certis deductis locis alia excitetur ecclesia melius seorsum suo gubernanda

pastori suoque aedificanda clero. Tali cum rerum condicio obtinere manifesto videretur apud dioecesim Kakamegaënsem in Kenia, Venerabiles Fratres Nostri negotiis praepositi Congregationis pro Gentium Evangelizatione peropportune fieri censuerunt si ex quibusdam subtractis ipsi dioecesi memoratae Kakamegaënsi partibus nova ab integro erigeretur ecclesiastica circumscriptio. Inspectis vicissim perpensisque eorum consilii causis ipsi quoque Nos arbitramur providam hanc rerum ac finium constitutionem certius operi pastorali omnique catholico apostolatui iisdem locis valde profuturam necnon venturae singulorum prope sitorum gregum prosperi tati. Haec propterea quae sequuntur firma sententia facienda edicimus hisque litteris iam fieri iubemus. A Keniana dioecesi Kakamegaënsi legitime dimovemus civiles illas regiones quae vulgo Bungoma appellantur et Busia pariterque ipsam paroeciam cui nomen Tongaren in finibus Bungomae collocatam adhuc quamvis ab Episcopo Eldoretensi administratam, quibus nempe ex coniunctis iam plagis novensilem creamus dioecesim ***Bungomaënsem*** posterum in tempus nuncupandam quam suffraganeam simul subdimus Metropolitanae Ecclesiae Nairobiensi efficimusque Congregationi pro Gentium Evangelizatione obnoxiam. Ipsius proin episcopalem sedem in urbe Bungoma defigimus ubi aedem Christi Eegis sacram ad gradum evehimus atque ecclesiae cathedralis honorem, additis universis similiter iuribus ac privilegiis id genus ad aedes attinentibus. Simul vero ac perfici id potuerit, ob locorum istiusque temporis adiuncta concedimus ut ipso pro canonicorum capitulo deligantur consultores dioecesani et ad communis iuris normam adhibeantur. Huius denique voluntatis Nostrae transacta olim canonica exsecutione documenta sueto modo verae fidei exarata de gesto negotio ad eandem Congregationem pro Gentium Evangelizatione mittuntor. Ad extremum vero has litteras tam in praesentia quam posthac ratas esse volumus omnemque suam exserere vim contrariis quibuslibet rebus haudquaquam obsistentibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die vicesimo septimo mensis Aprilis, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo septimo, Pontificatus Nostri nono.

8B AUGUSTINUS Card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

IOSEPHUS Card. TOMKO
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Iosephus Del Ton, ***Proton. Apost.***
Angelus Lanzoni, ***Proton. Apost.***

Loco Sß Plumbi
In Secret. Status tab., ». 196.606.

LITTERAE APOSTOLICAE

Melfictanum templum B. M. V. vulgo « Madonna dei martiri » appellatae dicatum clara Basilicae Minoris dignitate exornatur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Compertum habetur peculiare templum B. M. **V.** sub titulo ((Madonna dei martiri » a fidelibus excultae, quod Melficti exstat Apuliae in urbe, saec. xn certum suum habuisse primordium, neque umquam deinceps eiusmodi defecisse cultum caelicae hominum Matris illiusque regionis Patronae. Cumque praeterea plane constet etiam in praesentia id templum, ob sollertem praesertim industriam assiduumque studium sodalium Ordinis Fratrum Minorum inde ab anno MDCCCXXIX ei addictorum, magnopere conferre cum ad Marialem pietatem in Christifidelibus alendam et incremento augendam, tum ad humanam concordiam fovendam, Nos, consilia quantum possunmus capientes vel confirmantes ad dominicum gregem utilia, idcirco concedendum esse putamus precibus Venerabilis Fratris Antonii Bello, Episcopi Melphictensis-Rubensis-Iuvenacensis-Terlitiensis, qui, sua necnon cleri populique expromens vota, pridem poposcit ut nominatum templum praestabili insigniretur titulo Basilicae Minoris. Quare, relatam ad Nos ratam habentes sententiam Congregationis pro Cultu Divno, vi et potestate Nostra aedem B. **M.** V. « Madonna dei martiri » pie dedicatala ad honorificum gradum *Basilicae Minoris* evehimus omniaque ei tradimus iura et privilegia, quae ad cetera id genus templa pertinent, servatis tamen rite singulis servandis ad normam Decreti « de titulo Basilicae Minoris » die vi mensis Iunii anno MCMLXVIII evulgati. Contrariis minime obstantibus. Quas Litteras Nostras observari omnino volumus suosque nunc et in posterum effectus habere iubemus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die VII mensis Aprilis, anno MCMLXXXVII, Pontificatus Nostri nono.

© AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*

Loco **£B** Sigilli

In Secret. Status tab., n. 194.095.

AIXOCUTIONES

I

Ad Christifideles in consociationem « Sancti Spiritus » adscitos, coram admissos.*

1. Sono particolarmente lieto di questo incontro con voi, carissimi fratelli e sorelle del « Rinnovamento nello Spirito », a cui già nel-l'Udienza del 23 novembre del 1980 ho espresso il mio apprezzamento e ricordato l'insegnamento della Chiesa sull'azione dello Spirito Santo nelle anime e nelle comunità cristiane.[1]

La vostra numerosa presenza in questa Basilica, dove avete preso parte alla celebrazione della S. Messa, è per me motivo di gioia non solo per la testimonianza di fede sincera, ma anche perché mi offrite l'opportunità di intrattenermi con voi su alcuni aspetti dell'ideale e del programma del vostro Movimento, a sei mesi dall'Enciclica sullo Spirito Santo *Dominum et vivificantem,* pubblicata in occasione della scorsa solennità di Pentecoste.

Certamente non vi sarà sfuggita la pagina in cui, parlando della preghiera come bisogno della nostra difficile epoca, ho segnalato il fatto che alla testimonianza dell'importanza della preghiera, data nel corso della storia da uomini e da donne consacrati alla lode di Dio e alla vita di orazione, soprattutto nei monasteri, oggi si aggiunge quella di un crescente numero di fedeli, che ((in movimenti e gruppi sempre più estesi — così scrivevo in quell'Enciclica — mettono al primo posto la preghiera ed in essa cercano il rinnovamento della vita spirituale ». « È questo — aggiungevo — un sintomo significativo e consolante, giacché da tale esperienza è derivato un reale contributo alla ripresa della preghiera tra i fedeli, che sono stati aiutati a meglio considerare lo Spirito Santo come colui che suscita nei cuori un profondo anelito alla santità » .[2]

In questa linea deve collocarsi ogni progetto di rinnovamento che voglia attuare nel nostro tempo ciò che già raccomandava San Paolo ai cristiani di Efeso, quando richiamandoli alla « verità che è in Gesù », ricordava loro il dovere di « deporre l'uomo vecchio con la condotta di

* Die 15 m. Novembris a. 1986.

[1] Cf. *Insegnamenti,* vol. IH/2, 1386 1390.

[2] Enc. *Dominum et vivificantem,* 65.

prima, l'uomo che si corrompe dietro le passioni ingannatrici » ; e proseguiva : ((dovete rinnovarvi nello spirito della vostra mente e rivestire l'uomo nuovo, creato secondo Dio nella giustizia e nella santità vera » .[3] La verità di Cristo doveva dunque diventare la verità dell'uomo, la verità della vita!

Nel testo paolino emergono dunque due note fondamentali dell'autentico rinnovamento : « la verità che è in Gesù », la quale è « santità vera » e la profondità interiore (« rinnovarvi nello spirito della vostra mente ») . In altri passi delle sue Lettere l'Apostolo sottolinea alcune ulteriori caratteristiche del rinnovamento cristiano, tra cui in particolare l'integralità, la concretezza e l'ecclesialità. Egli infatti enumera i vizi da evitare, le virtù da praticare, i comportamenti da tenere nei rapporti interpersonali, familiari, sociali ed ecclesiali per essere veramente l'((uomo nuovo», la «nuova creatura»[4] nella comunione del corpo di Cristo.[5] E raccogliendo come in un'unica raccomandazione tutte le altre, egli esorta : <(Non vogliate rattristare lo Spirito Santo di Dio, col quale foste segnati per il giorno della redenzione » .[6]

La luce di questo insegnamento dell'Apostolo, che è in perfetta sintonia col Vangelo di Gesù, vi aiuta a capire che cosa può significare il rinnovamento nel quale voi vi siete impegnati, e che la Chiesa, da parte sua, vi incoraggia a perseguire, sostenendovi e guidandovi secondo la missione ricevuta da Gesù stesso.

2. Si tratta anzitutto di una conversione e di una crescita sempre nuova nella ((vita secondo lo spirito », contro le tentazioni del materialismo teorico e pratico che oggi porta fino alle ultime conseguenze la resistenza alle « ragioni dello spirito », non esclusa l'opposizione a Dio, o almeno la noncuranza e l'indifferenza nei suoi confronti. Ci troviamo infatti in un contesto culturale e sociale, nel quale la fioritura della preghiera e della virtù — praticate anche ai giorni nostri da molti fedeli con atti di altissimo valore morale e non di rado fino all'eroismo — non trova alcun aiuto nel cosiddetto ((costume vigente ». La stessa mentalità è infetta di materialismo, così che alla coscienza diventa sempre più difficile giudicare rettamente i valori, sceverandoli dagli pseudo-valori.

[3] *E f* 4, 21-24; cf. 2, 15; *Rm* 13, 14; *Col* 3, 5, 9-10.

[4] Cf. 2 *Cor* 5, 17; *Gal* 3, 27; 13, 34.

[5] Cf. *Ef A, A; 1 Cor* 12, 13.

[6] *Ef* 4, 30.

La situazione s'avvicina per certi aspetti a quella con cui dovette misurarsi San Paolo, il quale, scrivendo ai cristiani della Galazia, insisteva : « Vi dico dunque : camminate secondo lo spirito e non sarete portati a soddisfare i desideri della carne » ,[7] né a compiere le « opere della carne » ,[8] né, insomma, a « vivere secondo la carne)) .[9]

La prima dimensione del rinnovamento consiste dunque in questo « vivere secondo lo spirito », in questo crescere continuamente nello spirito, resistendo alle lusinghe della ((carne » e aprendosi alPattrattiva forte e soave di Dio. Questo rinnovamento interiore, questo risanamento delle radici stesse della vita, questa formazione di una mentalità dominata dalle « ragioni dello spirito » è la vostra vocazione, come cristiani, come uomini e donne, giovani e adulti del nostro tempo che vogliono testimoniare e far fiorire nel mondo d'oggi quel modello non solo di spiritualità, ma anche di civiltà che vediamo trasparire dalle norme di vita di San Paolo.

3. La seconda dimensione del « rinnovamento » si rileva dalla urgente necessità, che voi sentite in modo particolarmente vivo, di riaffermare il valore dei principi e dei criteri del Vangelo come leggi della vita spirituale e fermento di quella sociale. Un tempo essi si esprimevano anche in quelle ((massime eterne » insegnate dai Santi e tradizionalmente trasmesse di generazione in generazione nel mondo cristiano. Oggi esse sono ignorate e a volte rifiutate e vilipese anche da non pochi cristiani che hanno dimenticato le « rinunce » e le ((promesse » del Battesimo. Ad esse bisogna tornare, perché in esse si esprimono quei valori evangelici, che si possono riassumere nella legge dell'amore di Dio e del prossimo.[10] Si tratta di quella ((via migliore di tutte » che San Paolo, sempre in piena consonanza con Gesù, mostra ai Corinzi come ben più eccellente e necessaria dei carismi anche più eletti :[11] ancora e sempre la carità. Si tratta di un itinerario etico e ascetico sul quale si può realizzare la perfezione della vita cristiana con l'accettazione e la sequela delle « beatitudini » proclamate da Gesù.[12]

[7] *Gal* 5, 16.

[8] *IUd.* 5, 19-21.

[9] *Rm* 8, 5 **ss.**

[10] Cf. *G v* 13, 34.

[11] ***1** Cor* 12, 28-30; 13, 1ss.

[12] Cf. *Mt* 5, 3 **ss.**

Ecco, carissimi figli, un grande programma di rinnovamento : il messaggio delle Beatitudini, che ci fa compiere le « opere dello spirito)) e « vivere secondo lo spirito » anche nei contesti sociali odierni. Ad attuare questo programma sono chiamati i cristiani d'oggi.

4. Su questa via della carità e delle beatitudini ci spinge e conduce lo Spirito Santo, che nella Chiesa e nel mondo è stato mandato per realizzare la pienezza della vittoria riportata da Cristo sul peccato, con la purificazione delle coscienze, la liberazione degli uomini dalle « opere » e dai « desideri della carne », l'infusione nei cuori dei « desideri secondo lo spirito », il rafforzamento dell'uomo interiore, il rinnovamento e la crescita continua della vita personale e sociale fino a raggiungere « lo stato di uomo perfetto, nella misura che conviene alla piena maturità di Cristo »[13] in terra e in cielo.

Di tutto questo ho parlato nella seconda e terza parte dell'Enciclica *Dominum et vivificantem,* nella quale potrete trovare illustrata la terza dimensione del rinnovamento, che consiste in quella che San Paolo chiama « la legge dello Spirito che dà vita in Cristo Gesù ». Tale legge ci ha liberato dalla « legge del peccato e della morte » ,[14] instaurando nell'uomo redento un nuovo sistema di vita, quello dello Spirito, ossia dello stesso Spirito Santo presente e operante nello spirito dell'uomo.[15] Si tratta della « Legge Nuova » che secondo Sant'Agostino, «è scritta nei cuori dei fedeli »[16] e <(si identifica con la presenza dello Spirito Santo ».[17]

5. Questo concetto serve a San Tommaso per mettere in risalto la principalità della « grazia dello Spirito Santo » come contenuto essenziale e forza viva del Cristianesimo. A servizio della grazia è, infatti, istituito e regolato tutto ciò che è visibile, organizzato, scritto e predicato nella Chiesa (<(sicut dispositiva ad gratiam Spiritus Sancti et ad usum huius gratiae pertinentia»).[18]

La Chiesa ci appare così in tutta la validità della sua costituzione divina, ma anche nella sua essenziale funzionalità in ordine alla grazia, come sposa e collaboratrice dello Spirito Santo nell'invocare e nel pre-

[13] *Ef* 4, 13.
[14] *Rm* 8, 2.
[15] Cf. ioidi. 1, 9; 3, 27; 5, 5; 8, 9; 6, 11.
Post paucos annos ab inito presbyteratu ad Apostolicae Sedis ministerium es ascitus, ac quidem in prima « Sectione », ut tum appellabatur, Secretariae Status. Simul doctrinam de institutis internationalibus, futuris muneribus Tuis utilem, excoluisti. Postmodum, ab anno MCMXXXXVII, Apostolicae Sedi fideliter serviens, prima itinera per orbem terrarum suscepisti.

Sed iam iussus es « ascendere superius » : a Ioanne XXIII, Decessore Nostro rec. mem., nominatus es Subsecretarius Sacrae Congregationis pro Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis. Quo in munere constitutus, duxisti delegatos Apostolicae Sedis, qui Vindobonae conventum Unitarum Nationum de publicis rationibus participarunt et post duos annos conventum de rationibus consularibus. Exinde saepius in regiones Europae Orientalis Te contulisti, efiiciens ut denuo nexus ad Ecclesiae utilitatem ibidem inirentur. Nominatim iuvat Nos itinera commemorare, quae in Poloniam Nostram fecisti, ubi primum Tibi occurrimus Teque cognovimus.

Anno MCMLXVii honore Archiepiscopi titulo Carthaginensis decorato, Tibi a Paulo VI munus Secretarii eiusdem Sacrae Congregationis pro Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis, quae postea nomen sumpsit Consilii pro Publicis Ecclesiae Negotiis est commissum. Cui officio aliae partes in Romana Curia implendae sunt adiunctae, et aucta itinera magni momenti, veluti in Iugoslaviam, in Hungariam, in Cecoslovachia!^ in utramque Germaniam, in Bulgariam, in Russiam ubi — in urbe principe Moscua — anno MCMLXXI nomine Apostolicae Sedis pactioni de non prolatandis armis atomicis subscripsisti, atque in Finniam, ubi, Helsinkii, ductor delegatorum eiusdem Apostolicae Sedis, conventui de securitate et cooperatione in Europa interfuisti. Neque praetermittendum esse videtur Te ad coetum extraordinarium Nationum Unitarum, qui de minuendo apparatu militari agebat, mense Iunio anno MCMLXXVIII, Pauli VI et postea, anno MCMLXXXII, Nostram hortationem de apparatu militari ex condicto minuendo abolendoque tulisse.

Tot meritis ornatum Te anno MCMLXXIX in Patrum Cardinalium Collegium ascripsimus Tibique supra memorata amplissima munera in Romanae Curiae culmine credidimus. Laeti sumus, hac in occasione, Tibi fateri de egregia opera, quam in Nostro ministerio insumpsisti, cui semper adfuisti sapientibus consiliis, quae proposuisti, spiritu

incitatus constantis pietatis erga Nos et hanc Romanam Sedem. Animus quo moveris tuaeque plures dotes efficiunt ut pro certo habeamus Te Sanctae huic Sedi diu adhuc servire posse.

Pluries variisque in Nationibus gessisti personam Nostram ut Cardinalis Legatus a Nobis ad ecclesiales magni momenti celebritates missus, inter quas meminisse iuvat, ob earum singulare pondus, illas quae mense Iulio anno MCMLXXXV in Iugoslavia et Cecoslovachia in honorem Sanctorum Cyrilli et Methodii habitae sunt.

Conclusio gravis et difficilis negotii de retractatione conventionis inter Apostolicam Sedem et Italiam, sicut iam antea actae pactiones cum Tunesia, Hungaria, Iugoslavia, ipsaque Polonia, significantia momenta indicant Tui ecclesialis servitii.

Nec est obliviscenda opera a Te navata, una cum defleto Cardinali Antonio Samorè, et deinde, praesertim ultimo tempore, felici exitui Nostri interventus in « diferendo austral » inter Chiliam et Argentinam.

Numquam tamen sustinenda munera te impediverunt, quominus varium et sollicitum exerceres pastorale ministerium : namque semper ostendisti te conscium fuisse sacerdotis esse mysteria Dei dispensare (cfr. *1 Cor* 4, 1), quod est huius sacramenti proprietas. Praeter enim communem presbyterorum apostolatum, peculiarem curam adhibes iamdiu de iuvenibus, praesertim in carceribus inclusis, ut eos paterne consolando et hortando ad virtutes re voces. Et hoc quidem misericordiae opus quasi abscondite facis, ne oculis hominum incurses. Insuper ut Assistens Ecclesiasticus consiliis prospexisti conductoribus operum catholicis, quaestuosae industriae addictis, quorum magnum est momentum in hac societate, quae iustitiam sitit, pro qua est catholica doctrina socialis sequenda. Ceterum in vita Tua sacerdotali illa fulget christiana caritas, qua in auxilia et solada ferenda familiis privationibus affectis, pauperibus, egenis incubuisti.

Dum ergo de hoc sacerdotii Tui natali Tibi gratulamur, simul de operositate, vere indefatigabili, qua ad causam huius Apostolicae Sedis totum te contulisti, gratias ex animo Tibi referimus, non tantum nomine Nostro sed, quodammodo eorum vicibus fungentes, nomine etiam Decessorum Nostrorum Pii XII, Ioannis XXIII, Pauli VI, Ioannis Pauli I, quibus operam Tuam diligentissime variis in muniis navasti, quique nunc aeterna felicitate fruentes haud dubie erga Te grati suas adhibent Deo preces pro Te, communione sanctorum Tibi coniuncti ; et simul Deum rogamus ut Te diu sospitem servet atque lectissimorum suorum donorum copia locupletet.

« Cum autem sacerdotes peculiari titulo Mariae Virginis filii vocari queant» (Pius XII, Adh. Ap. *Menti Nostrae;* AAS 32 [1950], p. 673), huius beatissimae Matris amor Te semper sustineat, corroboret, soletur in cunctis vitae huius terrenae adiunctis.

Denique Benedictionem Apostolicam, singulare existimationis ac dilectionis Nostrae testimonium, Tibi, Venerabilis Frater Noster, impertimus, quam etiam pertinere volumus ad omnes, quos caros habes quique iubilaei Tui sacerdotalis quoquo modo sunt participes.

Ex Aedibus Vaticanis, die xxvn mensis Maii, anno MCMLXXXVII, Pontificatus Nostri nono.

IOANNES PAULUS PP. II

NUNTIUS TELEVISIFICAS

Die Nativitatis D.ni n. Iesu Christi missus.

1. « Come sono belli sui monti
i piedi del messaggero di lieti annunzi
che annunzia la pace ...
che dice a Sion :
Regna il tuo Dio » .[1] *
Sì. Sion, il tuo Dio regna.
Il tuo Dio ammirabile :
ecco, giace nella mangiatoia destinata agli animali.
E così inizia a regnare il tuo Dio, o Sion !
Il tuo Dio incomprensibile : « I suoi pensieri
non sono i nostri pensieri,
e le nostre vie non sono le sue vie » .[2]
Ha quindi iniziato a regnare
nel segno di un'estrema povertà :
« Si è fatto povero per noi, perché noi diventassimo
ricchi per mezzo della sua povertà » .[3]

2. Oh, come sono belli
i piedi di quel messaggero di lieti annunzi

* Die 25 m. Decembris a. 1986.

[1] *Is* 52, 7.

[2] Cf. *Is* 55, 8.

[3] Cf. *2 Cor* 8, 9.

il cui nome è Francesco
il Poverello di Assisi, di Greccio e della Verna,
Francesco, amante di tutte le creature;
Francesco conquistato dall'amore del divin Bambino,
nato nella notte di Betlemme;
Francesco nel cui cuore Cristo cominciò a regnare,
perché anche per mezzo della povertà del discepolo
noi comprendessimo meglio la povertà del Maestro
e fossimo indotti a pensieri di amore e di pace.
Gloria a Dio nel più alto dei cieli
e pace in terra agli uomini di buona volontà
— pace agli uomini che egli ama.[4]
Gloria a Dio ...

3. Il Vescovo di Roma, nel giorno di Natale,
ringrazia, ancora una volta, tutti coloro
che hanno ascoltato il messaggio di Francesco,
amante del Creatore e di ogni creatura;
di Francesco — araldo della Gloria di quel Dio,
che « nel più alto dei cieli » è Amore ;
di Francesco — promotore della pace sulla terra.
Il Vescovo di Roma ringrazia quanti
sono venuti di buon grado ad Assisi,
per stare insieme,
per raccogliersi a riflettere dinanzi
all'«ultimo e ineffabile mistero
che circonda la nostra esistenza,
donde noi traiamo la nostra origine
e verso cui tendiamo)),[5]
che sono venuti per pregare
a favore della pace sulla terra.

4. Il Vescovo di Roma ringrazia, ancora una volta, tutti :
i fratelli delle Chiese cristiane e delle Comunità ecclesiali,
i fratelli delle Religioni non cristiane.
Ringrazia tutti e ciascuno
per quella giornata particolare
nella quale abbiamo deciso

[4] Cf. *Lc* 2, 14.
[5] *Nostra aetate,* 1.

— di fronte a tutte le potenze di questa terra;
che divorano negli armamenti ricchezze incalcolabili,
dissipano nel superfluo risorse preziose,
e fanno temere distruzioni apocalittiche,
— di fronte a tutte queste potenze minacciose
abbiamo deciso di essere poveri,
— poveri come Cristo, Figlio di Dio e Salvatore del mondo,
— poveri come Francesco, eloquente immagine di Cristo,
— poveri come tante anime grandi,
che hanno illuminato il cammino dell'umanità.
Lo abbiamo deciso
avendo a nostra disposizione
soltanto questo mezzo, il mezzo della povertà,
e soltanto questa potenza,
la potenza della debolezza :
solo la preghiera e soltanto il digiuno.

5. Non occorre forse che il mondo ascolti questa voce?
Non occorre che ascolti la testimonianza della notte di Betlemme?
Che ascolti Dio nato nella povertà?
Che ascolti Francesco, araldo delle otto beatitudini?
Non occorre che taccia lo strepito dell'odio
e il frastuono delle micidiali detonazioni
in tanti luoghi della terra?
Non occorre che Dio possa finalmente
udire la voce del nostro silenzio?
Che mediante il silenzio giunga a Lui la preghiera e
il grido di tutti gli uomini di buona volontà?
Il grido di tanti cuori tormentati,
la voce di tanti milioni di uomini, che non hanno voce?

6. Ascoltate e comprendete tutti :
Dio che abbraccia ogni cosa,
Dio nel quale « viviamo », ci muoviamo ed esistiamo,[6]
ha scelto la terra come sua dimora;
è nato a Betlemme ;
dei cuori umani ha fatto lo spazio del suo Regno !
Possiamo ignorare o deformare tutto questo?
È lecito distruggere la dimora di Dio in mezzo agli uomini?

[6] *At* 17, 28.

Non occorre invece cambiare fino alla radice
i piani del dominio umano sulla terra?

7. Fratelli e sorelle di ogni parte della terra!
Se Dio ci ha tanto amati
da farsi uomo con noi
come potremo non amarci a vicenda,
fino a condividere con gli altri
ciò che a ciascuno è dato per la gioia di tutti?
Solo l'amore che si fa dono
può trasformare la faccia del nostro pianeta,
volgendo le menti ed i cuori
a pensieri di fraternità e di pace.
Uomini e donne del mondo,
Cristo ci chiede di amarci.
Questo è il messaggio del Natale,
questo è l'augurio che a tutti rivolgo
dal profondo del cuore.

NUNTII SCRIPTO DATI

I

Ob diem piscatoribus dicatum.

A Son Excellence Monsieur Edouard Saouma,
Directeur général de la F.A.O.

La sixième Journée mondiale de l'Alimentation, qui a pour thème « Les pêcheurs et leurs communautés », est l'une des méritantes activités de l'Organisation des Nations Unies pour l'Alimentation et l'Agriculture (F.A.O.). Chaque année, elle se propose ainsi d'attirer l'attention de la communauté mondiale sur des questions spécifiques liées à l'un ou l'autre des besoins primaires et fondamentaux de l'homme et de susciter, ou de promouvoir, toute une série d'initiatives et de projets en de tels domaines.

On saisit immédiatement l'importance du sujet de cette sixième Journée mondiale, si l'on songe simplement au nombre de personnes qui sè consacrent à la pêche et plus encore à toutes celles qui, pour leurs propres besoins alimentaires, dépendent de cette activité. La

pêche représente en effet, avec l'agriculture, une des sources essentielles de l'approvisionnement en nourriture.

Le thème de cette année attire l'attention de tous non pas tant sur la pêche en soi, mais plutôt sur ceux qui la pratiquent : les pêcheurs.

D'après certaines enquêtes, les pêcheurs — qu'ils soient individuels ou regroupés en petites associations — représentent plus de cent millions de personnes. Pour la plupart, ils se trouvent dans les pays en voie de développement et sont confrontés à des conditions de vie difficiles, telles que la migration saisonnière avec la séparation des familles qu'elle implique, les périodes d'inaction forcée, l'éloignement des grands centres sociaux et culturels, le manque d'assistance médicale, etc. Les problèmes techniques ne manquent pas non plus : comment disposer de moyens de financement pour l'achat des bateaux et des équipements adéquats, ainsi que pour le stockage du produit de la pêche dans de bonnes conditions de conservation? Comment aussi affronter la concurrence de la pêche industrielle? Sans parler de l'incertitude du lendemain et du danger pour la vie des pêcheurs.

Souvent, au cours de mes pèlerinages en différents pays, j'ai eu l'occasion de rencontrer des communautés de pêcheurs, et je rappelle volontiers leur esprit de sacrifice et leur attachement à leur métier. C'est pour eux que, dans mon discours du 30 juin 1984 aux participants à la Conférence mondiale sur la gestion et le développement de la pêche, soulignant que cette Conférence s'intéressait particulièrement à la pêche artisanale et aux problèmes qui lui sont propres, j'avais invité les responsables à bien tenir compte des aspects humains qui touchent ceux qui travaillent à la pêche et ceux qui en vivent.

Aujourd'hui, je renouvelle cette invitation à donner tout le soutien nécessaire à ceux qui exercent la pêche. Ce soutien comporte la préoccupation des personnes — les pêcheurs et leurs familles — et de tout ce qui est lié à la pêche artisanale : financement, assistance, coopératives, solidarité collective, et qui soit susceptible d'améliorer les conditions de vie et de travail.

Dans l'accomplissement de cette tâche, les Gouvernements et les organisations publiques ou privées trouveront dans l'Eglise — au niveau universel ou local — un appui sincère qui, en bien des parties du monde, se concrétise en des formes de collaboration tout à fait remarquables.

Le grand projet humain de cette fin de siècle est celui de vaincre la faim dans le monde. Or, nous le savons bien, cela suppose que des

activités comme l'agriculture et l'industrie, la pêche ou les services du secteur tertiaire aient entre elles une certaine coordination. Tous, d'une manière ou d'une autre, nous sommes concernés dans la réalisation de ce grand projet.

Sur ces activités multiformes, Dieu a montré sa bienveillance quand il confia à l'homme la terre et les eaux et tout ce qu'elles contiennent. L'Eglise est d'autant plus sensible au thème de cette année que le Seigneur Jésus à choisi ses premiers Apôtres parmi les pêcheurs du lac de Galilée, et qu'il a connu par expérience leur rude vie. Aujourd'hui encore, nous implorons du Dieu Créateur et Tout-Puissant sa Bénédiction sur tous ceux qui s'emploient, de façon solidaire, à utiliser avec sagesse les ressources de la création pour la vie de leurs frères et sœurs humains.

Du Vatican, le 13 octobre 1986.

IOANNES PAULUS PP. II

II

Ad episcopos Civitatum Foederatarum Americae Septemptrionalis Vasintoniae congregatos missus.

1. As you are gathering in Washington for your annual Meeting, I wish to be spiritually présent with you in order to support you in your pastoral ministry. I wish to assure you of my fraternal solidarity with you as you work and toil, day in and day out, to bring the Gospel to your people. At the same time I wish to encourage you, in the midst of the challenges and difficulties, to place all your trust in our Lord Jesus Christ, "the chief Shepherd",[1] who is always with his Church. My desire in addressing you is motivated by my own ministry as Successor of Peter and therefore as the first servant of *the Church's unity and universality.*

I would like at this time to reflect with you, the Pastors of the particular Churches in the United States, on some aspects of this Petrine ministry. Although it is indeed burdensome, it is made lighter by God's grace and by your fraternal collaboration and your prayers, and for all of this I am deeply grateful.

[1] / *Pt* 5:4.

The very *mystery of the Church* impels us to recognize that the one, holy, Catholic and apostolic Church is présent in each particular Church throughout the world. And since the Successor of Peter has been constituted for the whole Church as Pastor and as Vicar of Christ,[2] all the particular Churches—precisely because they are Catholic, precisely because they embody in themselves the mystery of the universal Church—are called to live in communion with him.

Our own relationship of ecclesial communion—collegialitas effectiva et affectiva—is discovered in the same mystery of thè Church. It is precisely because you are Pastors of particular Churches in which there subsists the fullness of the universal Church that you are, and must always be, in full communion with the Successor of Peter. To recognize your ministry as "vicars and delegates of Christ" for your particular Churches[3] is to understand ali the more clearly the ministry of the Chair of Peter, which "presides over the whole assembly of charity, protects legitímate variety, and at the same time sees to it that différences do not hinder unity but rather contribute to it".[4]

To promote the universality of the Church, to protect her legitímate variety, to guarantee her Catholic unity, to confirm the Bishops in their apostolic faith and ministry, to preside in love—ali this is what the Successor of Peter is called by Christ to do. This *Petrine service* by the will of Christ is directed to the good of the universal Church and ali the ecclesial communities that compose her.

For this reason I endeavor to be of service to ali the Bishops of the Church, so that together as one College, each of us having a différent role, we can all serve the Church of Christ in the distincti ve ministry assigned to us as Bishops.

It is an awareness of my own role in the Church, and especially in regard to her unity and universality, that has prompted me to do everything possible *to confirm my brother Bishops* throughout the world in their own collégial ministry. In several specific ways I have tried to be of service to you, my brother Bishops in the United States, placing my full trust in you and counting on your collaboration.

2. Because of the great importance of seminary training, and with the intention of assisting you in one of your greatest responsibilities for the Church, I called for an *Apostolic Visitation to the Seminaries*

[2] Cf. *Lumen Gentium,* 22.

[3] Cf. *ibid.,* 27.

[4] *Ibid.,* 13.

in your country. This project was entrusted to Bishop John Marshall of Burlington. He in turn shared the responsibility with many compétent collaborator, who visited seminaries throughout the country, consulting at length with the Rector, the staff and the students of each institution. The aim of the entire project was to do everything possible to ensure the ever more faithful application of the Second Vatican Council to seminary training. The Visitation met with splendid coopération and interest, beginning with the Bishops of the seminaries visited. Bishop Marshall has conferred with the Holy See on a number of occasions and I wish to thank him again for all his dedicated work. My thanks go also to the différent teams that worked so generously with him, and to the seminaries themselves.

Already the first phase of the Visitation has been completed. The Congrégation for Catholic Education has made its suggestions and comments, and has expressed great satisfaction for all the good that has been accomplished in the process. Cardinal Baum has informed you and myself of all the positive results and of the recommendations made. There are still other phases to be completed, and further implementation to be made, but the manner in which the Visitation was conducted *renders honor to the Church in the United States and gives great hope for the future.* I am convinced that many people were open to the grace of the Holy Spirit and that our collégial enterprise has been blessed by the Lord.

3. Another way in which I endeavored to be of service to the Church in the United States was through the *Pontifical Commission for Religions Life* that **I** established in 1983, naming Archbishop John Quinn as Pontifical Delegate and Archbishop Thomas Kelly and Bishop Raymond Lessard as members. The task of these Bishops, as I explained in my Letter entitled "In this Extraordinary Holy Year" was "to facilitate the pastoral work of their brother Bishops in the United States in helping the religious of your country whose Institutes are engaged in apostolic works to live their ecclesial vocation to the full". I asked "the Commission to consult with a number of religious, to profit from the insights that come from the expérience of religious life lived in union with the Church". I likewise asked the Commission to be concerned for the decline of religious vocations and "in collaboration with religious, utilizing the prayerful insights of individuai religious and major superiors, to analyze the reason for this decline in voca-

tions". All of this was requested "with a view to encouraging a new growth and fresh move forward in this most important sector of the Chureh's life". Although it was my décision to undertake this work, it had also been suggested to me by American Bishops who had foreseen its usefulness.

This Commission worked very hard to help you "io *render special pastoral service to the religious o f your diocèses and your country"*, as I had requested. As it worked closely with you, the Commission reported to me on various occasions. I am very grateful to Archbishop Quinn, Archbishop Kelly and Bishop Lessard for their protracted and devoted collaboration. I am likewise deeply thankful to all of you, the Bishops of the United States, for your own response. It was indeed a wonderful response of personal generosity and collégial collaboration toward the pastoral goal of encouraging "the religious, their Institutes and associations to live fully the mystery of the Rédemption, in union with the whole Church and according to the specific charism of their religious life". My deep appréciation goes also to the religious themselves who have so generously worked with you in response to the Chureh's call.

After over three years of constant work by the Pontifical Commission, I have now received its final report. I have likewise received the many letters that you the Bishops wrote me as *testes fidei*, concerning religious life in your diocèses. This report and. these letters will continue to be studied, and I shall be subsequently in a position to give you a response.

Although the work of the Pontifical Commission has been completed, *the pastoral ministry and responsibility of the Bishops for religious life remain*, and I would ask ali of you to continue to exercise this mission of yours in accordance with the above-mentioned Letter of mine and the Document attached to that Letter, "Essential Elements", which is a summary of the Chureh's teaching on religious life... In thanking you for your solidarity and collaboration in this question of immense importance for the Church in the United States and for the universal Church, I also thank our Lord Jesus Christ who has permitted us, working together in the pastoral ministry, to be of service to his Church.

4. With great joy I am now looking forward to *my Pastoral Visit to the United States*, which is to take place September 10 to 18, 1987,

and which will include Miami, Columbia in South Carolina, New Orleans, San Antonio, Phoenix, Los Angeles, Monterey and San Francisco. I regret that I am not able to accept at this time the many other invitations that I received. I shall however be deeply united spiritually with ali your particular Churches at the time of my coming.

The aim of my Pastoral Visit is *to celebrate with you our unity in Jesus Christ and in his Church,* to proclaim Jesus Christ and his Gospel, and to confirm you ali in faith and love. I look forward to being with ali the priests, deacons, religious, seminarians and laity; and I shall rejoice in seeing once again firsthand "your work of faith and labor of love and steadfastness of hope in our Lord Jesus Christ".[5] I look forward to visiting your fellow Christians, your fellow believers and all Americans of good will.

Meanwhile, dear Brothers in the episcopate, let us continue to reflect on the great mystery of the universal Church and ali the particular Churches that share her life and unity. It will be for all of us a source of joy and strength, of courage and confidence. Let us thank the Lord Jesus who has called us to shepherd his people in his name, and with him "to gather into one ali the scattered children of God".[6]

Once again I commend you and all your people to the Immaculate Virgin Mother of God, Patroness of the United States, and in the love of Christ Jesus I send you my Apostolic Blessing.

From the Vatican, November 4, 1986.

IOANNES PAULUS PP. II

III

Ad Haitiae episcopos missus.

A Monseigneur François Gayot, s.m.m.,
Président de la Conférence episcopale,
et à tous les autres Evêques d'Haïti

Je sais que l'Eglise qui est en Haïti, sous votre responsabilité pastorale, se prépare à célébrer, du 2 au 6 décembre prochain, un deuxième Symposium national, dans la ligne de celui qui s'est tenu en

[5] / *Thess* 1:3.
[6] *In* 11:52.

décembre 1982, à la veille de ma visite — que je ne saurais oublier — dans votre cher pays.

Depuis lors <(quelque chose a changé ici ». Le peuple haïtien a entrepris un nouveau cheminement, mais, aujourd'hui encore, il demande à l'Eglise de l'accompagner dans sa marche vers un authentique progrès matériel et moral.

Vous avez fixé comme but pour le prochain Symposium de mieux préparer les esprits et les coeurs de vos fidèles, particulièrement des laïcs engagés sur le plan social, à coopérer, d'une manière efiicace et responsable, à la reconstruction de la Nation haïtienne en se fondant sur les principes chrétiens que vous avez sagement rappelés — non seulement en théorie mais aussi en vous référant concrètement à la réalité spécifique du pays — dans vos deux plus récents documents pastoraux : la « Charte fondamentale pour le passage à la démocratie ... », et le Message pastoral du 7 octobre dernier.

Répondant volontiers au désir que vous avez manifesté en la présente circonstance, je voudrais adresser à vous-mêmes, et par votre intermédiaire au peuple haïtien, un mot de réconfort et d'encouragement, en témoignage de ma paternelle sollicitude et de mon affection.

Depuis que la vie nationale a pris chez vous, récemment, un tournant important, vous vous êtes préoccupés à juste titre d'épargner à votre peuple, dans la mesure où vous le pouviez, de nouveaux deuils et de nouvelles effusions de sang, en lançant des appels pressants et fréquents à la réconciliation et au pardon chrétien. C'est une des raisons qui fait aujourd'hui de vous, malheureusement, la cible de certaines critiques de la part de ceux qui voudraient voir entamée la confiance qu'accordent à l'Eglise le peuple et particulièrement les jeunes, chez qui reposent les espérances de l'Eglise et de la patrie, et que vous vous efforcez de faire progresser dans la découverte des valeurs chrétiennes, dans toute leur intégrité et leur noblesse.

Une telle contestation, loin de vous décourager, doit au contraire vous rendre fiers. Car la réconciliation n'est pas un signe de faiblesse ou de lâcheté, elle ne signifie pas que l'on renonce à la justice exigée et exercée dans les formes voulues ; mais elle est avant tout et surtout une rencontre entre frères disposés à surmonter la tentation de l'égoïsme et la soif de vengeance ; elle est le fruit de sentiments forts, nobles et généreux qui poussent à établir une convivialité fondée sur le respect de chaque individu et des valeurs propres à une société civilisée.

Convaincus qu'il faut instaurer ce type de société, avec le consensus populaire et la plus large participation des citoyens aux décisions vitales, en esprit de fraternelle solidarité, vous y apportez une précieuse contribution, non seulement par la Campagne d'alphabétisation, actuellement en cours, que vous aviez programmée avant même le début de la nouvelle situation politique, mais aussi par l'œuvre d'éducation civique que vous réalisez grâce aux interventions diligentes et précises de votre magistère.

Tout cela doit être considéré comme la meilleure contribution de l'Eglise à l'affermissement d'un climat de disponibilité générale et effective au vrai dialogue démocratique, climat qui s'avère indispensable pour que les esprits soient incités à rechercher ensemble l'affermissement d'un ordre social plus juste et plus digne dans votre Nation.

Il est vrai que le cheminement entrepris tarde à trouver les débouchés espérés, et les justes attentes du peuple, qui est d'autant plus impatient qu'il a vécu plus longtemps dans des conditions d'indigence et d'humiliation, semblent bien loin encore d'obtenir satisfaction. Je souhaite vivement que l'on prête attention, et d'une manière effective, aux légitimes requêtes de la population, particulièrement en ce qui concerne les réformes sociales les plus attendues, l'amélioration des conditions de vie et une correcte administration de la justice, de sorte que soit favorisé un réveil général de la confiance dans les institutions et que tous s'engagent d'une façon renouvelée dans la collaboration qui est indispensable pour atteindre les buts fixés, tout en respectant les différentes étapes du processus de développement de la société dans un sens démocratique.

Il faut rappeler ici, une fois de plus, que l'Eglise veut apporter sa coopération spécifique à la recherche d'un progrès social qui respecte les exigences non seulement matérielles mais aussi et surtout spirituelles de l'homme. La voie qu'elle indique pour atteindre un tel objectif est celle de l'engagement solidaire de tous pour substituer à l'égoïsme, à la domination, à l'intérêt de groupe, de classe sociale — en un mot, de parti —, les valeurs authentiques de la fraternité, de la justice et de l'amour.

J'ai particulièrement présents à l'esprit ceux qui sont appelés à transmettre et à interpréter fidèlement votre pensée et vos directives : les prêtres, les religieux et religieuses — originaires du pays ou venus d'autres terres —, qui, avec générosité, œuvrent aussi en faveur de la promotion humaine et sociale des plus déshérités. Par votre inferme-

diaire, je leur demande instamment d'entretenir en eux une étroite adhésion à votre direction pastorale dans tous les domaines de l'apostolat. Vous savez par ailleurs que, quelle que soit la forme que revête cet apostolat, sa finalité première, directe et que l'on ne saurait ignorer est d'évangéliser le Peuple de Dieu et de former des consciences authentiquement chrétiennes. Il n'existe pas, en effet, et il ne peut exister au sein de l'Eglise du Christ une « communio)) effective et durable qui ne soit fondée sur l'union d'esprit et de cœur, de sentiment et d'action, avec les Pasteurs légitimes.

Puissiez-vous être réconfortés, dans la conjoncture présente, à la pensée que le Pape participe à vos difficultés, à vos soucis pastoraux, à vos espérances, qu'il s'unit à vous et, à travers vous, au généreux peuple haïtien, dans la prière à Dieu, auquel il demande d'éclairer l'esprit de chacun et d'en affermir la volonté d'œuvrer loyalement pour le progrès, bien compris, du pays.

Je le demande avec instance, par l'intercession de la Vierge Marie, elle qui est particulièrement honorée en votre terre sous le vocable de Notre-Dame du Perpétuel Secours, et de tout cœur je vous envoie, à vous, chers Frères dans l'épiscopat, aux participants au Symposium et à tous vos fidèles, en gage d'abondantes grâces du Seigneur, ma Bénédiction Apostolique.

Du Vatican, le 15 novembre 1986.

IOANNES PAULUS PP. II

ACTA CONGREGATIONUM

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

DECRETUM

SPALATENSIS-MACABSCENSIS

De Concathedralis erectione.

Cum vestustum cathedrale templum Spalatense, Deo in honorem Beatae Mariae Virginis in coelum Assumptae dicatum, fidelium commoditati atque divino cultui sueto decore peragendum non amplius respondeat, Exc.mus P. D. Franciscus Franic, Archiepiscopus Spalatensis-Macarscensis, nuper ab Apostolica Sede postulavit, ut perampla ecclesia in urbe Spalatensi noviter extructa atque S. Petro Apostolo dicata ad gradum et dignitatem ecclesiae concathedralis eveheretur.

Porro haec Congregato pro Episcopis, vigore specialium facultatum a Summo Pontifice Ioanne Paulo, divina Providentia PP. II, sibi tributarum, re mature perpensa habitoque favorabili voto Exc.mi P. D. Gabrielis Montalvo, Archiepiscopi titularis Celenensis et in Republica Socialistica Foederata Iugoslaviae Pro-Nuntii Apostolici, probe existimans id in animarum bonum cessurum, porrectis precibus annuendum censuit.

Quapropter praesenti Congregationis pro Episcopis Decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, memoratum templum S. Petro Apostolo sacrum ad dignitatem et fastigium ecclesiae concathedralis evehit, ita ut in eodem cathedra episcopalis erigi possit et Archiepiscopus Spalatensis pro tempore, prout ipsi magis expedire videatur, sollemnia quae maluerit pontificalia exercere queat.

Ad haec perficienda Congregatio pro Episcopis praefatum Exc.mum P. D. Gabrielem Montalvo deputat, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito

ad eandem Congregationem, cum primum fas erit, authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Episcopis, die 11 mensis Maii anno 1987.

© BERNARDINUS Card. GANTIN, *Praefectus*

Marcellus Costalunga, *Subsecretarius*

L. © S.

In Congr. pro Episcopis tab., n. 380/87.

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Ioannes Paulus Pp. II, per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros Praesules praefecit, videlicet :

die 7 Iulii 1987. — Cathedrali Ecclesiae Malagensi-Soatensi, noviter in Columbia erectae, Exc.mum P. D. Ferdinandum Giraldo Jaramillo, hactenus Episcopum titularem Alexanensem et Auxiliarem dioecesis Pereiranae.

die 9 Iulii. — Primatiali et metropolitanae Ecclesiae Sancti Salvatoris in Brasilia Exc.mum P. D. Lucam Moreira Neves, O. P., hactenus Archiepiscopum titularem Foronovanum et Congregationis pro Episcopis a Secretis.

die IS Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Sancti Bernardi, noviter in Chilia erectae, Exc.mum P. D. Orozimbum Fuenzalida y Fuenzalida, hactenus Episcopum S. Mariae Angelorum.

die 16 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Imperatricis, noviter in Brasilia erectae, Exc.mum P. D. Alfonsum Philippum Gregory, hactenus Episcopum titularem Drusialianensem et Auxiliarem Sancti Sebastiani Fluminis Ianuarii.

CONGREGATIO PRO GENTIUM EVANGELIZATIONE SEU DE PROPAGANDA FIDE

DE LOUIS TRICHARDT-TZANEEN

DECRETUM

quo nomen dioecesis mutatur.

Exc.mus Dominus Hugo Patritius Slattery, M. S. C, Episcopus de Louis Trichardt-Tzaneen huic Dicasterio preces obtulit ut nomen suae dioecesis ita permutaretur ut deinceps dioecesis Tzaneenensis nuncuparetur, iuxta nomen urbis vulgo Tzaneen, in qua sedes episcopalis et ecclesia cathedralis exstant.

Itaque haec Congregatio pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide vigore facultatum sibi a Sanctissimo Domino Nostro Ioanne Paulo divina Providentia Pp. II concessarum, audito favorabili voto Exc.mi Domini Iosephi Mees, Archiepiscopi tit. Yprensis et Apostolici in Africa Meridionali Delegati, memoratam petitionem benigne accipiens, nomen dioecesis de Louis Trichardt-Tzaneen in dioecesis Tzaneenensis denominationem mutavit ac praesens ad rem Decretum confici et expediri iussit.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide, die 18 mensis Iulii a. D. 1987.

IOSEPHUS Card. TOMKO, *Praefectus*

L. & S.

Carolus G. Schleck, C.S.C., *Sub-Secretarius*

In Congr. pro Gentium Evang. tab., n. 3881/87.

CONGREGATIO PRO CAUSIS SANCTORUM

DECRETA

I

COLONIEN.

Canonizationis Servae Dei Teresiae Benedictae a Cruce (in saeculo: Edith Stein), Monialis professae Ordinis Carmelitarum discalceatorum (1891-1942).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

«Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo)) *(Gal* 6, 14). Quemadmodum Paulus thesaurum reperit in Christo crucifixo, ita et Famula Dei Teresia Benedicta a Cruce, in saeculo Edith Stein, divitias suae spiritualis vitae non in sapientia Christi, in eiusve potestate vel maiestate invenit, sed in mysterio humilitatis, infirmitatis mortisque Christi in cruce. Quod mysterium pro hominum salute et pro populo antiqui foederis intime penitusque perspicere et ex eo vivere enisa est. « Non humana nos salvabit navitas sed Christi dumtaxat Passio : hanc participare appétit anima mea ». Ita Edith Stein ingressura Coloniensem Carmelum est antistitam monasterii allocuta.

In lucem edita est Serva Dei, parentibus Iudaicis, Vratislaviae (in Silesia), die 12 mensis Octobris, anno 1891, inter septem liberos minima natu. Bimula genitore orbata est ; pia autem matre magistra, in Iudaismo ac paternis traditionibus proficiebat. Adulescens in studia superiora incubuit, sed, dum, suae urbis studiorum Universitatem, liberalismo grassante infectam, frequentabat, in atheismum paulatim incidit. Biennio in Gottingensi Universitate exacto, ubi philosophiae, litteris Germanicis et historiae dabat operam, magistrum imprimis

Edmundum Husserl inter alios habuit, quem anno .1916 ad studiorum Universitatem Friburgensem Brisgoviorum secuta est, ubi doctoris lauream in philosophia summa cum laude consecuta est. Ab eodem magistro Husserl permagni aestimata, ut in philosophia tradenda in Universitate assisteret est delecta : quod praeclare perfecit, editis quoque scriptis, quibus inter doctos nomen philosophiae cultricis sibi comparavit.

Cum autem nullo non tempore magno studio veritatis inquirendae et inveniendae excelleret, vel ipsa philosophia existentialismi, quem vocant, itinerarium ei fuit ad Deum redeundi, cui inscia forsan toto corde inhiabat. Unde, ubi primum christifideles ei obviam se dederunt, quos veros Evangelii discipulos et testes novit perspectum- qui habuit eos etiam humanos dolore in serenam patientemque tolerantiam convertere, toto animi desiderio Veritatem ipsam consequi enisa est. Et ecce, aestivo tempore anno 1921, fortuito librum in quo Teresia, Virgo Abulensis, vitam suam enarrat, in manibus habuit eumque ad ultimas usque paginas continuo legit : quo perlecto, utque Dei gratia opitulante, « Haec est veritas » Edith Stein dixisse fertur. Et illico de occursu cum Christo eiusque Ecclesia per Baptismum habendo cogitavit. Rite ad hoc parata, Calendis Ianuariis anno 1922 populi novi foederis particeps est facta salutari Sacramenti aqua. Exinde mira erga Christum eiusque Ecclesiam fidelitate enituit.

In philosophiam existentialismi cum s. Thomae Aquinatis doctrinis comparandam et illuminandam incumbens, paedagogiae et feminarum in societate christiana vocationi et officiis impense studuit, hic et illic, etiam extra patriam, publicis acroasibus quae inquisierat aliis tradens.

Spirae primum, ubi octo annos alumnas instituit in lycaeo apud religiosas Dominicianas, magni aestimata, deinde Monasterii, in Germanico scientiae paedagogicae Instituto magistra fuit, hospitio usa in conventu religiosarum « Marianum » appellato : ubique pietate, modestia et urbanitate clarescens.

Interea, pro !, saevire incipit Nationalsocialista potestas in Hebraeos, et Edith Stein docendi munus relinquere coacta est. Libera tunc ab omnibus muniis, quod iam a conversione ad Fidem catholicam voverat quodque in animo habebat, carmeliticam scilicet in claustris agere vitam, assequi valuit; ne quam tamen ingrederetur conscientiae eius moderatores prohibuerant, respectu utilioris in saeculo apostolatus.

Anno scilicet 1933, die 15 mensis Octobris, Famula Dei, 42 annos nata, monasterium Reginae Pacis Coloniense est ingressa, vestem Carmeliditum Discalceatarum induit, novo nomine capto Teresia Benedicta a Cruce. Sacris votis anno 1935 nuncupatis, perpetuam professionem fecit et velationem anno 1938 suscepit. Interim, anno 1936, die quo vota religiosa renovabat, dilectam amisit matrem ; sed eiusmodi tristitiam secutum est spirituale gaudium ob Baptismum germanae sororis Rosae, in eodem Coloniensi monasterio acceptum nocte Nativitatis Domini.

Verum, ne religiosae communitati molestias ob suam Hebraicam originem afferret, Serva Dei ad Echtense, in Hollandia, Ordinis monasterium transmigravit. Sed die 2 mensis Augusti a. 1942, suo e conventu, una cum germana Rosa, a Nationalsocialistis erepta est et, variis interiectis stationibus captivorum, ad infamem campum captivis detrudendis *Auschwitz-Birkenau* tandem translata ubi, verisimiliter die 9 Augusti eodem anno, in cella mortifero gasio infecta, necata est.

Dum in saeculo vixit post receptum Baptismum, Serva Dei viam iniit christianae perfectionis acquirendae, vitam veluti religiosa Deo consecrata degens; scientiarum labores munusque docendi cum deprecatione et caritatis operibus consociabat. Piis ac doctis usa conscientiae magistris, ut gigas spirituale currebat iter. Sacram sequi Liturgiam ex aeque vivere vehemens excitabat in ea gaudium cordis et mentis. Oratio sine intermissione quibusdam ipsa apparebat, ita ut visa sit ((ecclesia orans ». Sacras assidue legebat Litteras et ad eucharisticam dapem cotidie accedebat. Ergo iam in saeculo vivens, Serva Dei fertur virtutes christianas egregie, eximie et iucunde coluisse, quod heroicum attingit virtutis gradum.

Ita parata vitam, et ad Carmelum curreret uti infans in matris bracchia. Vita communis, oboedientia, paupertas, abstinentia a solitis suis studiis nihil eidem exhibuerunt negotii. Iussu tamen Superiorum, ut scientiae thesauros cum aliis communicaret, interdum studio et scribendis libris vacabat, ita tamen ut communis religiosa vita nihil detrimenti caperet. Postremum suum opus cui index « Scientia Crucis », ad mentem S. Ioannis a Cruce, cui studiosa attendebat, perficere haud valuit; vel potius, quod calamo non complevit, mirum in modum sua ipsius vita expressit et mundo tradidit, martyrio affecta in horroris loco *Auschwitz,* ut supra memoravimus. Ipsa etenim, utpote catholica ex Hebraeis oriunda a Nationalsocialistis est deportata ultionis causa,

quod Hollandiae episcopi comprehensiones et deportationes Hebraeorum publice condemnaverit.

Fidelis oblationi, quam vitae suae iam fecerat et scripto veluti testamento reliquerat, Serva Dei humiliter et laetanter crucem subiit, martyrium uti donum divinum accipiens, per quod verae Scientiae Crucis campos fieri valuit, magno corde pro populo suo proque mundi pace placide et fortiter Dei voluntati adhaerens.

Ex quo autem cognitus est atrox tristisque Edithae Stein seu Teresiae Benedictae a Cruce exitus, erupit tum inter christifideles tum inter non credentes opinio de fama sanctitatis eius et etiam de eius martyrio, demiratos eius fortitudinem et animum, fidelitatem erga Christum eiusque Evangelium summam, necnon constantem in populum suum amorem, pro quo et cum quo Crucem amplexa est.

Quapropter factum est ut de honoribus Beatorum Caelitum eidem rite decernendis cogitari caeptum sit. Ita, annis 1962-1972, apud curiam archiepiscopalem Coloniensem adornatus est processus ordinaria potestate, et rogatoriales inquisitiones factae fuerunt in aliis vigintiduo curiis ecclesiasticis, excussis universim centum et novem testibus. Qui processus Romam transmissi sunt et de eorum iuridica forma et vi decretum Congregationis pro Causis Sanctorum die 15 mensis Novembris a. 1985 exiit. Iam die 10 Martii a. 1987 eadem Congregatio, probante Ioanne Paulo II, decreverat posse ad ulteriora procedi post examen scriptorum Servae Dei. Interim ad Summum Pontificem ingens pervenerat multitudo litterarum, quae postulatoriae vocantur, conferentiarum episcoporum multorumque virorum ac mulierum tam ecclesiastica quam civili dignitate insignium, sanctitudinis famam et martyrii extollentium, Causaeque introductionem penes Apostolicam Sedem petentium. Concessa, die 20 mensis Maii a. 1983, facultate inchoandi disceptationem super virtutibus ante quinquaginta annos expletos a morte Servae Dei, et instaurato interim novo in Causis Sanctorum iure, actus est die 28 Octobris anno 1986, Congressus Peculiaris Consultorum theologorum, moderante Rev.mo D.no Antonio Petti, Fidei Promotore generali; quem Coetum secuta est, die 13 Ianuarii subsequentis anni 1987, Congregatio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, Congregationi pro Causis Sanctorum adscriptorum, ponente Em.mo ac Rev.mo Cardinali Mario Aloisio Ciappi. Et utraque in congressione, proposito duplici dubio, num constaret de heroicis virtutibus deque martyrio et eius causa, singuli, qui aderant, suum quisque suffragium tulerunt. Quae suffragia seu vota Summus Pontifex Ioannes Paulus II libenter exci-

piens, subscripto cardinali mandavit, ut Decretum appararetur tam de heroicis virtutibus quam de martyrio praefatae Servae Dei.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierno die Cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, iisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit : *Constare tum de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate in Deum et in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis, in gradu heroico, tum de martyrio et eius causa Servae Dei Tere-siae Benedictae a Cruce (in saeculo : Edith Stein), monialis professae Ordinis Carmelitarum Discalceatorum, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc Decretum in vulgus ederetur et iii acta Congregationis pro Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 26 Ianuarii A. D. 1987.

PETRUS Card. PALAZZINI, *Praefectus*

L. © S.

© Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

II

NEAPOLITANA

Canonizationis Iosephi Moscati, viri laici, medici atque professoris in Neapolitano Athenaeo (1880-1927).

SUPER DUBIO

An et de quo miraculo, post indultam eidem Beato ab Apostolica Sede venerationem, constet in casu et ad effectum de quo agitur.

Natus in urbe Beneventana die 25 mensis Iulii anno 1880, Iosephus Moscati, praeclarus medicus atque professor in Athenaeo Neapolitano, professionem suam in caritatis exercendae apostolatum Neapolis convertit. Sanctitatis fama condecoratus ibidem obiit, die 12 Aprilis a. 1927. Eum autem heroicis virtutibus atque miraculis fulgentem, Paulus Papa VI Anno Santo 1975, die 16 Novembris, Beatorum albo adscripsit.

Cum vero in dies augesceret gratiarum et favorum, nisi forte mi-

raculorum, numerus eiusdem Beati Iosephi Moscati apud Deum intercessioni tributorum, Causae actores e variis sanationibus quae, invocati Beati nomine, mirum in modum patratae ferebantur, unam selegerunt eamque Apostolicae Sedi ad cognoscendum exhibuerunt, ut eidem Beato sanctorum honores rite decernerentur. Quae mira sanatio iuveni obtigit Iosepho Montefusco, qui anno 1978 leucemia acuta non limphoide erat affectus. Talis autem erat morbi gravitas ut a cura medici peritique omnes infaustam emiserint circa eius vitam prognosim. Invocata vero ab aegroto eiusque familiaribus caelesti beati Iosephi Moscati interecessione, de improviso rediit mox ad condicionem viri undecumque validi in eaque ad praesentem usque diem permansit.

Super huiusmodi asserta mira sanatione processus in Neapolitana curia archiepiscopali instructus est a die 7 Decembris a, 1985 ad diem 17 Martii insequentis anni 1986, de cuius iuridica validitate Congregatio pro Causis Sanctorum die 6 mensis Iunii eodem anno edidit decretum.

Validis quippe testimoniis est comprobatum eandem sanationem naturae vires excessisse ; id concordes affirmarunt testes excussi, a curatione medici clarique alii periti; id quoque suo iudicio Consilium Medicorum eiusdem Congregationis die 3 Decembris a., 1986 confirmavit.

Quibus peractis, disceptari coeptum est super eadem mira sanatione apud praefatam Congregationem, primum quidem, die 27 mense Martio anno 1987, in Congressu Peculiari Consultorum theologorum, moderante Rev.mo D.no Antonio Petti, Fidei Promotore Generali; postea, die 28 subsequentis mensis Aprilis, in Ordinaria Congregatione Patrum Cardinalium, ponente Em.mo Cardinali Opilio Rossi. Et utraque in congressione est affirmativum datum responsum, constare scilicet de praeternaturali indole sanationis domini, Iosephi Montefusco.

Quibus de rebus certior est factus per subscriptam cardinalem Praefectum Summus Pontifex Ioannes Paulus II, qui, vota Congregationis pro Causis Sanctorum excipiens, iussit decretum apparari de veritate historica supra descripti miraculi.

Quod cum rite est factum, hodierna die, accitis cardinalibus infrascripto Praefecto et Causae ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, iisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit : *Constare de miraculo divinitus patrato, depre-*

catore Beato Iosepho Moscati, videlicet de valde rapida, perfecta, stabilique sanatione domini Iosephi Montefusco a leucemia non limphoidi.

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc Decretum publici fieret iuris et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 8 mensis Maii A. D. 1987.

PETRUS Card. PALAZZINI, *Praefectus*

L. © S.

© Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

III

NUOREN.

Canonizationis Servae Dei Antoniae Mesina, iuvenis saecularis in odium fidei, uti fertur, interemptae (1919-1935).

SUPER DUBIO

An constet de marti/rio eiusque causa, in casu et ad effectum de quo agitur.

((Mariam Goretti respicite ! Ne siveritis vos blandienti aura incontinentis societatis corrumpi, quae affirmat omnia licere ! Sequimini Mariam Goretti ! Amate, excolite, defendite laetanter et animose vestram pudicitiam. Ne timueritis in societatem nostrae aetatis nitorem vestrum inferre, tamquam luminis lampada et speciem optati perfectam » *(Insegnamenti di Giovanni Paolo* II, II, 2 [1979], p. 215).

Enimvero a die, quo martyrium tulit, ad humilem Pomptinarum paludum Puellam oculos converterunt multi Christifideles et imprimis multae iuvenes catholicae quae, eius fortissimi exempli gratia, clarius intellexerunt in terra nullum esse thesaurum divinae gratiae parem, et proprii corporis sanctitatem, quod est templum Spiritus Sancti (cf. *1 Cor* 6, 19), omnibus viribus esse tutandam vel, si necessarium sit, sanguinis effusione.

Inter puellas, quae S. Mariae Goretti persecutae sunt vestigia, refulget Serva Dei Antonia Mesina, quae ne animae suae candidam vestem inquinaret peccato, utque intactam dignitatem servaret et virginitatem, supremum oppetivit certamen audenter, et facta in Christi imitatione perfecta, martyrii est adepta coronam.

In lucem edita est in oppido *Orgosolo,* intra dioecesis Nuorensis fines, die 21 mensis Iunii anno 1919, ab Augustino Mesina et Gratia

Rubami. Die 30 eiusdem mensis est baptismatis aqua renata; die 10 Novembris anno 1920 sacramentum accepit Confirmationis et septem annos nata primum ad sacram Eucharisticam mensem accessit.

Brevem et praestantem vitam egit in simplicitate, in humilitate, in, austeritate familiarum Sardiniensium eius temporis propria. A parentibus ad solidam religionem salubriter instructa est ab eisque didicit studium disciplinae, officii, laboris, verecundiae, sinceritatis et religionum.

Si tenellula puera quandam vivacitatem ostendit et naturalem ludorum allegationem, adolescens notabilem continentiam est assecuta, indolis firmitatem, crescentem inclinationem ad utilitatem proximo afferendam, vel de suis commodis multa detrahens. Ratione habita etiam incommodae matris valetudinis, generose in negotia domestica incubuit, in agrorum laborem et in curam fratrum minorum natu. In familia parentes colebat, erat in omnes propinquos officiosa et etiam pro vicinis gratificabatur, qui multos occasiones habuerunt ad eius bonitatem et virtutes aestimandas. Etsi parce et duriter se habebat ob suam condicionem demissam, rebus erat contenta, quas Providentia ei largiebatur; moderato vestitu utebatur, non magni faciebat pecuniam et res corpóreas, in cibo non intemperans erat; quin, cum poterat, coercitionem sui et paenitentiam explicabat, tantum ut se quiete privaret et interdum cibo ut alios adiuvaret.

Eius formationi humanae et christianae profuerunt ludi elementarii, quos diligenter et utiliter frequentavit, et paroecia, quae in animo eius amorem Ecclesiae et apostolatus aluit. Doctrinae christianae studuit eamque feliciter didicit. Constanter Missae festae intererat et nonnumquam etiam Missae feriali. Saepe confitebatur peccata sua et Eucharistiam accipiebat. Egregie primum uti <(beniamina », deinde uti ((aspirans » et socia, Actionis Catholicae partem habuit ; assidua erat in conventibus et omni ope distenta eius normis exsequendis, non sine magnis animi fructibus.

Quamquam opera non aspectabilia faciebat, omnibus manifestum erat fidem illi esse impensam et solidam moresque eius christianis laudibus incitatos, quas simplicitate vitae cotidianae testificabatur. Sincera et fervida pietate Eucharistiam prosequebatur et Virginem Mariam, quam praecipue colebat recitatione Rosarii aliisque precibus. Frequenter et libenter deprecabatur etiam per diem, tum sola tum in familia; per laborem quoque de Domino cogitabat et aequales hortabatur ut idem facerent. Id nequaquam ei difficile erat, quia Dei amore

flagrabat vero, magno, continuo et ei placere per omnia cupiebat, eius voluntatem fideliter faciens et omne peccati genus effugiens. Et cum vocatio christiana, natura sua, vocatio quoque sit ad apostolatum (cfr. Conc. Oec. Vat. II, Decretum de Apostolatu Laicorum *Apostolicam Actuositatem,* 2), fratres et coaequales excitabat ad Dei amorem et ministerium, ad precationem et ad profitendam Actionem Catholicam, quo melius christiana formatione imbuerentur et muneri Ecclesiae salvifico operam navarent.

Firma in principiis moralibus et religiosis, quae inde a primis vitae annis perdidicerat, castitatis virtutem magni fecit, quam incontaminatam servavit propter Dei amorem quamque tuita est ratione se gerendi prudenti, verecunda, austera, integra, fugienti omnis levitatis et vanitatis ; auxilio sacramentorum^ deprecationis, rerum caelestium meditationis, asceseos et modestiae secundum verba Evangelii simpliciter vixit : ((Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt » *(Mt* 5, 8). Tanti autem pudicitiam faciebat, ut eam numquam ulla causa proiceret; nam, cum audivisset de morte s. Mariae Goretti, dixit persuasa : « Potius mors, quam peccatum » ; et aequali suae patefecit se, si contra pudicitiam sollicitata esset, praeoptaturam mori quam cedere, secundum exemplum s. Mariae Goretti. Alio in casu confirmavit : « Sinerem me occidi, potius quam peccarem ». Ita ex more cogitabat; haec saepe dixit; hoc modo se gessit cum improviso promit in eam mali tempestas, sed domus eius non cecidit, fundata enim erat supra firmam petram (cf. *Mt* 7, 24-25).

Die 17 mensis Maii mane, anno 1935, postquam Missae interfuit et Sanctam Eucharistiam accepit, cum amicula rus se contulit ligna congestura necessaria ad cocturam panis. Dum iter faceret, amiculam hortata est ut nomen profiteretur in Actionem Catholicam. Ubi ad locum delectum pervenerunt altera ab altera paulum se abiunxit.

Dum Serva Dei in suum laborem incumbebat, repentino, iuvenis quidam a tergo irruit in eam, qui impudica libidine accensus conatus est eam stuprare. Puella, castissima et religiosissima, statim et prompte restitit et omnibus viribus certavit potuitque inaestimabilem suae virginitate thesaurum defendere contra cupiditatem aggredientis qui, ira caecus ob fortem et tenacem renisum, ei continenter caput tutudit furenter, mortem eius exciens. Vere « aquae multae non potuerunt exstinguere caritatem, nec flumina obruere illam» (cf. *Ct* 8, 7).

Ilico populus, pietatis victimae gnarus et quo modo scelus patratum est, de martyrio locutus est, persuasum habens fidelem Christi

discipulam mortem obiisse ut suum in Deum amorem testificantur virginitatem suam defendendo ; idem professus est iudicum de gravioribus sceleribus conventus, sententia dicta anno 1937, contra infelicem interfectofem.

Volventibus annis fama martyrii aucta est et sponte diffusa non in sola Sardinia, verum etiam in ceteris Italiae regionibus. Unde Episcopus Nuorensis, Exc.mus ac Rev.mus Dominus Ioannes Melis Fois, obtento (anno 1978) *nihil obstat* Sanctae Sedis ad normam Motus Proprii *Sanctitas Clarior*, Causam canonizationis introduxit die .11 mensis Februarii anno 1978. Deinde, apud curiam episcopalem Nuorensem instructus est Processus Cognitionalis (annis 1979-1984), cuius vis et auctoritas agnita est a Congregatione pro Causis Sanctorum die 7 mensis Martii anno 1986.

Die 13 mensis Ianuarii anno 1987 Consultores Theologi, in Congressu Peculiari congregati, moderante Rev.mo D.no Antonio Petti, Fidei Promotore Generali, omnibus sententiis fassi sunt Servam Dei mortuam esse ob christianae virtutis castitatis custodiam.

Etiam Patres Cardinales et Episcopi, in Congregatione Ordinaria diei 17 Martii a. 1987, Ponente Causae Exc.mo Domino Ottorino Petro Alberti, Archiepiscopo Spoletano-Nursino, confessi sunt mortem Servae Dei Antoniae Mesina habendam esse verum martyrium, secundum doctrinam theologicam et iuridicam Ecclesiae.

Facta postmodum de hisce omnibus per subscriptum Cardinalem Praefectum Summo Pontifici Ioanni Paulo II accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis pro Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut decretum super Servae Dei martyrio rite conscriberetur.

Quod cum esset factum, accitis hodierna die cardinali infrascripto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more con vocandis, iisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter edixit : *Constare de martyrio et martyrii causa Servae Dei Antoniae Mesina, iuvenis saecularis, in casu et ad effectum de quo agitur*.

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum insereretur.

Datum Romae, die 8 mensis Maii A. D. 1987.

PETRUS Card. PALAZZINI, *Praefectus*

L. & S.

©• Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

IV

SENEN.

Canonizationis Ven. Servae Dei Sabinae Petrilli, Fundatricis Instituti Sororum Pauperum a S. Catharina Senensi (1851-1923).

SUPER DUBIO

An constet de miraculo, in casu et ad effectum de quo agitur.

In urbe Senensi, die 29 mensis Augusti anno 1851, nata, iam saecularem ducens vitam, praeclara caritatis erga pauperes exempla praebuit. A Senensi Ordinario benevolenter suffulta, novae familiae religiosae iecit fundamenta, cuius proprius esset finis : varia quaeque caritatis opera optitulandis orphanis, infirmis atque pauperibus.

Actuosam Servae Dei vitam iustorum mors absolvit die 18 mensis Aprilis anni 1923. Eamdem autem fastigium christianarum virtutum attigisse Summus Pontifex Ioannes Paulus II, die 16 Novembris mense, anno 1985, declaravit.

Porro, ut Beatorum Caelitum honores eidem Venerabili rite decernerentur, Causae actores miram, ut ferebatur, sanationem Apostolicae Sedi ad cognoscendum attulerunt, quae breviter nunc describitur.

Soror Savina Desini, in Corsica nata anno 1913, et religiosa Congregationis ab ipsa Venerabili Sabina Petrilli institutae, usque ad viginti annorum aetatem nullo notabili correpta est morbo. Cum no vitia esset in loco ***Fontebecci*** dicto, die 10 mensis Iulii anno 1933 lamentari coepit languorem, molestiam cibique fastidium ; deinde febris exorta est. Die 3 mensis Augusti in valetudinarium domus Senensis est traducta, ubi ad diem 17 mansit. Cum se refecisset, ad novitiatum est reversa. At die 22 Augusti eadem indicia redierunt. A curatione medicus diagnosim fecit de febri ex veneficio stomachi et intestinoruni ex iisdem orto. Aegra igitur est denuo in valetudinarium Senense deducta. Febris nutabat inter gradus 38°,2 et 39°,6. Ex serologicis inspectionibus diagnosis emissa est de paratypho B. die scilicet 7 mensis Septembris a. 1933. Praescriptae curae a Communitatis medico irritae fuere. Die autem 12 Septembris aegrotans, cum ei permale esset (calor erat 39°,6 graduum), rogavit sodalem ministram infirmarum, ut vestem ipsius super sepulcrum Fundatricis ponerat.

Noctem quidem egit sicut ceteras, condolescens. Mane diei 13 Septembris, circa horam nonam a. M., vix vestem induit, sed paulo post se sanatam persensit. Surrexit e lectulo contulitque se in vicinum

conclave, ubi alia religiosa aegra iacebat, eique nuntiavit suam sanationem, quae non multo post a cura medicus exploravit et agnovit. A die 16 Septembris sanata consuetam communitatis vitam resumpsit. Mortua est sex annis post sanationem, propter inexorabilem morbum.

Qua super sanatione conditus est processus apud archiepiscopalem curiam Senensem a die 17 Ianuarii ad diem 22 Iunii anni 1985, eiusque agnita est iuridica validitas per Decretum huius Congregationis pro Causis Sanctorum die 9 Maii a. 1986 editum.

Processualia acta circa praedictam sanationem subiecta sunt deinde iudicio duorum ex officio deputatorum peritorum et postea ipsius Consilii Medicorum eiusdem Congregationis. Quod Medicorum Consilium, in sessione diei 23 mensis Octobris a. 1986, diagnosim iampridem a medico a curatione confirmavit, agi nempe de febri typhica, cum prognosi infausta nisi quoad vitam, saltem valde in suspenso posita.

Quibus peractis, ad iudicium theologicum deventum est : et quidem primum, die 30 mensis Ianuarii anni 1987, in Congressu Peculiari Consultorum theologorum, moderante Rev.mo D.no Antonio Petti, Fidei Generali Promotore; postea, die 17 Martii eodem anno, in Congregatione Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, ponente seu relatore Em.mo ac Rev.mo Mario Aloisio cardinali Ciappi. Utraque autem in congressione, dubio proposito num de miraculo divinitus patrato et intercessioni Venerabilis Sabinae Petrilli tributo constaret, omnes affirmando responderunt.

Facta demum de hisce rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis pro Causis Sanctorum excipiens, ut Decretum super praefata sanatione appararetur iussit.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque convocari solitis, iisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit : *Constare de uno miraculo, Venerabili Sabina Petrilli intercedente, a Deo patrato, videlicet de instantánea, perfecta et mansura sanatione Sororis Savinae Desini a febri typhica.*

Hoc autem Decretum in vulgus edi et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referri praecepit.

Datum Romae, die 8 m. Maii a. D. 1987.

PETRUS Card. PALAZZINI, *Praefectus*

It. *B* S.

ffi Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

V

TREVIREN.

Canonizationis Ven. Servae Dei Blandinae Merten, Religiosae professae Congregationis Sororum S. Ursulae de Calvarienberg (1883-1918).

SUPER DUBIO

An constet de miraculo, in casu et ad effectum de quo agitur.

Ortum duxit Famula Dei Blandina Merten die 10 mensis Iulii anno 1883 in loco cui nomen ***Düppenweiler,*** intra Trevirensis fines in Germania. Ludimagistrae diploma consecuta, aliquot per annos alumnas docuit. Viginti annos nata religiosam vitam amplexa est in Ursulinarum Familia de Calvarienberg et, professione edita, puellas sibi concreditas doctrinam edocuit humanam et divinam. Anno 1918, trigesimo et quinto aetatis suae, phthisi pulmonari correpta, supremum diem obiit, sanctitudinis fama post se relinquens. Eam autem heroum in modum coluisse christianas virtutes Ioannes Paulus Papa II, die 9 Iulii anno 1983 declaravit.

Porro, ad eiusdem beatificationem obtinendam, Causae actores attulerunt, ad iuris normam, Apostolicae Sedi sanationem Sororis Irimbertae Puntigam divinitus, uti ferebatur, patratam per intercessionem Venerabilis Blandinae Merten.

Soror quidem Irimberta Puntigam, in Austria nata anno 1900, religiosa Congregationis Servarum a Spiritu Sancto, mense Iulio exeunte anno 1969, dum suum apostolatum exercebat uti missionaria infirmorum ministra iam plus viginti annos in Indonesia, conspicata est turnentiam cruris dexteri fuscam, quae saepe sanguinem fundebat. Insequenti mense Septembri clinicam explorationem subiens, altera tumentia, priori similis, deprehensa est, ad inguen dextrum pertinentem, et statim medicus morbum existimavit esse sarcoma malignum. Alter quoque medicus videtur morbum iudicavisse melanoma gravissimum. Hi duo medici censuerunt statim aegrotae Vindobonam esse proficiscendum ut confestim curationem ex manu obiret. Die 10 mensis Octobris a. 1969, in valetudinarium deducta, ***Lainz*** appellatum, eiusdem urbis, medici sine dubitatione iudicium fecerunt de melanomate ad dextrum crus, in metastasim procedente ad inguen dextrum et infaustam quoad vitam ediderunt prognosim non ita multum post.

Peractis sectione chirurgica atque exploratione histológica, agi compertum est de uno ex pessimis, qui sint, cancris. Die 24 eiusdem mensis Octobris rursus medicus secuit, ut amoveret partes necrosi affectas; sed eiusmodi sectio facta est ut aegrota putaret se non esse suae inevitabili sorti relictam, sed cum conscientia fieri non posse ut ad salutem ex* tam terribili morbo reduceretur.

Soror Irimberta, sibi conscia gravitatis condicionis suae, inde a die prioris sectionis, monita a sodali Sorore Theodorita, petebat intercessionem Servae Dei Blandinae Merten. Sub ultimum mensem Octobrem, animadvertens suam condicionem deteriorem fieri, crebriores Servae Dei preces adhibuit, et quadam vespera primae hebdomadae Novembris precans sommum cepit. Experrecta nocte intempesta se esse sanatam persensit. Insequentes explorationes clinicae et medicamentorum officinae confirmarunt omnino perfectam Sororis Irimbertae sanationem, adeo ut mense Maio a. 1970, septuaginta annos nata, ut obtineret in Indonesiam re verteretur missionalem navitatem perrectura.

Hoc super miro eventu instructus est apud curiam archiepiscopalem Vindobonensem, mensibus Martio et Aprili a. 1985, processus cognitionalis, auditis duodeviginti testibus, inter quos quidam aegrotae familiares, duae infirmariae et octo medici. Rogatorialis quoque inquisitio facta est mense Aprili a. 1985 in curia episcopali Malangensi in Indonesia. Quorum processuum validitas iuridica agnita est per decretum huius Congregationis die 21 Iunii anni 1985.

Quibus absolutis, eadem asserta mira sanatio examini est subiecta Consilii Medici eiusdem Congregationis, in sessione die 5 Iunii a. 1986 coadunati, cuius sodales declaraverunt repentinam sanationem Sororis Irimbertae per naturae leges et vires explicari non posse.

Post huiusmodi medicorum sententiam coadunatus est, die 19 Decembris eodem anno 1986, Congressus Peculiaris Consultorum theologorum moderante Rev.mo D.no Antonio Petti, Fidei Promotore Generali; quem coetum secuta est, die 17 Martii anni 1987, **Congregatio** Patrum Cardinalium et Episcoporum, ponente Em.mo ac Rev.mo Cardinali Iosepho Caprio. Et in utraque congressione omnes qui aderant suffragium tulerunt affirmativum, constare scilicet de miraculo in casu et ad effectum de quo agitur.

De praemissis autem omnibus facta Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum fideli accurataque relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis pro Causis Sanctorum

excipiens, mandavit ut Decretum super praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite factum esset, accitis hodierno die Cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, iisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit: ***Constare de miraculo a Deo patrato, per intercessionem Ven. Servae Dei Blandinae Merten, videlicet de repentina, perfecta et stabili sanatione Sororis Irimbertae Puntigam a « melanoma nodulare ulcerato al S° distale della gamba destra, in soggetto di 69 anni, con metastasi in transito (satellitosi) e metastatizzazione massiva di linfonodi regionali inguino-crurali omolaterali; stadio clinico III, a/b secondo la classificazione M. D. Anderson Hospital; microstadiazione istologica del 5° livello di Clark ».***

Hoc autem Decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referri praecepit.

Datum Romae, die 8 mensis Maii, A. D. 1987.

PETRUS Card. PALAZZINI, ***Praefectus***

L. *m* S.

© Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, ***a Secretis***

VI

VERONEN.

Canonizationis Ven. Servi Dei Iosephi Nascimbeni, Sacerdotis Fundatoris Instituti Parvarum Sororum a S. Familia (1851-1922).

SUPER DUBIO

An constet de miraculo, in casu et ad effectum de quo agitur.

Venerabilem Servum Dei Iosephum Nascimbeni, natum apud ***Torri del Benaco,*** dioecesis Veronensis intra fines, per triginta septem solidos annos parochum loci ***Castelletto sul Garda,*** spiritualem ac temporalem gregis sibi commissi renovationem prosecutum, sanctitatis fama in vita et post mortem (a. 1922) circumdatum, heroicas exercuisse virtutes Ioannes Paulus Papa II die 17 mensis Februarii anno 1984 solemniter declaravit.

Cui ut Beatorum Caelitum honores rite decernerentur, Causae actores

miram sanationem, quae eodem Venerabili deprecatore divinitus patrata ferebatur, Apostolicae Sedi ad cognoscendum proposuerunt. Cuius quidem haec brevis historia : Cynthia Cornacchia, anno 1964 *Monte Romano,* Viterbiensi in provincia, nata, cum trium annorum esset, nocte diei 4 Augusti anno 1967 febrim habuit et vomuit. Familiae medicus, diagnosi facta de peritonaei inflammatione acuta ex intestinae appendicis morbo, postero die eam in valetudinarium Tarquiniense deducendam curavit. Morbi diagnosi confirmata, eodem mane aegra secta est a chirurgo appendicis amputatione, facta simul abscessus medii coli purgatione et puris deductione ex cavea peritonaei. Exacto ad normam primo circuito post sectionem chirurgicam, die undecima apparuere febris magna, pulsus ictus creber, vomitio faecea, membranae aridae, alvus clausa fecibus et gasio. Quamvis gravissimae essent condiciones, die 16 mensis Augusti anno 1967 chirurgus statuit iterum puellulam secare. Multae membranarum sero abundantium infiammationes sunt inventae ob abscessum circa colum. Medicamenta etsi vehementia fuerunt, aegrotulae condiciones gravissimae manserunt et mors instans metuta est.

Die 17 mensis Augusti anno 1967 vesperi initum est sacrum novendiale ad Servum Dei Iosephum Nascimbeni deprecandum invocandumque. Insequenti die puellulae condiciones subito meliores factae sunt : in lectulo namque sedit, loqui repetivit et sibi esui dari postulavit. Profectus perrexit celerrimus et puera sanata omnino dimissa est die 7 Septembris eodem anno. Postea semper commoda est usa valetudine.

Qua super miranda sanatione processus cognitionalis conditus est annis 1978-1980 in curia ecclesiastica Tarquiniensi, novem excussis testibus. Ad melius dilucidanda quasdam quaestiones, instructus est ibidem processus cognitionalis suppletivus anno 1984, allataeque demum sunt variae extraprocessuales relationes. De iuridica forma et vi horum processuum exierunt die 11 Martii a. 1983 et die 15 Martii a. 1985 Decreta huius Congregationis pro Causis Sanctorum.

Servato iuris ordine, res transiit ad trutinam Consilii Medici eiusdem Congregationis, quod semel (die 18 Aprilis a. 1984), iterum (die 11 Iulii a. 1985) ac tertio (die 5 Novembris a. 1986) coadunatum est et in rem acute, pro sua competentia, indagavit; et demum ratum est agi de sanatione quae hodiernae scientiae medicae legibus haud explicari potest.

Postmodum quaestio subiecta est iudicio Consultorum theologorum in Congressu Peculiari, moderante Rev.mo D.no Antonio Petti, Fidei Promotore Generali, die 20 mensis Februarii a. 1987 coadunato; quem secuta est, die 7 Aprilis a. 1987, Congregatio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, Ponente Exc.mo ac Rev.mo D.no Antonio Mauro, Archiepiscopo titulari Thagastensi. Porro, in utraque congressione proposito dubio num de miraculo constaret in casu et ad effectum de quo agitur, responsum affirmativum est datum.

De hisce omnibus praemissis certior factus per subscriptum Cardinalem Praefectum, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, suffragia Congregationis pro Causis Sanctorum excipiens, iussit ut super eadem mira sanatione Decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die infrascripto Cardinali Praefecto necnon Causae Exc.mo Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, iisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit: ***Constare de miraculo, intendente Venerabili Servo Dei Iosepho Nascimbeni, a Deo patrato, scilicet de rapidissima, perfecta, stabilique sanatione puellulae Cynthiae Cornacchia a « stato comatoso da schoclc a patogenesi mista in paziente operata di ileo meccanico post operatorio ed ascesso paracolico y>.***

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc Decretum in vulgum ederetur et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 8 mensis Maii, A. D. 1987.

PETRUS Card. PALAZZINI, ***Praefectus***

L. © S.

© Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, ***a Secretis***

VII

VLADISLAVIEN.

Beatificationis seu declarationis Martyrii Servi Dei Michaelis Kozal, Episcopi auxiliaris Vladislaviensis in odium fidei, uti fertur, interempti (1893-1943).

SUPER DUBIO

An constet de martyrio eiusque causa, in casu et ad effectum de quo agitur.

« Cum Iesus, Dei Filius, caritatem suam manifestaverit, animam suam pro nobis ponendo, nemo maiorem habet dilectionem, quam qui

animam suam pro Eo et fratribus suis ponit (cf. ***1 Io*** 3, 16; Io 15, 13). Ad hoc ergo maximum amoris testimonium reddendum coram omnibus, praesertim persecutoribus, aliqui christiani iam a primo tempore vocati sunt et semper vocabuntur » (Conc.Vat. II, Constit, dogm. de Ecclesia *Lumen Gentium,* 42).

In praeclaro eiusmodi Christi testium numero, qui Magistro similes facti sunt libere mortem obeuntes pro mundi salute et sicut Is sanguinem suum fundentes, hac nostra aetate ponendus est quidam Polonicae nationis Episcopus, Servus Dei Michael Kozal, Episcopus Auxiliaris Vladislaviensis dioecesis.

In eius vita, quinquaginta annorum spatio conclusa, gratiae Dei divitiae effulserunt, quae operabantur in eo et per eum munere fungentem animarum pastoris, quod est martyrio pro fide consummatum, die 26 mensis Ianuarii anno 1943 subito Dachaviae a satellitibus nazismi athei Hitleriani.

Episcopus Michaelis, vir praestantissimae spiritualitatis, martyrium existimabat summum honorem et ardenter illud cupiebat. Id confirmavit vitam suam Domino devovendo pro Ecclesiae libertate.

Servus Dei natus est die 25 mensis Septembris a. 1893 in urbe patrio sermone *Nowy Folwarh* vocata, intra fines archidioecesis Gnesnensis-Posnaniensis, a familia ferventis pietatis. Ordinatus sacerdos, insolito studio se dedidit actioni pastorali in communitatibus paroecialibus et postea formationi iuvenum spirituali uti gymnasii praefectus. Eundem sedulitatis spiritum pro causa Dei ostendit deinde in Seminario Gnesnensi, ubi per duodecim annos animos instituit eorum, qui sacerdotium petebant, magis magisque eorum corda aperiens ad altum sacerdotii exemplar, sicut et ad christianum martyrium.

Anno 1939 Servus Dei in collegium successorum Apostolorum ascriptus est ut Episcopus Auxiliaris dioecesis Vladislaviensis. Duabus hebdomadis post episcopalem consecrationem eius dioecesis facta est theatrum crudelium bellicorum certaminum, et postero tempore regio est a copiis Germanicis occupata. Cum, post occupationem, nazistae destruere coeperunt fidem catholicam ecclesias claudendo, scripta prohibendo et instituta catholica, atque ecclesiasticos apprehendendo, ilico Episcopus se fecit fidei defensorem et assertorem. Qua reprehensus est, percussus, segregatus.

Custodiae tempore, cum nuntii ad eum perveniebant de cruenta Ecclesiae persecutione in patria a nazistis occupata, firmissime sta-

tuit vitam suam Domino devovere ut holocaustum pro sacerdotum libertate. Cum gaudio quidem hoc sumpsit sacrificium. Episcopus invicta patientia et aequo animo accepit omnes dolores, custodiam, vexationes et mortem ut Christi fidem testificaretur. Tribus annis, quibus in vinculis fuit, moderator spiritualis fuit sacerdotum concapti vor um, exemplar integrum fiduciae Providentiae Divinae, magister in suscipiendo dolore, signum spei et caritatis, se confirmans Episcopum maerentium et ob fidem oppressorum.

Episcopus animi vim hauriebat ex deprecatione et praesertim ex eucharistica pietate. Ita se gessit tum diebus sui ministerii sacerdotalis tum diebus calamitatis. Panis Eucharisticus re omnia illi fuit. Cum poterat illum clam captivis distribuere, dicebat : « Do vobis donum maximum, Iesum Eucharisticum. Deus adest nobis. Deus numquam nos deseret ».

Tempore « aerumnae carceris », quod Episcopus ducebat longam Viam Crucis cum Salvatore patienti perrectam, dictum est illum suo exemplo et verbo ceteros omnes sacerdotes sustinere, praecipue autem feria sexta in Passione Domini (anno 1942), quando mysterium doloris melius cognoscere poterant. Episcopus ita perfudit animos, ut omnes senserint se parvam partem habere dolorum Salvatoris.

Episcopus Michael non solum ipse fuit martyr, sed verus martyrum magister.

Fama martyrii, statim post mortem orta et sponte diffusa in Polonia et extra, sicut dein multae gratiae eo deprecante obtentae, induxerunt Episcopum dioecesanum, Dominum Antonium Pawlowski ad instruendum annis 1960-1964, Processum Informativum « super fama sanctitatis vitae, virtutum et miraculorum ». Acta Processus tradita sunt Congregationi pro Causis Sanctorum. Anno 1982 idem Dicasterium dedit Postulatori, Domino Francisco Maczynski, exemplar publicum Processus Informativi et « Positionem super scriptis » edidit. Eadem Congregatio exquisita Causa, ab Episcopo dioecesano rogata, Domino Ioanne Zarçba, in Congressu Ordinario concessit ut Causa a via virtutum ad viam martyrii transiret, iubens tamen instructionem Processus Additicii ((de fama martyrii et ipso martyrio » ; qui processus actus est primis mensibus anni 1986 apud tribunal dioecesanum Vladislaviense. Interim, moderante Causae Relatore, Reverendo Patre Michaele Machejek, apparata est « Posito super martyrio ».

Servato deinde iuris ordine, instituta est apud Congregationem

pro Causis Sanctorum disceptatio super martyrio praedicti Servi Dei, et primum quidem, die 24 mensis Martii anno 1987, in Congressu Peculiari Patrum Consultorum, moderante Rev.mo D.no Antonio Petti, Fidei Promotore Generali, deinde in Congregatione Ordinaria Patrum Cardinalium, die 28 mensis Aprilis eodem anno, in qua Em.mus Cardinalis Andreas Maria Deskur, Causae huius Ponens seu relator, dubium proposuit discutiendum : « An constet de martyrio eiusque causa, in casu et ad effectum de quo agitur ». Porro, in utroque Coetu responsiones affirmantes prolatae sunt.

De his omnibus rebus facta est die 8 mensis Maii per subscriptum Cardinalem Praefectum Summo Pontifici Ioanni Paulo II ad fidem relatio ; qui, consideratis suffragiis Congregationis, mandavit ut Decretum appararetur super martyrio Servi Dei.

Quod cum factum esset, hodierno die, accitis Em.mis Cardinalibus infrascripto Praefecto et Andrea Maria Deskur, Causae Ponente seu relatore meque Antistite a Secretis, ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater, declaravit : *Constare de martyrio eiusque causa Servi Dei Michaelis Kozal, Episcopi auxiliaris Vladislaviensis, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem Decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 8 Maii a. D. 1987.

PETRUS Card. PALAZZINI, *Praefectus*

L. © S.

© Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

CONGREGATIO PRO INSTITUTIONE CATHOLICA

URBIS SEU ROMANAE

DECRETUM

quo canonice erigitur Institutum Internationale Theologiae Pastoralis Sanitariae.

Ecclesia, vestigia sui Conditoris et Magistri sequens, qui pertransivit benefaciendo ***(Act*** 10, 38), infirmos diligendo et sanando, semper suum persensit munus erga aegrotos et erga eos qui in curam pastoralem pro dolentibus incumbunt.

Volvente vero progressu scientifico in arte medica et attentis multiplicibus et gravioribus quaestionibus quae exinde pro infirmorum apostolatu oriuntur, urgens visum est academice instituere illos qui ministerium pastorale in nosocomiis praestabunt. Quapropter bene meritus Ordo Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis, a S. Camillo a Lellis fundatus, enixe efflagitavit ut suum Centrum Internationale Theologiae Pastoralis Sanitariae in Urbe vigens academice erigeretur ; quo etiam aptius et celerius responderetur expectationibus manifestatis a Summo Pontifice Ioanne Paulo II, in Epistula Apostolica « Salvifici doloris », diei xi Februarii a. D. MCMLXXXIV et in constitutione Pontificiae Commissionis de Apostolatu pro valetudinis Administris (Motu Proprio « Dolentium hominum », diei xi Februarii a. D. MCMLXXXV). Ita, dum fovebitur et diffundetur perfectior institutio ethica et theologica opificum sanitatis christianorum, consuetudo cum aegrotis efficaciore modo excoletur atque conveniens evangelizationis locus evadet.

Congregatio pro Institutione Catholica perpenso laudibusque elato ecclesiali pretioso servitio a supradicto Ordine praestito necnon testante Pontificia Facultate Theologica « Teresianum » circa praerequisitas condiciones, sibi porrectas preces omnino excipiendas censuit.

Eadem proinde Congregatio INSTITUTUM INTERNATIONALE THEOLOGIAE PASTORALIS SANITARIAE (« CAMILLIANUM ») hoc Decreto ***ad quinquennium et experimentum*** academice erigit erectumque declarat atque, ad nor-

mam art. 63 Apostolicae Constitutionis « Sapientia Christiana » et art. 48 § 2 eidem adnexarum « Ordinationum », PONTIFICIAE THEOLOGICAE FACULTATI ((TERESÌANUM » incorporatum statuit ac renuntiat, *ex secundo et tertio curriculi theologici cycli coalescens,* simulque potestatem Facultati concedit conferendi academicos gradus Licentiae et Doctoratus cum specializatione « Theologiae Pastoralis Sanitariae » illis studentibus qui omnia praescripta pericula superaverint.

Sacrum idem Dicasterium Academicis Auctoritatibus Docentiumque Coetui sive Facultatis sive Instituti religiose mandat ut catholicam doctrinam fideliter servent atque academicae Ecclesiae legi ac canonicae universitariae praxi intento animo cuncti obtempèrent, omnibus servatis de iure servandis, in primis peculiaribus STATUTIS tum Facultatis tum Instituti ab hac Congregatione approbatis; contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Congregationis pro Institutione Catholica d. XXVII m. Aprilis a. D. MCMLXXXVII.

VILLELMUS Card. BAUM, *Praefectus*

© Antonius M. Javierre Ortas, Archiep. tit. Metensis, *a Secretis*

L. © S.

In Congr. pro Institutione Catholica tab., n. 810/85/15.

ACTA COMMISSIONUM

PONTIFICIA COMMISSIO
CODICI IURIS CANONICI AUTHENTICE INTERPRETANDO

Responsiones ad proposita dubia

I

Patres Pontificiae Commissionis Codici Iuris Canonici authentice interpretando proposito in plenario coetu diei 25 novembris 1986 dubio, quod sequitur, respondendum esse censuerunt ut infra :

D. Utrum vitium consensus de quo in can. 1103 matrimoniis non catholicorum applicari possit.

R. *Affirmative.*

II

Item proposito in plenario coetu die 20 februarii 1987 dubio, quod sequitur, respondendum esse censuerunt ut infra :

D. Utrum Ordinarius de quo in can. 951 § 1 intelligendus sit Ordinarius loci in quo Missa celebratur, an Ordinarius proprius celebrantis.

R. *Negative ad primam partem; affirmative ad secundam, nisi de parochis et vicariis paroecialibus, pro quibus Ordinarius intelligitur Ordinarius loci, agatur.*

Summus Pontifex Ioannes Paulus II in Audientia die 23 aprilis 1987 infrascripto impertita, de supradictis decisionibus certior factus, eas publicari iussit.

ROSALIUS IOSEPHUS Card. CASTILLO LARA, *Praeses*

Iulianus Herranz, *a Secretis*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

11 **luglio** 1987. **S. E. mons. Giovanni Bulaitis, Arcivescovo titolare di Narona,** *Pro-Nunzio Apostolico in Iran.*
1 agosto » S. E. mons. Romeo Panciroli, Arcivescovo titolare di Noba, *Pro-Nunzio Apostolico in Guinea.*

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo lì ha nominato:

22 **luglio** 1987. **Le LL. EE. i monsignori Raymond-Marie Tchidimbo, Arcivescovo emerito di Konakry e Kazimierz Majdanski, Vescovo di Szczecin-Kamien,** *Membri del Comitato di Presidenza del Pontificio Consiglio per la Famiglia « in aliud quinquennium ».*

Gentiluomo di Sua Santità:

20 **aprile** 1987. **Il sig. Virgil C. Dechant (Hartford).**

ONORIFICENZE

Con Breve Apostolico il Santo Padre Giovanni Paolo II ha conferito:
L'Ordine Supremo del Cristo:

3 luglio 1987. A S. A. E.ma Fra Angelo de Mojana di Cologna Principe e Gran Maestro del sovrano militare Ordine di Malta.

La Gran Croce dell'Ordine di san Gregorio Magno:

9 maggio 1987. Al sig. Silvio Pirrami Traversari (Roma).

La Commenda con Placca dell'Ordine di san Gregorio Magno, classe civile:

18 aprile 1986. Al sig. Bernard Petermann (Köln).
6 ottobre » Al sig. Ludovico Masetti Zannini *(Italia).*
18 **febbraio 1987. Al sig. Ernst Gerhardt (Limburg).**

27	febbraio	1987.	Al sig. Samuel Gamio Palacio (Lima).
	»	»	Al sig. Manuel Merino Puente (Lima).
»	»	»	Al sig. Gustavo Noriega Zegarra (Lima).
»	»	»	Al sig. Luis de Idiáquez Elias (Lima).
11	aprile	»	Al sig. Annibale Branda (Mileto-Mcotera-Tropea).
22	»	»	Al sig. Isidoro Chiarelli (Belluno-Feltre).
»	maggio	»	Al sig. Félix de Luis Díaz Monasterio (Madrid).
»	»	»	Al sig. Antonio Zappi (Boma).
6	»	»	Al sig. Elvio Melorio *(Italia).*
9	giugno	»	Al sig. Carlo D'Amelio (Boma).
25	»	»	Al sig. José Coelho Monteiro *(Brasile).*

La Commenda dell'Ordine di san Gregorio Magno, classe civile:

6	ottobre	1986.	Al sig. Ulrich Brisch (Köln).
20	gennaio	1987.	Al sig. Ezzat E. Chatta (Antiochia dei Greci Melchiti).
27	»	»	Al sig. Eduardo Ibarra Hildago (Sevilla).
31	»	»	Al sig. Pasquale Smeriglio (Boma).
13	febbraio	»	Al sig. Fabrizio Meloni (Boma).
16	»	»	Al sig. Pietro Bailo (Bergamo).
18	»	»	Al sig. Lionello Poli (Boma).
8	marzo	»	Al sig. Angelo Marchesi (Bergamo).
»	»	»	Al sig. Vy tantas Antanas Dambrava (Venezuela).
20	»	»	Al sig. Oliviero Ambrogio Narciso (Milano).
24			Al sig. Arturo Fierro Aguilar (Mexicali).
»	»		Al sig. Pierre Besancenes (Paris).
14	aprile	»	Al sig. Gaetano Lamattina (Boma).
15	»	»	Al sig. Anthony Budis *(Lituania).*
22		»	Al sig. José Luis Ibarra Bellido *(Perù).*
2	maggio		Al sig. Patrizio De Martin (Belluno-Feltre).
9	»	»	Al sig. Paolo Nocenti (Siena-Colle di Val D'Elsa-Montalcino).
16	»	»	Al sig. Massoud Maalouf *(Libano).*
25			Al sig. Eugène De Jonghe (Gand).
10	giugno	»	Al sig. Armando Montefusco (Boma).

Il Cavalierato dell'Ordine di san Gregorio Magno, classe civile:

28	ottobre	1985.	Al sig. Vincent Br. Jr Murphy (Metuchen).
13	febbraio	1986.	Al sig. Matthews N. Elmer (Metuchen).
»	»	»	Al sig. Alphonse J. Donahue (Bridgeport).
20	»		Al sig. Bobert Easterling (Victoria).
»	»	»	Al sig. Jerome Grahmann (Victoria).
»	»		Al sig. Donald E. Hall (Victoria).
»	»	»	Al sig. Albert W. Harrison (Victoria).
»	»	»	Al sig. Felix Hybner (Victoria).
»	»	»	Al sig. Claud B. Jacobs (Victoria).
»	»	»	Al sig. Charles Jonata Jr. (Victoria).
	»		Al sig. Otto Kalischko (Victoria).

20 febbraio 1986. Al sig. Edward Joseph. Korenek (Victoria).
» » » Al sig. Arnold Kram (Victoria).
» » » Al sig. Sylvan Louis Miori (Victoria).
» » » Al sig. James E. Mudd (Victoria).
» » » Al sig. Oharies R. Naiser (Victoria).
» » » Al sig. Berford Lee Payne (Victoria).
» » » Al sig. Overton Stoner (Victoria).
» » » Al sig. Victor Wiesner (Victoria).
18 aprile » Al sig. Winand Meertens (Köln).
25 luglio » Al sig. Wilhelm Maurer (Köln).
6 ottobre » Al sig. Klaus Boisseré (Köln).
26 novembre » Al sig. Charles Rendu (Paris) .
29 » » Al sig. Joseph Dusend (Köln).
» » » Al sig. Peter Klassmam (Köln).
» » » Al sig. Günther Panzer (Köln).
» » » Al sig. Jürgen Schneiders (Köln).
9 dicembre » Al sig. Carlo Bini (Roma).
13 » » Al sig. Paul Victor Arnold Ficq (Bois-le-Duc).
22 » » Al sig. Reginald Mamlin (Addis Abeba).
8 gennaio 1987. Al sig. Henri Tournier Lasserve (Périgueux).
» » » Al sig. Roger Lassince (Périgueux).
16 febbraio » Al sig. Trento Longaretti (Bergamo).
» » » Al sig. Antonio Giua (Bergamo).
» » » Al sig. Giancarlo Biglioli (Bergamo).
19 » » Al sig. Joost Emile van der Does de Villebois (Utrecht).
20 » » AI sig. Francesco Fantin (Milano).
5 marzo » Al sig. Dino Getitti (Campobasso-Boiano).
» » » Al sig. Attilio Mancini (Campobasso-Boiano).
7 » » Al sig. Michael J. Egan (Tuam).
16 » » Al sig. Puissant d'Agimont d'Heer et Herlette (Mechelen-Brussel).
20 » » Al sig. Henry A. Zuberan (Honolulu).
26 » » Al sig. Antonino Lazzarino (Roma).
» » » Al sig. Andres Soriano (Manila).
7 aprile » Al sig. Gérard Ziegel (Nanterre).
13 » » Al sig. Karl Pömer (Linz).
22 » » Al sig. Adolfo Filippetti (Roma).
24 » » AI sig. George C. Stewart (Raleigh).
» » » AI sig. James Cummins (Armagh).
» » » AI sig. Anthony Smith (Armagh).
29 » » Al sig. Biagio Battaglia (Roma).
6 maggio » Al sig. Luigi Finelli *(Italia).*
» » » Al sig. Giuseppe Ticinese *(Italia).*
» » » Al sig. Andrea Benedetti Michelangeli *(Italia).*
10 » » Al sig. Paolino Remediani (Roma).
14 » » Al sig. Rolando Peccatori (Roma).
25 » » Al sig. Elio Boarelli (Roma).
» » » Al sig. Stefano Catania (Roma).
» » » Al sig. Silvio Cuomo (Roma).

20 febbraio 1986. Al sig. Giulio Cesare Zampini (Eoma).
» » » Al sig. Enrico Zanata (Eoma).
» » » Al sig. Carlo Pratesi (Eoma).
27 » » Al sig. Giancarlo Quaranta (Roma).
» » » Al sig. Mario Righetti (Roma).

NECROLOGIO

12 luglio 1987. Mons. Alfred Atton, Vescovo emerito di Langres *(Francia).*
14 » » Mons. Ioseph G. Vath, Vescovo di Birmingham in Alabama *(Stati Uniti d'America).*
16 » » Mons. Emile Socquet, Arcivescovo tit. di Selimbria.
17 » » Mons. Louis Severin Haller, Vescovo tit. di Bethléem.
21 » » Mons. Alejandro Labaca ligarte, Vescovo tit. di Pomaria.
22 » » Mons. Adolphe Proulx, Vescovo di Gatinean Hull *(Canada).*
24 » » Mons. John Anthony Kelly, Vescovo titolare di Zucchabar.
27 » » Mons. Sisto Mazzoldi, Vescovo emerito di Moroto *(Kenia).*

An. et vol. LXXIX 3 Septembris 1987 N. 9

ACTA APOSTOLICAE SEDIS
APOSTOLICAE SEDIS
COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: **Palazzo Apostolico - Città del Vaticano** — *Administratio:* **Libreria Editrice Vaticana**

ACTA IOANNIS PAULI PP. II
ACTA IOANNIS PAULI PP.

SACRA CONSISTORIA

CONSISTORIUM SECRETUM

Feria secunda, die XXII mensis Iunii, anno MCMLXXXVII, mane, in consueta Aula Palatii Apostolici Vaticani fuit *Consistorium secretum* cuius acta ex ordine referuntur :

I - SUMMI PONTIFICIS ALLOCUTIO

Precatione « Adsumus » recitata, ad S. R. E. Patres Cardinales S.mus D.nus Ioannes Paulus II hanc allocutionem habuit :

Mariali Anno, benignissimo largiente Deo, in superiore Pentecostes sollemnitate feliciter inchoato, singulari prorsus animi laetitia hoc amplissimum Patrum Cardinalium Collegium coram me congregatum aspicio; et dum gratias plurimas perquam libenter unicuique Vestrum ago de adiutrice opera, quam mihi in universa gubernanda Ecclesia consiliis et diligenti navitate praestatis, Vos, Venerabiles ac dilectissimi in Christo Fratres, iubeo in Domino plurimum salvere.

Ut probe nostis, ex antiquissimo meorum Decessorum more et huius Apostolicae Sedis institutis, adiutrix opera, quam Cardinales Supremo Pastori navant Ecclesiae, praesertim in Consistoriis ordinariis aut extraordinariis peragitur.

In hoc Consistorio ordinario, ad quod convocati estis, tria

negotia sunt tractanda; sunt autem: primum, quaedam optiones ad titulos presbyterales; alterum, Ecclesiarum provisio; tertium, exquisitio votorum de propositis canonizationibus Beatorum qui sequuntur: Iosephi Moscati, Viri Laici; Andreae Dung — Lac, Sacerdotis; Thomae Thien et Emmanuelis Phung, Laicorum; Hieronymi Hermosilla, Valen tini Berrio Ochoa, Ordinis Fratrum Praedicatorum et Aliorum sex Episcoporum; Theophani Vénard, Sacerdotis Societatis Parisiensis missionum ad exteras gentes et centum quinque Sociorum Martyrum Vietnamiae; necnon Laurentii Ruiz de Manila, Dominici Ibañez de Erquicia, Ordinis Fratrum Praedicatorum, Iacobi Kyushei Tomonaga, Ordinis Fratrum Praedicatorum et tredecim Sociorum, Martyrum in Iaponia; simul et Beatae Eustochiae Calafato, Virginis Clarissae: de quibus mox breviter dicetur.

Adsint huic nostro coetui sancti Apostoli Petrus et Paulus, columnae Ecclesiae et caelites huis almae Urbis Patroni, quorum diem natalem paulo post memoriam Christi Praecursoris proxime recolemus.

Intercedat denique pro nobis Redemptoris Mater, cui huius diei laborem committimus, a qua etiam fidentes petimus ut in hoc Mariali Anno imitantes eam, mentes et corda nostra renovemus, ac, sicut ipsa et isti Beati, cuncta e manu Patris caelestis cum fide suscipientes et voluntati divinae cooperantes (cfr. *Lumen Gentium,* 41), magis in dies crescere nos valeamus « in gratia et cognitione Domini Nostri Iesu Christi » *{2 Pe* 3, 18) pro bono Ecclesiae ac totius humanitatis.

II - OPTIONES

Ad iuris normam, rev.mus cardinalis Opilius Rossi, Protodiaconus, optavit ad Ordinem presbyterorum et, eodem tempore, dimissa diaconia S. Mariae Liberatricis ad Collem Testaceum, ad titulum Sancti Laurentii in Lucina. Idem fecerunt rev.mus cardinalis Iosephus Sensi, qui, dimissa diaconia Ss. Blasii et Caroli ad Catinarios, optavit ad titulum Reginae Apostolorum; rev.mus cardinalis Conradus Bafile, qui, de venia Ss.mi, retinuit diaconiam Sanctae Mariae in Porticu, pro hac vice ad titulum evectam, sicuti rev.mus cardinalis Eduardus Pironio, qui diaconiam Ss.rum Cosmae et Damiani retinuit; rev.mus

cardinalis Marius Aloisius Ciappi, qui, dimissa diaconia Dominae nostrae a Sacro Corde Iesu in Circo Agonali, titulum Sacratissimi Cordis Iesu in Agonia facti obtinuit.

III - NOVUS CARDINALIS PROTODIACONUS

Per optiones supra recensitas vacavit officium Protodiaconi, quod rev.mus cardinalis Iosephus Caprio, diaconus S. Mariae Auxiliatricis, suscepit, annuente Ss.mo.

IV - NUNTIUS ECCLESIARUM QUAE IAM CONCREDITAE SUNT

Postea Summus Pontifex certiores fecit S. R. E. Cardinales post proxime celebratum sacrum Consistorium ducentos octoginta novem Ecclesiarum sacros Pastores a Se per Apostolicas sum plumbo Litteras nominatos fuisse, videlicet :

Metropolitanarum duodetriginta, quos inter :

Bangalorensem, Alphonsum Mathias;

Belogradensem, Franciscum Perko ;

Guadalaiarensem, Ioannem Salvatorem Posadas Ocampo;

Pacensem in Bolivia, Aloisium Sainz Hinojosa;

Neapolitanum, Michaelem Giordano;

Novarcensem, Theodorum McCarrick.

Archiepiscopalis residentialis :

Caietanum, Vincentium Farano.

Archiepiscopalium titularium tres, quos inter :

Sistronianensem, Albertum Tricarico;

Tyndaritanum, Paulum Giglio.

Episcopalium residentialium centum quinquaginta sex, quos inter :

Antigonioensem, Columbam Campbell;

Darvinensem, Edmundum Collins;

Gorzoviensem, Iosephum Michalik;

Ipialensem, Gustavum Martínez Frias;

Novohamburgensem, Carolum Iosephum Bonaventuram Kloppenburg;

Kasongoenensem, Munzihirwa Mwene Ngabo;
Sancti Thomae in Argentina, Alphonsum Delgado Evers.

Episcopalium titularium nonaginta quattuor, quos inter :
Genculianensem, Laurentium Patrick Henry;
Forconiensem, Alexandrum Figueroa Medina;
Girensem, Camillum Gregorio y Díaz ;
Igilgilitanum, Antuvan Marovith;
Maronanensem, Georgium Rueger;
Nasaitensem, Rodulfum Müller ;
Vannidensem, Antonium Bianchin.

Praelaturarum territorialium sex, quos inter :
Aiquilensem, Adalbertum Arturum Rosat;
Escuintlensem, Ferdinandum Gamalero González.

Abbatiae territorialis :
S. Mariae Montis Oliveti Maioris, Mauritium Mariam Contorni.

V - RELATIO CAUSARUM

Rev.mus Petrus S. Hieronymi a Caritate presb. card. Palazzini, Congr. pro Causis Sanctorum Praefectus, sermonem habuit de vita et miraculis Beatorum Iosephi Moscati, Viri Laici; Andreae Dung-Lac, Sacerdotis, Thomae Thien et Emmanuelis Phung, Laicorum, Hieronymi Hermosilla, Valentini Berrio Ochoa, Ordinis Fratrum Praedicatorum et aliorum sex Episcoporum; Theophani Vénard, Sacerdotis Societatis Parisiensis missionum ad exteras gentes et centum quinque Sociorum Martyrum Vietnamiae; Laurentii Ruiz de Manila, Dominici Ibañez de Erquicia et Iacobi Kyushei Tomonaga, Ordinis Fratrum Praedicatorum et tredecim sociorum Martyrum in Iaponia ; Eustochiae Calafato, Virginis clarissae, et acta recensuit quae in causis canonizationis eorundem Servorum Dei eadem Congregatio admittenda et approbanda putavit.

Relatione expleta, beatissimus Pater rev.morum cardinalium sententiam de proposita canonizatione exquisivit.

CONSISTORIUM UNICUM

Consistorio secreto absoluto, vocatis praesentibusque in eadem Aula sacris Praesulibus, abbatibus *nullius*, necnon Romanae Curiae Praelatis, quibus solet intimari, statim initium habuit *Consistorium unicum :*

PERORATIO CAUSARUM CANONIZATIONIS

Ex Advocatis consistorialis aulae unus, pro canonizatione beatorum omnium supra recensitorum de more institit.

Cui Viro beatissimus Pater per praelatum quemdam Secretariae Papalis sic respondit :

Ad postulationem modo exhibitam iubeor respondere Beatissimum Patrem valde exoptare in Sanctorum numerum referre eosdem Beatos ; idque Sanctitas Sua iure exoptat et merito.

Nam isti Beati clarissima nobis reliquerunt exempla imitanda virtutum et Christum secuti — maior pars eorum eum testati sunt martyrio, supremo vitae dono —, in aedificandum Regni Dei incubuerunt humanam quoque provehentes societatem.

Ipsi vero nostrae etiam aetatis hominibus, qui « sensum » vitae suae dubii vel anxii quaerunt, Christi « Scholam » ostendunt : « Scholam »,, quidem spei, fidei, humanitatis, iustitiae, amoris et pacis.

Ipsi insuper hortantur nos ut totis viribus Ecclesiam Sanctam sicut matrem nostram amantissimam diligamus, per quam Dominus praesens hodie inter homines adest et mirabiliter in mundo operatur.

Attamen, quamvis Summus Pontifex magnopere cupiat hos Beatos in Sanctorum album ascribere, nihilominus, ut in tantae gravitatis negotio omnia de more serventur, sententiam Suam non ante est edicturus, quam omnes, ad quos res spectat, mentem quisque suam aperuerint.

Ad cardinales et praesules Ss.mus allocutionem ad vota pro canonizatione exquirenda sic habuit :

Quemadmodum res postulat, intento animo perpendimus, ea, quae ad illustrandas et comprobandas causas sunt allata.

Verumtamen, ut nostro nomine significatum est, rei gravitas suadet, ut mentem vestram cognoscamus, antequam decretoriam sententiam nostram edicamus.

Quapropter vos oramus, ut, ad gloriam Dei et utilitatem animarum spectantes, circa allatas causas suffragia vestra f eratis.

Tunc singuli, servato suo cuiusque ordine, sententiam aperuerunt. Exceptis congregatorum patrum suffragiis, Summus Pontifex haec addidit verba:

Vehementer sane gaudemus, quod vos concordibus suffragiis postulavistis, ut his Beatis Sanctorum Caelitum honores tribuantur; id enim flagrantissimis etiam Nostris votis respondet.

Nihil igitur est, cur a peritorum iudiciis atque e membrorum Congregationis pro Causis Sanctorum sententiis discedamus, quae multis ac gravibus argomentis innituntur.

Quare, nulla mora, iam nunc nos Beatos summis sanctitudinis honoribus dignos iudicantes, eos inter Sanctos annumerandos esse decernibus; quod, iuvante Deo, sollemni ritu faciemus.

Nominatim autem in Sanctorum album referemus:

Iosephum Moscati, die quinta et vicesima proximi mensis Octobris ;

Laurentium Ruiz et Socios, die duodevicesima eiusdem mensis Octobris;

Andream Dung-Lac et Socios, Theophanum Vénard et Socios et Eustochiam Calafato, die et mense statuendis.

Interea, autem, vos omnes hortamur ut Deo preces sine intermissione adhibeatis, ut consilia Nostra Ecclesiae Sanctae prosint atque christianae vitae afferant incrementum.

5. Un des caractères les plus précieux de la paroisse, comme vous le soulignez vous-mêmes, c'est la diversité de ceux qui s'y retrouvent. De milieux et de cultures différentes, les hommes et les femmes contribuent, suivant leurs dons, à l'unité. La diversité des générations, l'activité des multiples équipes, des groupes et même des communautés particulières, tout cela ne fait pas obstacle au dynamisme de la paroisse dans son ensemble, mais l'enrichit plutôt, s'il y a une réelle convergence dans l'Eucharistie dominicale. Constituer un vrai signe d'unité dans le monde éclaté de ce temps, c'est une condition pour un témoignage crédible et pour que la foi puisse être transmise.

6. Une communauté ne peut remplir sa mission d'Eglise qu'à la condition que ses membres collaborent en toute clarté. Un de vos rapports diocésains constate que « prêtres, religieuses et laïcs font l'expérience d'un véritable partenariat dans l'Eglise ». En reprenant cette formule, je pense en particulier aux conseils pastoraux qui se développent et qui sont déjà nombreux dans certains de vos diocèses. Au fond, leur rôle est d'exprimer et de prolonger ce qui est vécu sacramentellement dans l'assemblée eucharistique. Prêtres et laïcs s'y reconnaissent mutuellement: dans leurs vocations spécifiques. En bien des cas, c'est la raréfaction des prêtres qui a conduit les laïcs à assumer plus de responsabilités; mais la raison d'être essentielle de leur collaboration n'est pas une suppléance, elle est une prise en charge commune. Et je sais que souvent cette expérience amène non seulement les laïcs à mettre en œuvre pleinement ce à quoi les habilite leur baptême, mais aussi à mieux comprendre le caractère du ministère sacerdotal. Eéciproquement, dans le dialogue avec des laïcs responsables, le prêtre lui-même vit plus pleinement son sacerdoce et il exerce de manière plus dynamique et plus heureuse sa charge pastorale. Les uns et les autres ne sont pas face à face, mais en communion. Il n'est pas d'édification ecclésiale, il n'est pas de reconnaissance de charges ecclesiales sans une articulation nécessaire au ministère ordonné, grâce auquel les ressources du peuple de Dieu peuvent être mises en œuvre de manière effective et harmonieuse.

7. Dans plusieurs de vos diocèses, le nombre de prêtres reste relativement élevé. Cependant ils ne sont plus en mesure d'assurer une présence sacerdotale dans toutes les paroisses. Dans d'autres régions de votre pays, ce phénomène est encore plus marqué. Les évêques ont donc été amenés à regrouper ou même à unir des paroisses sous des moda-

lites variées, et les secteurs pastoraux doivent respecter, autant que faire se peut, la permanence de communautés locales même relativement petites. Il importe de trouver l'organisation qui permette aux communautés sans prêtre de vivre, d'y assurer, au rythme qui sera possible, la célébration de l'Eucharistie. Lorsque la communauté est assez consistante, si l'évêque l'estime opportun, une célébration dominicale en l'absence, ou mieux, « en attente » du prêtre, garde certaines richesses : elle permet de maintenir, au niveau de la prière, la solidarité chrétienne fondamentale fondée sur le baptême. Je sais que vous avez le souci de ne laisser aucune communauté dans l'isolement. Une telle pastorale suppose que l'on évite toute confusion : l'objectif est toujours l'Eucharistie, condition nécessaire à l'épanouissement de la vie évangélique. Le véritable jeûne auquel sont contraints de nombreux chrétiens par rapport à la messe sera, espérons-le, un motif supplémentaire pour favoriser la pastorale des vocations.

8. Je disais que la paroisse n'est pas le pôle unique de rassemblement des chrétiens; il convient d'ajouter qu'elle ne peut répondre pleinement à sa vocation si elle ne demeure ouverte aux apports d'autres instances, par ses membres, engagés personnellement dans les mouvements, attachés à certains courants spirituels, ou dévoués à des services précis. Je sais que c'est aussi votre préoccupation de développer, dans le cadre diocésain, des institutions complémentaires pour répondre à des besoins qui ne peuvent être satisfaits localement, pour la formation des animateurs liturgiques ou celle des catéchistes, pour le regroupement des jeunes, en ne prenant que quelques exemples.

A un autre point de vue, j'ai noté aussi dans vos rapports que vous favorisez de plus en plus le lien de communautés de taille réduite avec l'ensemble de l'Eglise diocésaine. Les rassemblements festifs ont leur importance, ils permettent à chacun d'éprouver plus concrètement ses liens profonds avec tout le Corps ecclésial. La formation d'un conseil pastoral diocésain contribue notablement à mûrir les initiatives dans une collaboration constructive avec l'évêque.[2] Dans plusieurs cas, l'orientation vers un Synode diocésain a favorisé la mobilisation de beaucoup d'énergies dans une perspective peut-être mieux coordonnée que dans le passé. Les échanges avec d'autres Eglises ont aussi leur importance. La situation de votre région aux frontières de votre pays vous amène, vous le soulignez, à entretenir des relations enrichissantes

[2] Cf. can. 511, du C.D.C.

avec les diocèses des pays voisins et à développer une vocation européenne dont l'aspect spirituel n'est pas le moindre.

9. Avant de conclure, je voudrais évoquer un autre aspect marquant chez vous : vos relations quotidiennes avec les chrétiens appartenant aux communautés ecclesiales issues de la Réforme, particulièrement nombreux en Alsace-Lorraine et dans le Pays de Montbéliard. Le dernier Synode donnait cette orientation : « La communion entre les catholiques et les autres chrétiens, bien qu'incomplète encore, nous appelle tous à collaborer dans de multiples domaines et rend ainsi possible un certain témoignage commun de l'amour salviñque de Dieu envers le monde qui a besoin de salut » . [3]

Ce témoignage, comme aussi bien le dialogue théologique ou pastoral dans les groupes locaux ou à d'autres échelons, ne peuvent porter du fruit que s'ils sont sans cesse vivifiés par l'œcuménisme de la prière et de la conversion du cœur.[4]

Je voudrais mentionner en particulier les couples où les deux conjoints n'ont pas la même appartenance ecclésiale. C'est un drame pour ces foyers, fondés sur le sacrement de mariage, de ne pas pouvoir nourrir leur vie conjugale en participant ensemble à l'Eucharistie. Portant en eux la souffrance de la séparation entre les chrétiens, ces époux peuvent malgré tout être des témoins de l'espérance de l'unité. Ils ont besoin d'un vrai soutien spirituel et pastoral.

10. Sans entrer dans tous les aspects de la vie ecclésiale de vos diocèses, j'ai voulu souligner quelques objectifs essentiels pour que l'Eglise constitue un signe parlant dans un monde où beaucoup d'hommes et de femmes restent indifférents ou étrangers à la foi. A l'échelon local de la paroisse, comme dans les instances diocésaines, il faut encourager la vocation de tous ceux qui portent témoignage ensemble. Votre ministère episcopal est consacré à donner les impulsions nécessaires, à coordonner les initiatives, à éclairer ceux qui cherchent à répondre aux exigences de l'Evangile, à célébrer la présence du Christ Sauveur dans son Corps qui est l'Eglise. Dans l'exercice de vos responsabilités à la fois lourdes et exaltantes, vous pouvez compter sur ma sollicitude et sur ma prière. Que Dieu vous bénisse ainsi que vos collaborateurs et tous vos diocésains !

[3] *Rappart final,* C 7.

[4] Cf. Discours à PAmphitéâtre des Trois Gaules, Lyon, 4 octobre 1986, nn. 3-4.

XVIII

Ad episcopos Pedemontanos sacra limina visitantes coram admissos.*

Signor Cardinale,
Carissimi fratelli nell'episcopato!

1. Con grande gioia vi accolgo in questo incontro collettivo della vostra visita *ad limina Apostolorum,* che conclude il ciclo delle Conferenze Episcopali regionali dell'Italia. Porgo il mio saluto più cordiale a voi e nelle vostre Persone intendo abbracciare tutti i fedeli delle Diocesi, che voi reggete con tanto amore e generosità.

Il primo sentimento che sgorga spontaneo dal mio animo è quello del compiacimento, per quanto avete compiuto nelle Comunità ecclesiali a voi affidate. È un sentimento doveroso, che raggiunge anche tutti i vostri Collaboratori, sacerdoti, religiosi e laici. Ringraziamo insieme il Signore per l'abbondanza dei doni elargiti : ho appreso con particolare gioia che alcuni Seminari minori e maggiori registrano una chiara ripresa; c'è un incremento anche nelle vocazioni religiose, un numero crescente di laici si inserisce con convinzione nell'apostolato, il Popolo di Dio sente la responsabilità di una coerente testimonianza cristiana.

Questo mi spinge ad esortarvi a perseverare con instancabile sollecitudine in questo vostro compito di Pastori, di Maestri e di Guide.

2. Nelle vostre Diocesi, note anche per i loro Santuari mariani, in quel Piemonte che ha dato molte figure di santi Sacerdoti, la fede cristiana si esprime con una spiritualità profondamente eucaristica e mariana, formativa e caritativa. Di tale spiritualità sono manifestazione la vita e le opere di quella fioritura di Santi che ha caratterizzato soprattutto il secolo scorso, fra i quali vorrei menzionare san Giovanni Bosco, che oggi ricordiamo nella liturgia e che la diocesi di Torino, insieme con la Società Salesiana, si accinge a celebrare con particolare solennità in occasione del centenario della morte.

Sull'esempio di tante luminose figure, non stancatevi di approfondire fra le vostre popolazioni questa spiritualità intensa e robusta. Oggi, certamente, l'azione pastorale incontra molte difficoltà. Paolo VI, nell'ultimo incontro avuto con voi, un anno primo della sua morte,

* Die 31 m. Ianuarii a. 1987.

individuava la maggiore delle difficoltà, quella che in qualche modo riassume tutte le altre, nell'evoluzione materialistica della società. Io stesso nell'ultima Enciclica *Dominum et vivificantem* ho affermato che la resistenza allo Spirito Santo « trova la sua massima espressione nel materialismo, sia nella sua forma teorica — come sistema di pensiero, sia nella forma pratica — come metodo di lettura e di valutazione dei fatti e come programma altresì di condotta corrispondente ». *

Bisogna perciò con costante sollecitudine annunziare e vivere la fede cristiana, offrendo profonde convinzioni personali nella formazione delle singole coscienze.

3. Voi stessi avete segnalato quattro àmbiti della vita odierna, che esigono un impegno pastorale sempre più attento ed intenso : il fenomeno dell'emarginazione, causato dalla società della tecnica e del benessere; il pericolo della scristianizzazione, che mette in evidenza una rottura sempre più profonda tra fede cristiana e vita quotidiana, particolarmente minacciosa nelle grandi aree urbane o suburbane ; la nuova cultura tecnologica, che esige un annuncio del messaggio evangelico più sensibile alla mentalità critica dei nostri tempi, ed infine il problema della famiglia, che implica l'educazione e la formazione all'amore autentico nell'ambito del matrimonio inteso come « sacramento)).

Questa segnalazione è di fondamentale importanza, tanto più che non riguarda solo le diocesi del Piemonte, ma tutta la Chiesa in generale. Da parte mia desidero suggerirvi prima di tutto alcune indicazioni di ordine pratico :

— Curate la catechesi di tutte le categorie di persone, mediante incontri di cultura religiosa, corsi metodici di insegnamento dottrinale, scuole di teologia per laici, giornate di studio. Per l'efficacia formativa di tale catechesi è necessaria l'unità di fede, basata sulla Rivelazione e sul Magistero autentico della Chiesa, e l'aggiornamento culturale.

— Sensibilizzate sempre più lo spirito caritativo. Oggi specialmente è tempo di carità, di bontà, di comprensione, di compassione, di dedizione, di amore. Il fenomeno del volontariato indica che gli uomini di oggi, e specialmente i giovani, sono più sensibili verso le necessità umane.

' N. 56.

— Responsabilizzate ogni fedele del « Popolo di Dio », in modo che ogni cristiano nella famiglia, nella parrocchia, nella diocesi, come pure negli ambiti della vita civile si senta impegnato a partecipare in modo costruttivo al disegno salvifico di Dio.

— Per quanto riguarda l'attività pastorale a favore della gioventù, rivolgendo un cordiale saluto all'Ordinario Militare, qui presente, vorrei ricordare l'importanza dell'apostolato tra coloro che compiono il servizio militare.

Oltre ad essere un ministero a favore di quanti, in adempimento di un dovere civile, garantiscono la sicurezza della patria nel contesto di un impegno per la pace e la solidarietà tra i popoli — evitando forme di un pacifismo unilaterale, non sufficientemente attento alle complessive esigenze della vita associativa — costituisce anche la preziosa occasione di completare l'educazione morale e cristiana per tanta parte della gioventù in un momento cruciale della vita, illuminandola con la luce del Vangelo.

4. Desidero, inoltre, amati Confratelli della Regione Piemontese, che esercitate la vostra attività pastorale in una delle zone più industrializzate d'Italia, toccare alcuni aspetti della pastorale del lavoro nell'attuale società tecnologica. La Chiesa sente il dovere e il bisogno di camminare al fianco dell'uomo singolo e della società, per illuminare e guidare, nella prospettiva del giusto progresso e dell'autentico benessere.

Mi limito a qualche rilievo, su questo argomento che ho già avuto occasione di affrontare anche recentemente nel convegno promosso dalla Commissione della CEI per il mondo del lavoro.

a) Una prima considerazione riguarda la situazione di fatto della società attuale.

Come è noto, in due secoli si è passati dalla « società agricola » a quella «industriale », ma in poco meno di un mezzo secolo si sta passando a una nuova forma di società tecnologicamente più avanzata. Sta avvenendo sotto i nostri occhi una svolta che non sappiamo dove porterà e quando si concluderà.

La tecnica si è inserita in modo spettacolare tra la natura, per manipolarla e asservirla, e la società, per svilupparla e soddisfarla. La tecnica incide ormai potentemente sull'economia e l'economia, diventata una scienza anch'essa, rivendica l'autonomia dalla politica e

dall'etica. La certezza di base diventa la massima efficienza della produzione con il minimo sforzo. Mediante i ritrovati della tecnica, telematica, informatica, robotica, il ruolo della persona sembra diventare in gran parte superfluo, secondario; nello stesso tempo però si valuta più l'intelligenza che la forza fìsica.

Emerge così il problema della « disoccupazione tecnologica » : è la disoccupazione di coloro che, soppiantati dalle macchine, sono senza lavoro e si sentono emarginati e senza scopo, ma anche il problema di quanti si trovano a lavorare di meno, hanno maggior tempo a disposizione e devono in qualche modo impiegarlo e riempirlo.

In tale contesto, il lavoro rimane senza dubbio un valore, ma accanto ad altri valori, come lo sviluppo dell'intelligenza, la promozione della cultura, l'impegno del tempo libero nel servizio umanitario, nel volontariato, nella ricerca religiosa, nella contemplazione, nello spettacolo, nella lettura, nel turismo.

Bastano questi cenni per rendersi conto come la società moderna è densa di problemi e di difficoltà sia nel campo strettamente economico sia soprattutto nel campo pastorale.

b) La seconda considerazione riguarda perciò l'atteggiamento che si deve assumere di fronte alla società di oggi.

L'attuale sviluppo tecnologico ha certamente un significato e un ruolo positivo nella progressiva vicenda della storia umana e perciò della « storia della salvezza ». Ci convincono e ci confortano le parole di San Paolo: ((Tutto è vostro ... il mondo, la vita, la morte, il presente, il futuro : tutto è vostro ! Ma voi siete di Cristo e Cristo è di Dio ! » .[2] Bisogna portare l'umanità verso la giusta pienezza del suo sviluppo ; bisogna capire la nostra epoca, accettarla, orientarla. Nell'Enciclica *Laborem exercens* ho voluto sottolineare questa visione positiva e costruttiva della società moderna quando ho detto che : « lo sviluppo dell'industria e dei diversi settori con essa connessi fino alle più moderne tecnologie dell'elettronica, specialmente nel campo della miniaturizzazione, dell'informatica, della telematica ed altri, indica quale immenso ruolo assume, nell'interazione tra il soggetto e l'oggetto del lavoro proprio questa alleata del lavoro, generata dal pensiero umano, che è la tecnica. Intesa in questo caso non come una capacità o una attitudine al lavoro, ma come un insieme di strumenti dei quali

[2] *1 Cor* 3, 21-22.

l'uomo si serve nel proprio lavoro, la tecnica è indubbiamente un'alleata dell'uomo. Essa gli facilita il lavoro, lo perfeziona, lo accelera e lo moltiplica. Essa favorisce l'aumento dei prodotti del lavoro e di molti perfeziona anche la qualità)).[3]

c) Infine, un'ultima considerazione riguarda in particolare le direttive che possiamo e dobbiamo dare nella svolta in corso.

Bisogna educare, prima di tutto, ad accettare di vivere in questa società complessa e difficile, per diventarne l'anima con vigile allenamento all'ascetica, e con prontezza di spirito di sacrificio.

Bisogna educare al senso della solidarietà, che è la carità cristiana com'è voluta dal Vangelo. È necessaria questa mentalità di solidarietà fraterna, perché pur tra tante conquiste tecniche, non mancano gravi traumi: insicurezza del posto di lavoro, individualismo, egoismo, solitudine, emarginazione. Occorre favorire e stimolare un comportamento più solidale, umano, cristiano. Bisogna formare persone coraggiosamente aperte alle novità tecnologiche e sociali, sensibili alla voce della propria coscienza cristiana, disposte alla condivisione ed all'impegno sociale, e quindi necessariamente umili e prudenti, convinte della necessità della grazia e dell'aiuto divino. Per quanto è possibile, tenuto conto del contesto particolare, è necessario anche stimolare i Responsabili della vita sociale e politica, in modo che tutti si sentano unicamente a servizio dell'uomo, della famiglia, della società.

Infine, occorre educare alla fiducia ed alla speranza, specialmente i giovani. L'azione pastorale deve infondere fiducia e promuovere la comune corresponsabilità, poiché tutti facciamo parte di un disegno di amore ed abbiamo una missione da compiere.

Concludendo questi accenni, vorrei rinnovare l'auspicio di una ripresa delle « Settimane Sociali », in cui, attraverso lo studio della dottrina della Chiesa e la testimonianza di persone qualificate e responsabili, sia possibile individuare soluzioni concrete ai difficili problemi dell'epoca moderna, in modo che siano sempre — in nome di Cristo — salvaguardate la dignità della persona e la giustizia sociale.

5. Carissimi Confratelli!

Proprio verso il termine della sua vita, il Santo di Torino, don Giuseppe Benedetto Cottolengo, così diceva: « Ricordatevi di non dubitare nemmeno per un istante della Divina Provvidenza, sia nello spi-

[3] N. 5.

rituale che nel temporale. Fareste un gran torto a Dio ... Nelle necessità, dubbi e malinconie non state a gemere e sospirare, ma portatevi avanti al Santissimo Sacramento ... Sfogate il vostro cuore ivi».

È un programma di vita che vale per tutti, e che vi lascio come ricordo, stimolo e conforto.

La Vergine Santissima, Maria Ausiliatrice e Consolatrice, invocata a Vicoforte Mondovì e sul Sacro Monte di Crea e di Varallo Sesia, e venerata con tanto amore in celebri Santuari come a Torino, a Oropa, ispiri e sostenga sempre il vostro ministero episcopale, a gloria di Dio e per la salvezza delle anime ! Con la mia Benedizione.

ACTA CONGREGATIONUM

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

DECRETUM

MOBELIENSIS-TACAMBARENSIS

de finium mutatione

Quo aptius christifidelium pastorali curae consuli possit, Exc.mi PP. DD. Stanislaus Alcaraz Figueroa, Archiepiscopus Moreliensis, et Albertus Suárez Inda, Episcopus Tacambarensis, unanimi consensu, ab Apostolica Sede nuper enixe postulaverunt ut fines quibus ad praesens suae cuiusque ecclesiasticae ditiones circumscribuntur aliquantulum immutarentur.

Congregatio pro Episcopis, praehabito favorabili voto Exc.mi P. D. Ieronimi Prigione, Archiepiscopi titularis Lauriacensis, in Republica Mexicana Delegati Apostolici, rata petitam immutationem aeternae animarum saluti cessuram, vigore specialium facultatum sibi a Summo Pontifice Ioanne Paulo, divina Providentia PP. II, tributarum, oblatis precibus annuendum censuit.

Quapropter, suppleto, quatenus opus sit, eorum interesse habentium vel habere praesumentium consensu, praesenti Decreto a dioecesi Tacambarensi distrahit territorium civilium districtuum vulgo <(poblados » quibus nomina *Enandio* et *Guarnoro* illudque archidioecesi Moreliensi adnectit.

Quamobrem documenta et acta memorati territorii clericos, fideles et bona temporalia forte respicientia a Curia Tacambarensi tabulario ad Curiae Metropolitanae Ecclesiae Moreliensis archivum, quam primum, transmittantur.

Ad clerum quod attinet, simul ac praesens Decretum ad effectum deductum fuerit, sacerdotes Ecclesiae illi adscripti censeantur in cuius territorio ecclesiasticum detinent officium; ceteri autem sacerdotes, clerici seminariique tirones dioecesi illi incardinati maneant vel incardinentur in cuius territorio legitimum habent domicilium.

Ad haec perficienda Congregatio pro Episcopis praefatum Exc.mum P. D. Ieronimum Prigione deputat, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad eandem Congregationem, cum primum fas erit, authenticum exemplar actus peractae executionis remittendi.

Quibus super rebus praesens edit Decretum perinde valiturum ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Episcopis, die 3 mensis Iulii anno 1987.

8B BERNARDINUS Card. GANTIN, *Praefectus*

L. & S.

& Lucas Moreira Neves, Archiep. tit. Foronovanus, *a Secretis*

In Congr. pro Episcopis, tab., n. 584/87.

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Ioannes Paulus Pp. II, per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros Praesules praefecit, videlicet :

die 26 Maii 1981. — Coadiutorem Exc.mi P. D. Archiminii Rodrigues da Costa, Episcopi Macaonensis, R. D. Dominicum Lam Kä Tseung, Vicarium generalem Macaonensis dioecesis.

die S Iulii. — Titulari episcopali Ecclesiae Vulturariensi R. D. Olaudium Dagens, Tolosanae Facultatis Theologicae Decanum, quem deputavit Auxiliarem Exc.mi P. D. Iosephi Rozier, Episcopi Pictaviensis.

die 8 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Bellicensi R. D. Vidonem Bagnard, e clero Augustodunensis dioecesis.

die 9 Iulii. — Coadiutorem Exc.mi P. D. Henrici Gufflet, Episcopi Lemovicensis, Exc.mum P. D. Leonem Soulier, hactenus Episcopum Apamiensem.

die SI Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Meldensi Exc.mum P. D. Ludovicum Cornet, hactenus Episcopum Aniciensem.

— Cathedrali Ecclesiae Augustodunensi Exc.mum P. D. Raimundum Séguy, hactenus Episcopum Vapincensem.

die 5 Augusti. — Titulari episcopali Ecclesiae Feraditanae maiori R. D. Ioannem Bosco Oliver de Faria, e clero de Pouso Alegre, quem deputavit Auxiliarem eiusdem sedis metropolitanae.

die 8 Augusti. — Cathedrali Ecclesiae Nucerinae Paganorum-Sarnensi R. D. Ioachimum Illiano, e clero archidioecesis Salernitanae-Campaniensis-Acernensis presbyterum.

die 18 Augusti. — Cathedrali Ecclesiae Adiacensi R. **D.** Salvatorem Casanova, Administratorem ipsius dioecesis.

die 17 Augusti. — Cathedrali Ecclesiae Cuernavacensi Exc.mum P. D. Aloisium Reynoso Cervantes, hactenus Episcopum Civitatis Obregonensis.

CONGREGATIO PRO GENTIUM EVANGELIZATIONE SEU DE PROPAGANDA FIDE

i
PROVISIO ECCLESIARUM

Ioannes Paulus divina Providentia Pp. II, latis decretis a Congregatione pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide, singulis quae sequuntur Ecclesiis sacros Pastores dignatus est assignare. Nimirum per Apostolicas sub plumbo Litteras praefecit:

die 3 ***Iulii 1987.*** — Metropolitanae Ecclesiae Madhuraiensi Exc.mum P. D. Marianum Arokiasamy, hactenus Episcopum Kottarensem.

— Cathedrali Ecclesiae Miarinarivensi Exc.mum P. D. Armandum Toasy hactenus Auxiliarem Maiungaënsis dioeceseos.

— Cathedrali Ecclesiae Equialbensi R. P. Thomam Lobsinger, Congregationis Missionariorum Oblatorum B. M. V. Immaculatae sodalem eiusdemque Congregationis Superiorem Provinciae Canadensis Sancti Pauli in Vancuveriensi civitate.

— Cathedrali Ecclesiae noviter erectae in India Kottapuramensi R. D. Franciscum Kallarakal, e clero Verapolitano, directorem <(St. John's Medicai College » in Bangalorensi civitate.

— Cathedrali Ecclesiae Sivagangaiensi nuper erectae in India R. **D.** Eduardum Francis, moderatorem Centri regionalis Catecheseos, Litur-

giae atque Sacrae Scripturae in Tamil Nadu necnon Instituti Theologiae in oppido Tindivanam siti.

— Cathedrali Ecclesiae Truxillensi noviter in Honduria erectae, R. P. Vergilium López Irias, Ordinis Fratrum Minorum sodalem, Praelaturae Immaculatae Conceptionis B. M. V. in Olancho Vicarium generalem et simul parochum ecclesiae Sancti Francisci in Catacamas.

— Cathedrali Ecclesiae Obalanae in Dicione Cammaruniensi recens erectae, R. D. Hieronymum Owono-Mimboe, e clero Sangmelimaënsis dioecesis, Institutionis Catholicae nationalis directorem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Buffadensi R. D. Raimundum Saw Po Ray, Sacrae Theologiae professorem in maiori Seminario Rangunensi eiusdemque vicerectorem.

die 21 Augusti. — Titulari episcopali Ecclesiae Midilensi R. D. Beniaminum Stella, e dioecesi Victoriensi Venetorum, Apostolicae Nuntiaturae Consiliarium, quem dignitate archiepiscopali ornavit eique munia Pro-Nuntii in Re publica Africae Mediae necnon Delegati in Tzadiae Dicione Apostolici contulit.

II

NOMINATIONES

Peculiari dato decreto, Congregatio pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide ad suum beneplacitum renuntiavit:

die 3 Iulii 1987. — R. P. Georgium Perron, Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum sodalem, *Administratore Apostolicum « sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis* » dioecesis Gibutensis.

die 21 Augusti. — R. P. Paschalem Ghebreghiorghis, sodalem Fratrum Minorum Capuccinorum Ordinis eorumdemque in Aethiopia Ministrum Provincialem, *Administratorem Apostolicum « ad nutum Sanctae Sedis* » Vicariatus Hararensis.

Peculiari dato decreto a Congregatione pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide, Apostolicis sub anulo Piscatoris Litteris renuntiat! sunt :

die 20 Iunii 1987. — Exc.mus P. D. Ivanus Dias, Archiepiscopus titulo Rusubisiritanus, *Pro-Nuntius Apostolicus in Corea.*

die 1 Augusti. — Exc.mus P. D. Romaeus Panciroli, Archiepiscopus titularis Nobensis, *Pro-Nuntius Apostolicus in Re publica Guineana.*

CONGREGATIO PRO CAUSIS SANCTORUM

DECRETA

I

MASSERUEN. SEU BASUTOLANDEN.

Canonizationis Ven. Servi Dei Iosephi Gérard, Sacerdotis professi Congregationis Missionariorum Oblatorum B. M. V. Immaculatae (1831-1914).

SUPER DUBIO

An constet de miraculo, in casu et ad effectum de quo agitur.

Venerabilis Servus Dei Iosephus Gérard, O. M. I., Praecursor missionarius Lesothi, in Africae regione australi, est signum, rerum naturam transcendens, universalitatis missionalis Ecclesiae. Missionale studium Patris Iosephi Gérard et Basothorum erga eum veneratio, clare ostendunt hanc Concilii Oecumenici Vaticani II veritatem: « Ecclesiam, natura sua missionariam, quamlibet peculiaritatem stirpis vel nationis transcendere, ideo nemini et nullibi extraneam reputari posse » (Conc. Oec. Vat. II, Decret, de activit. missionali Ecclesiae *Ad Gentes,* 2 et 8).

Iosephus Gérard anno 1831 natus est in oppido *Bouxières-aux-Chênes,* patrio sermone appellato, in Gallia. Anno 1851 ingressus est Congregationem Missionariorum Oblatorum Beatae Mariae Virginis Immaculatae. Diaconus cum esset, anno 1853 profectus est ad Missiones Natalienses et Africae austrinae. Insequenti anno ordinatus sacerdos, primos missionales labores exanclavit pro Zulù Africae meridianae. Beatus de Mazenod, Oblatorum Fundator, aliquot menses antequam mortuus est, anno 1861, Servum Dei misit in partes intimas Continentis, quae Basutoland tunc appellabantur, nunc autem Lesothum. Anno 1862 Pater Gérard Ecclesiam instituit in Lesotho, condita Missione Romae. Per duos et quinquaginta onnos usque ad mortem, quae evenit die 29 mensis Maii anno 1914, eius assiduae deprecationis vita, incommodorum et indefatigabilis apostolatus, venerationem et amorem Basothorum ei comparavit. Die 13 mensis Novembris a.1976, Papa Paulus VI edixit eum virtutes heroum in modum exercuisse.

Sanatio extraordinaria, precibus tributa ven. Iosephi Gérard, exhibita est Apostolicae Sedi ad obtinendam eiusdem beatificationem.

Est haec sanatio subitanea caecae Florinae Phakela, «quae contigit anno 1928 in Missione Lesothiana Romae, in Africa.

Caeca Florina, puellula sex annorum, dignoscere non poterat diem a nocte. Post quattuor menses inutilis curationis, doctor Hertig existimavit Florianam tota vita caecam esse mansuram, cum nulla spes esset recuperandae sanitatis. Pater Pennerath, parochus Missionis Romae et successor Patris Gérard (iam ante quattuordecim annos mortui), sacrum novendiale iniit, quo Patrem Gérard cum parentibus Florinae precatus est ut sanitatem obtineret. Postero die, primo sabbato mensis Iulii, anno 1928, is tetigit caecam reliquiis stolae venerabilis Iosephi Gérard. Iam Florina, ex collo pendens, saccellum gerebat, terram continens sepulchri Venerabilis, sperans se eo deprecante consecuturam esse sanitatem. Nocte inter sabbatum et dominicam Florina est subito sanata.

Anno 1976, quadraginta annos post sanationem, duo Periti ab inspectione delegati, sensum videndi Florinae conspexerunt ; qui non solum reppererunt sanationem esse stabilem, sed scientiae instrumentis recentioribus, in venerunt cicatrices ulcerationis compaginum internorum oculorum, quae confirmabant notas proprias caecitatis, qua Florina laborabat anno 1920, quo tempore est mire sanata. Florina mortua est anno 1982 sexagenaria, perspicillis non indigens ut videret.

Multa testimonia confirmarunt hanc sanationem in Processu Ordinario anno 1940 instructo et iterum in Processu Apostolica auctoritate confecto, anno 1955. Summarium sanationis exhibitum est Congregationi pro Causis Sanctorum die 21 mensis Martii anno 1986 a Postulatore Causae, Patre J. G. Brossard, O. M. I. Die 3 mensis Decembris anno 1986 Consilium Medicorum Congregationis pro Causis Sanctorum, uno ore professum est sanationem extra vires naturae evenisse.

Haec extra vires naturae sanatio caecae Florinae excussa est in Congressu Peculiari Consultorum Theologorum die 13 mensis Martii anno 1987, moderante Rev.mo D.no Antonio Petti, Fidei Promotore Generali ; atque in Congregatione Ordinaria Cardinalium et Episcoporum die 19 Maii anno 1987, Em.mo ac Rev.mo Eduardo Gagnon, Causae Ponente. Et proposito dubio ((An et de quo miraculo constet, in causa et ad effectum de quo agitur », omnes, qui interfuerunt, affirmando responderunt.

Hisce super omnibus rebus facta, per subscriptum Cardinalem Praefectum, Summo Pontifici Ioanni Paulo II relatione, Sanctitas Sua,

suffragia Opngregationis pro Causis Sanctorum rata habens, mandavit ut Decretum super praefata mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite factum esset, accitis Cardinalibus infrascripto Praefecto atque Eduardo Gagnon, Causae Ponente, meque Antistite a Secretis, ceterisque de more convocandis, eisque adstantibus, Summus Pontifex Ioannes Paulus II declaravit : *Constare de uno miraculo, intercedente Venerabili Servo Dei Iosepho Gérard, a Deo patrato, nimirum de subitanea (perfecta quoad visum oculi sinistri, non tota quoad oculum dextrum) et duratura sanatione puellae Florinae Phalcela a caecitate bilaterali orta ex gravibus vulnerationibus substantiae corneae coniunctivae oculorum in cursu gravis cutis morbi ulcerosi-crustati capitis.*

Hoc autem Decretum in vulgus edi et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 1 mensis Iunii, A. D. 1987.

PETRUS Card. PALAZZINI, *Praefectus*

L. ® S.

& Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

II

NAGASAKIEN. SEU MANILEN.

Canonizationis Beatorum Laurentii Ruiz de Manila, Dominici Ibañez de Erquicia, O. P., **Iacobi Krushei Tomonaga,** O. P. **et XIII sociorum martyrum.**

SUPER DUBIO

An et de quo miraculo, post indultam eisdem Beatis ab Apostolica Sede venerationem, constet in casu et ad effectum de quo agitur.

Fidelissimi hi Dei Famuli, natione quidem Europaei et Asiatici, religione vero fere omnes ex Ordine Fratrum Praedicatorum quamvis alii alia condicione, fidem christianam per Insulas Philippinas, Formosam atque Iaponicas disseminarunt et JSTagasakii per patibulum atque fossam confirmarunt annis 1633-1637. Qui omnes Manilae, die 18 mensis Februarii a. 1981, a Ioanne Paulo PP. II ad Extremum Orientem iter habente, solemni ritu beatificati sunt (cfr. *AAS,* LXXIII, 1981, 535-538).

Invaluit cito ea in regione erga novensiles Beatos populi venera-

tio, quorum unus Manilensis et pater familias, nempe Laurentius Ruiz, primus Philippinorum martyr agnitus est. Orebuit idcirco divina beneficiorum largitio ad Martyrum invocationem, luculenta fama honestatam.

Eminere visum est prodigium quoddam, Manilae partum in gratiam infantis cui nomen Caecilia Alegría, filia Fiorentini Policarpio et Lourdes Ravena, die 4 mensis Martii a. 1981 nata. Erat ipsa recens ortu, cum mense Iulio coepit ex cerebro laborare, multa per biennium perpessa damna quae a medicis diagnoscebantur opsoclonus et mioclonus, angores et tremores, vomitus et insomnia, standi et ambulandi impeditio. Adhibita congrua remedia modicum prodesse videbantur, vel illa « cortisonici » dicta quae, ceterum, die 9 Ianuarii mensis a. 198 intermittere necesse fuit ob stomachi et alvi infiammati haemorrhagiam. Puellula igitur in dies ingravescebat, ne deglutiret etiam satis praepedita. Die ergo 14 mensis Februarii ad id devenit morbi gravitatis, ut per quinque supra quadraginta horae minuta vehementissima quateretur convulsione. Quinimmo, post duos dies, electrico-graphicum cerebri temptamen introrsum factum (EEG) organi laesiones indubie ostendit. Eapropter medicus, qui nervorum dolores curabat, praevidit Oaeciliam in discrimen maximum fore ut incideret, quo in ens mere vivum seu « Vegetativum » verteretur.

Perterriti parentes summam Dei potentiam provocaverunt per Martyrum Laurentii et Sociorum intercessionem, ipso die imploratam quo, duos abhinc annos, in Beatorum numerum relati fuerant. Nec semel : nam die prima mensis Maii, eodem anno 1983, sola eorum interventione fisi, quodlibet filiae lenimentum, inconsultis medicis, ultro omiserunt.

Huiusmodi férvidas preces, ab aliis quoque saepius profusas, mirabilis eventus est secutus : quippe quod cerebri anatomica paralysis retrorsum cessit et continuo infirmae valetudinis condiciones in melius mutari coeperunt, usque ad plenam cuiusque facultatis adeptionem sive physici sive psychici ordinis.

Perfecte Oaeciliam convaluisse annis 1985 et 1986 experiri satis datum est : ideoque Commissio ab archiepiscopo Manilensi delegata omnia documenta perquisivit et ad Congregationem pro Causis Sanctorum transmisit. Super quibus tres Periti aestimationem suam seu iudicium medicum-legale inierunt, animadvertentes hanc sanationem a naturae viribus esse excipiendam. Theologi vero Consultores in Congressu peculiari, moderante Rev.mo D.no Antonio Petti, Fidei Promo-

tore Generali, die 3 mensis Aprilis a. 1987 habito, umanimi voto eon- cludenaes, censuerunt morbi curationem certo tribui superno auxilio, intercdedentibus sexdecim Beatis crebrius invocatis. Addere simul opus est Oaeciliae parentes aliosque consilium habuisse petendi a Deo ut mira quae impetrabatur sanatio Martyrum canonizationi prorsus faveret.

Medicorum et Theologorum sententiam Patres Cardinales, die 12 Maii sequentis congregati, perpenderunt, Ponente Em.mo Mario Aloy- sio Card. Ciappi : et de eadem convenerunt. Facta postmodum, hac subsignata die, de omnibus relatione per infrascriptum Cardinalem Praefectum, Ioannes Paulus PP. II edixit : *Constare de uno miraculo, per interecessionem praedictorum Beatorum a Deo patrato,* scilicet : *de perfecta et duratura sanatione infantis Caeciliae Alegriae Policarpio a paralisi cerebrali anatomico-functionali, omissa qualibet therapia.*

Hoc autem Decretum promulgari et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, Calendis luniis, a. D. 1987.

PETRUS Card. PALAZZINI, *Praefectus*

L. & S.

6B Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

III

NEPESINA

Decretum super heroicis virtutibus in causa canonizationis Servae Dei Caeciliae Eusepi, iuvenis saecularis (1910-1928).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iusti- tia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

((Caritas Dei, diffusa in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis ***(Rm*** 5, 5), reddit laicos capaces spiritum Beatitu- dinum reapse exprimendi in vita sua. Iesum pauperem secuti, bono- rum temporalium nec inopia deiiciuntur nec copia inflantur; Chri- stum humilem imitati, non efficiuntur inanis gloriae cupidi (cfr. ***Cal*** 5, 26), sed placere Deo magis quam hominibus student, semper parati

propter Christum omnia relinquere (cfr. *Lc* 14, 26) et persecutionem pati propter iustitiam (cfr. *Mt* 5, 10), memores verbi Domini:"Si quis vult post me venire, abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me" *(Mt* 16, 24). Christianam amicitiam inter se colentes, adiutorium in quacumque necessitate sibi invicem praebent » (Decretum de apostolatu laicorum *Apostolicam Actuositatem,* 4).

Haec verba Concilii Vaticani II, ad Laicos pertinentia, egregie vitae Servae Dei Caeciliae Eusepi respondent, quae indole praedita vivaci, temperata austeritate vitae, acerbitate et paupertate firmatae, a puella apparuit in rebus Dei singulariter illuminata.

Nata *Monte Romano* in dioecesi Tarquiniensi die 17 mensis Februarii anno 1910 ex Antonio et Paulina Mannucci, pauperibus parentibus quoad facultates, sed vehementer christianis, baptizata est die 26 eiusdem mensis. Post nonnullas hebdomadas patre orbata est, qui moriens eam curis commendavit Philippi Mannucci, uxoris fratris.

Ex pago *Monte Romano* ita se contulit, una cum matre, in domum avunculi ad praedium appellatum « La Massa », in agro Nepetino situm, ubi die 5 mensis Septembris anno 1915 admissa est uti alumna ad Monasterium Monialium Cisterciensium.

Die 27 mensis Maii sacramentum accepit Confirmationis et die 2 Octobris eodem anno primum sanctissimam Eucharistiam sumpsit.

Duodecim annos nata, die 14 Februarii anno 1922, de quattuordecim iussis annis duobus remissis, se in Tertium Ordinem Servorum Mariae ascripsit, nomenque sibi indidit Sororem Angelam.

At propter infirmam valetudinem ad domum avunculi est reversa, ad fundum « La Massa », nomen dedit Actioni Catholicae, in qua mirum exercuit apostolatum.

Blanditia illecta vitae consecratae, non paucis difficultatibus familiaribus superatis, vix tredecim annorum Caecilia Eusepi ingressa est inter Servas Mariae in probandatum Pistoriensem.

Mense Octobri insequenti anno propter valetudinem missa est, cum condiscipulis, Iaderam, urbem prope oram maritimam, sed, cum speratum profectum non consequeretur, mense Iulio anno 1925, Pistorium revocata est.

Die 13 Augusti anno 1926 est publice inter postulantes admissa; sed quoniam gravius aegrotabat, inducta est ad familiam repetendam, divinae voluntati obsequentissima.

Intestinorum phthisis plus plusque in dies ingravescebat. Interim Caecilia, sui magistri spiritus permissu, die 8 Decembris, festo Immaculatae Conceptionis, vota religiosa privata nuncupavit, anno 1926 hisque veluti capta vixit, satiata laetitia, usque ad calendas Octobres, anno 1928, quibus terram relinquit ad caelum avolatura.

Vitae tam brevi spatio Caecilia fideliter servavit quae Domino die primae Communionis, promiserat : (C Tota tua ero, semper tua, Iesu : hoc tibi promitto)). Tota vita eius impressa est hac voluntate, qua statuit omnino proprietas Dei esse. Cum, novem annos nata, legeret « Historiam animae cuiusdam », a S. Teresia Lexoviensi conscriptam, Caecilia intellexit quod iter esset faciendum ad sanctitatem adipiscendam : iter nempe humilitatis, oboedientiae erga Dei voluntatem, amoris Dei usque ad immolationem. Fide viva fulta, cotidie in sacramento eucharistico invenit vim perficiendi studium cohaerendi Iesu, quem ipsa appellabat « cordis sui regem ». Extremis vitae mensibus, quos egit apud avunculum in fundo ((La Massa », quoniam ob morbum ad ecclesiam adire non poterat, maxime excruciabatur, quod longe a Iesu manere debebat, quod eum cotidie accipere nequibat.

Cum ardenti amore et tenera fortique pietate erga Iesum Eucharisticum, Serva Dei ab adulescentula coniunxit vehementem erga sanctissimam Virginem Perdolentem religionem. Mariae dolores constanter meditabatur, adeo ut Virginem Perdolentem vocaret « cor meum » et eius dolorum meditationem « meum paradisum ». Ceterum, occasionem ut se tam propinquam sentiret Virgini Perdolenti, aegritudinis consuetudo ei dederat. Etsi solidas noctes agebat dolorum morsibus laniata, ita acerbis hos suos tegebat cruciatus, ut familiaribus semper laeta videretur. Quamvis consumptionem sui corporis progredientem animadverteret, cogitatio mortis appropinquantis eius spiritum non f regit, quin eius desiderium auxit de hoc mundo decedendi, adeo ut exclamaret : « Quam pulchra est mors ! Cur tam taetram eam efïïngunt? Mihi ea, post sanctam Communionem, res pulcherrima et optabilissima videtur, quia in aeternum nos cum Deo coniungit ». Ad hunc eventum ineluctabilem tempestive se praeparavit, spe sustenta, iam in ea facta persuasione, se in paradisum ituram. Quam ob rem, vix duodeviginti annos nata, tribus mensibus antequam moreretur, confici sibi iussit vestem tertiariae Servorum Mariae, die mortis, secundum antiquum morem, induendam, ac si eventus ille occultissimos appetitus consummaret.

Etenim, tam breves eius vitae anni, constanter testati sunt flagrantem quo Deo coniungebatur amorem, in quo Caecilia omnes ad se adeuntes tenere diligebat.

Nihil tantum eam torquebat, quantum blasphemiae; quae si contra Virginem Sanctam iaciebantur, Caecilia talis erat, ut vel totum diem Aere posset. Attamen blasphematores non fugiebat, sed adire studebat iisque aliquid offerre, ut simul eos benigne monendo adiuvaret ad decedendum de mala consuetudine.

Sicut a blasphemia, ita a peccato vel veniali abhorrebat, adeo ut in fine vitae Deo gratias ageret, quod a quolibet peccato consulto commisso eam servasset. Quandoquidem noverat peccatum summum malum esse, se victimam devovere exoptabat : « Tibi promitto, mi Iesu, me cor tuum solaturam, te amaturam, veram apostolam, parvam martyrem factam », scripsit in memoriali libello. Numquam cupere destitit pro Domino pati; quin hoc studium una fuit proprietatum eius religionis. Namque, tum in monasterio Cisterciensi, tum inter postulantes Servas Mariae, tum in campo sui apostolatus apud puellas Actionis Catholicae, tum apud ipsos familiares, cupiditate arsit docendi precari et incommoda ferre pro aliis, ipsa prima exemplum praebens. Haec appetitio culmen attigit ultimo tempore vitae Caecilia, cum in scheda actum heroicum scripsit, quo se victimam pro peccatoribus devovit.

Eius caritas interminata fuit : ubi necessitatem videbat, statim subvenire conabatur. Omnes curas suas in pauperes conferebat, in aegros, in patientes, quos semper vel alacritate vel verbis solacii plenis tractavit. Puerulos peculiari dilectione est prosecuta; quos deprecari docebat, scholis catechismi instituebat, in ludis custodiebat.

Pistorio reversa, persensit sibi esse Actionem Catholicam actuosa participandam : ex cuius propositis vivens, exemplum facta est ((vitae eucharistae piae, angelico more purae, et apostolica ratione industriae ».

Quamquam corporis et animi doloribus praesertim ultimo tempore vitae afficiebatur, Caecilia singulare testimonium dedit mentis sanae, praesertim post dilatos rumores de viribus « medianicis » quae, magno cum eius angore, ei tribuebantur, quando serenitatem restituebat, pacem et plenam sanitatem aegris aut infelicibus. Omnibus christiane parcebat et pro omnibus deprecabatur.

Prudens in agendo, semper ducebatur rationibus caritatis et iustitiae, maxime si eius actio poterat alios in angustias adducere. Ceteroquin consuetudo vigilantiae iuncta erat in ea rarae animi fortitudini in assentiendo voluntati Dei, tum praecipue, cum Caeciliae relinquenda fuit Congregatio Servarum Mariae Pistoriensium et in perpetuum optatio deponenda se Deo consecrandi in Instituto religioso. Quare renuntiatio consentanea est eius consueto habitui oboedientiae erga superiores, magistrum spiritus et familiares.

Sed gemma, quae magis splendet in fronte iuvenis Caeciliae, est castitatis virtus, ita quidem ut Caecilia « Sponsum suum divinum precaretur ut sineret eam potius mori, quam permittere eius pudicitiam pollui ».

In vita Caeciliae Eusepi videtur actio continua Spiritus Sancti, hanc promptam animam movens ad maiorem in dies perfectionem.

Paupertas, modestia, humilitas, castigatio voluntaria, caritas eius communem agendi rationem distinguunt. Mirum igitur non est, si eius fama sanctitatis statim post mortem dimanavit, indeque Episcopus Nepesinus inductus est ad instruendum, fautoribus Servis Mariae, Processum Informativum Ordinarium, ab anno 1939 ad annum 1942 celebratum. Prior Processus Apostolicus actus est Lucae ; alter Nepete annis 1958-1960.

Die 14 mensis Februarii anno 1987 Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum sententiarum consensione agnovit Servam Dei Caeciliam Eusepi virtutes théologales, cardinales et morales adnexas heroum in modum exercuisse. Idem senserunt Patres Cardinales in Congregatione Ordinaria die 12 mensis Maii eodem anno acta, Ponente Causae Exc.mo D.no Antonio Mauro, Archiepiscopo titulari Thagastensi.

De hisce omnibus certior factus per subscriptum cardinalem Praefectum, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, vota Congregationis libenter excipiens, mandavit ut Decretum super heroicis Servae Dei virtutibus rite conscriberetur.

Quod cum factum esset, accitis ad se hodierna die Cardinali infrascripto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandi^, eisque astantibus sollemniter declaravit : *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis in gradu heroico Servae Dei Caeciliae Eusepi, iuvenis saecularis, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc Decretum in vulgus ederetur et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 1 Iunii, A. D. 1987.

PETRUS Card. PALAZZINI, *Praefectus*

L. Œ S.

83 Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

ACTA COMMISSIONUM

PONTIFICIA COMMISSIO
CODICI IURIS CANONICI AUTHENTICE INTERPRETANDO

Responsiones ad proposita dubia

Patres Pontificiae Commissionis Codici Iuris Canonici Authentice Interpretando propositis in plenario coetu die 29 aprilis 1987 dubiis, quae sequuntur, respondendum esse censuerunt ut infra :

I

D. « Utrum verbo « religiosus », de quo in can. 684 § 3, intelligatur tantum religiosus a votis perpetuis an etiam religiosus a votis temporariis ».

R. *Negative ad primum, affirmative ad secundum.*

II

D. « Utrum licentia, de qua in can. 830 § 3, imprimenda sit in libris typis editis, indicatis nomine concedentis, die et loco concessionis ».

R. *Affirmative.*

Item proposito in plenario coetu die 26 maii 1987 dubio, quod sequitur, respondendum esse censuerunt ut infra:

D. «Utrum Episcopus dioecesanus dispensare valeat a praescripto can. 767 § 1, quo sacerdoti aut diacono homilia reservatur ».

R. *Negative.*

Summus Pontifex Ioannes Paulus II in Audientia die 20 iunii 1987 infrascripto impertita, de supradicta decisione certior factus, eam pubblicari iussit.

ROSALIUS IOSEPHUS Card. CASTILLO LARA, *Praeses*

Iulianus Herranz, *a Secretis*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Breve Apostolico il Santo Padre Giovanni Paolo II **ha** nominato :

21 agosto 1987. Mons. Beniamino Stella, eletto Arcivescovo titolare di Midila, *Pro-Nunzio Apostolico nella Repubblica Gentroafricana e Delegato Apostolico nel Ciad.*

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II **ha** nominato :

31 agosto 1987. Il sac, Giovanni D'Ercole, F.D.P., *Vice-Direttore della Sala Stampa della Santa Sede.*

Protonotari Apostolici soprannumerari:

3 marzo » Mons. Estanislao A. Abarca (Palo).
12 maggio » Mons. Lino Lanciotti (Eoma).
» » » Mons. Antonio Casazza (Genova-Bobbio).
,)), ; » » Mons. Nicola Spina (San Benedetto del Tronto-Bipatransone-Montalto).
27 » » Mons. Christopher Lee (Cashel).
30 giugno » Mons. Wladyslaw Nowicki (Gorzów).
16 luglio » Mons. Stanislaw Markowski (Warszawa).

Prelati d'Onore di Sua Santità:

18 dicembre 1986. Mons. Walter Neidl (Salzburg).
» » Mons. Mattias Stubhann (Salzburg).
15 gennaio 1987. Mons. Guillermo Melguizo Tepes (Santa Kosa de Osos).
20 » Mons. Luigi Molinari (Genova-Bobbio).
28 » Mons. Endolf Tarpin (Wien).
» » Mons. Franz Sotóla (Wien).
12 marzo Mons. Julio César Delpiazzo (Montevideo).
16, » Mons. Eoger Paralieu (Bayonne).
30 » Mons. Adán B. Apóstol (Palo).
» » Mons. Florencio P. Silas (Palo).
» » Mons. Benjamin M. Bacierra (Palo).
» » Mons. Benjamin LI. Sabillo (Palo).
Mons. José Gal vez (Madrid).
» aprile Mons. Mario Capurro (Genova-Bobbio).
29 » Mons. Giacomo Maina (Genova-Bobbio).

29	aprile	1987.	Mons. José Luis Lazcano Escola (Madrid).
4	maggio	»	Mons. Johannes Hofmeier (Regensburg).
14	»	»	Mons. Emiliano de la Huerga Gonzales (Oviedo).
»	»	»	Mons. José Maria Almoguera Diez Prieto (Oviedo).
»	»	»	Mons. Javier Gómez Cuesta (Oviedo).
»	»	»	Mons. Jean Thomas (Nîmes).
»	»	»	Mons. Robert Dalverny (Nîmes).
26	»	»	Mons. Renato Cosentini (Crotone-Santa Severina).
10	giugno	»	Mons. Modesto Herrero Rodríguez (Valladolid).
11	»	»	Mons. Giuseppe Molinari (L'Aquila).
»	»	»	Mons. Mario Morelli (L'Aquila).
»	»	»	Mons. Virgilio Pastorelli (L'Aquila).
12	»	»	Mons. Rudolf Pohl (Aachen).
30	»	»	Mons. Cesare Benni (Bologna).
»	»	»	Mons. Luigi Campagnoli (Bologna).
»	»	»	Mons. Francesco Nanni (Bologna).
»	»	»	Mons. Claudio Stagni (Bologna).
»	»	»	Mons. Elio Tinto (Bologna).
»	»	»	Mons. Ernesto Vecchi (Bologna).

Cappellani di Sua Santità:

.16	novembre	1985.	II	sac. Heinrich Goertz (Aachen).
»	»	»	U	sac. Karl Josef Dohnien (Aachen).
15	ottobre	1986.	II	sac. Irich Saurwein (Innsbruck).
»	»	»	II	sac. Ekkart Sauser (Innsbruck).
»	»	»	II	sac. Peter Webhof er (Innsbruck).
»	»	»	II	sac. Helmut Tschol (Innsbruck).
»	»	»	II	sac. Iosef Rochninger (Innsbruck).
»		»	II	sac. Iosef Wolsegger (Innsbruck).
13	novembre	»	II	sac. Edwin Baltodano Guillin (Tilaran).
20	»	»	II	sac. Johann Sähly (Feldkirch).
»		»	II	sac. Ulrich Haag (Feldkirch).
18	dicembre		II	sac. Sebastian Manzi (Salzburg).
22	»	»	II	sac. Heinrich Schnuderl (Graz-Seckau).
17	gennaio	1987.	II	sac. Franz Sammt (Graz-Seckau).
»	»	»	II	sac. Josef Schmatz (Köln).
21	»	»	II	sac. Franz Eührer (Wien).
»	»	»	II	sac. Fridericus Guttenbrunner (Wien).
»	»	»	II	sac. Josef Vollnhofer (Wien).
7	marzo	»	II	sac. Josef Ryba (Würzburg).
»	»		II	sac. Wilhelm Zirkelbach (Würzburg).
12	»	»	II	sac. Helmut Daniels (Köln).
16	»		II	sac. Eléazar Escobar Cardona (Cartago).
11	aprile	»	II	sac. Max Czerwensky (Wroclaw).
13	»	»	U	sac. Vinzenz Balogh (Linz).
»	»	»	u	sac. Alois Heinzl (Linz).
»	»	»	II	sac. Manfred Hierzenberger (Linz).
	»	»	II	sac. Eduard Röthlin (Linz).
27	»		II	sac. Angelo Bagnasco (Genova-Bobbio).

27 aprile 1987. Il sae. Franco Guttuso (Genova-Bobbio).
14 maggio » Il sac. David Beccerica (Fermo).
» » » Il sac. Guerrino Cerretani (Fermo).
» » » Il sac. Ettore Colombo (Fermo).
» » » Il sac. Angelo Fagiani (Fermo).
» » » Il sac. Domenico Follenti (Fermo).
» » » Il sac. Romolo Illuminati (Fermo).
» » » Il sac. Giuseppe Paci (Fermo).
» » » Il sac. Eliseo Scorolli (Fermo).
» » » Il sig. Giuseppe Trastulli (Fermo).
» » » Il sac. Eugenio Verdini (Fermo).
» » » Il sac. Franco Monterubbianesi (Fermo).
2 giugno » Il sac. Lino Cassi (Fidenza).
» » » Il sac. Stanislaw **Zurakowski** (Warmia).
» » » Il sac. Wieslaw Terez (Warmia).
» » » Il sac. Walenty Bykowskï (Warmia).
» » » Il sac. Mieczyslaw zuchnik (Warmia).
5 » » Il sac. Marino Fabbri (Cesena-Sarsina).
» » » Il sac. Onorio Manduca (Cesena-Sarsina).
» » » Il sac. Mario Morigi (Cesena-Sarsina).
U » » Il sac. Paul Hofmann (Essen).
» » » Il sac. Josef Kinsld (Essen).
» » » Il sac. Josef Kniesburges (Essen).
» » » Il sac. Karle H. J. Sobietzky (Essen).
» » » Il sac. Demetrio Gianfrancesco (L'Aquila).
» » » Il sac. Emidio Di Pasquale (L'Aquila).
» » » Il sac. Giuseppe Di Gianbernardino (L'Aquila).
20 » » H sac. Stanislaw Czlapa (Chelmno).
24 » » Il sac. Italo Taddei (Pistoia).
26 » » Il sac. Antonio Merigliano (Crotone-S. Severina).
» » » Il sac. Tadeusz Nowicki (Chelmnó).
» » » Il sac. Edmund Wierzbowski (Chelmno).
» » » Il sac. Ludwik Grochowina (Chelmno).
» » » Il sac. Bronislaw Porzych (Chelmno).
» » » Il sac. Andrej Czerwinski (Chelmno).
» » » Il sac. Jerzy Likierski (Chelmno).
30 » » Il sac. Aldo Calanichi (Bologna).
» » » Il sac. Marino Dal Fiume (Bologna).
» » » Il sac. Francesco Marchi (Bologna).
» » » Il sac. Ubaldo Pasqui (Bologna).
» » » Il sac. Natale Piazza (Bologna).
12 luglio » Il sac. Pavel Kucera (Praha).
22 » » Il sac. Jzydor Papier (Sandomiez-Radom).
» » » Il sac. Stanislaw Grebowiec (Sandomierz-Radom).
» » » Il sac. Stanislaw Grudzinski (Sandomierz-Radom).
» » » Il sac. Jan Kaczmarski (Wrociaw).
» » » Il sac. Stanislaw Siwiec (Wrociaw).
23 » » H sac. Franciszek Bielecki (Wrociaw).
» » » Il sac. Tadeusz Laczynski (Wrociaw).

23	luglio	1987.	Il sac. Stanislaw Pikul (Wroclaw).
»	»	»	Il sac. Jan Onufrów (Wroclaw).
24	»	»	Il sac. Tadeusz Wincenciak (Krakow).
21	agosto	»	Il sac. Giovanni Rossin (Padova).
»	»	»	Il sac. Giovanni Cappello (Padova).

ONORIFICENZE

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

La Gran Croce dell'Ordine Piano:

8 luglio 1987. A S. E. il sig. Hugo De Zela Hurtado *(Perú).*

La Commenda dell'Ordine Piano:

18 luglio 1987. Al sig. Gastón Sarmiento *(Cile).*

La Commenda con Placca dell'Ordine di san Gregorio Magno, classe civile:

14 luglio 1987. Al sig. Camillo Cibin (Roma).

La Commenda dell'Ordine di san Gregorio Magno, classe civile:

	dicembre	1986.	Al sig. Karl Hugo Breuer (Köln).
30	»	»	Al sig. Friedrich Brunner (Rottenburg-Stuttgart).
20	gennaio	1987.	Al sig. Albert Garrigues (Bordeaux).
2	aprile	»	Al sig. Gioacchino Varani (Fidenza).
9	»	»	Al sig. Luis Mendoza Machado (Caracas).
29	»	»	Al sig. José Antonio Usandizaga Beguiristain (Madrid).
»	»	»	Al sig. Rodolfo Rinaldi (Roma).
»	»	»	Al sig. Enrique Acero Santamaria (Madrid).
2	maggio	»	Al sig. Patrizio De Martin (Belluno-Feltre).
6	»	»	Al sig. Giuseppe Ticinese *(Italia).*
12			Al sig. Iamil Naef Hallak (Homs dei Greci Melkiti).
14	»	»	Al sig. Ottavio Archidiacono (Latina-Terracina- Sezze-Priverno).
22		»	Al sig. Raymond Gagnon (Springneid).
28	agosto	»	Al sig. Nicola Vergari (Roma).

Il Cavalierato dell'Ordine di san Gregorio Magno, elasse civile:

30	dicembre	1986.	Al sig. Franz Ruisinger (Rottenburg^-Stuttgart).
8	gennaio	1987.	Al sig. Giacomo de Ferra (Roma).
17	»	»	Al sig. Alfred Albrecht (Köln).
»	»	»	Al sig. Alfred Richter (Köln).
»	»	»	Al sig. Albert Zimmermann (Köln).
7	febbraio	»	Al sig. Alfredo Luigi Degli Uberti (Roma).
»	»	»	Al sig. Francis Ludowick Blom (Rotterdam).
14	»	»	Al sig. Peter John Jans (Bois-le-Duc).
4	maggio	»	Al sig. Dieter Albrecht (Regensburg).
10	giugno		Al sig. Georges Rousseau (Lyon).

10	giugno	1987.	Al sig. Henri Maubert (Metz).
11	»	»	Al sig. George Darcy (Lyon).
24	»	»	Al sig. Antonio Ragusa *(Italia).*

La Gran Croce dell'Ordine di san Silvestro Papa:

29	novembre	1986.	Al sig. Josef Krainer *(Austria).*

La Commenda con Placca dell'Ordine di san Silvestro Papa:

2	febbraio	1987.	Al sig. Antonio Zappi (Roma).
4	maggio	»	Al sig. Wilhelm Gastinger (Regensburg).
»	»	»	Al sig. Erich Buxbaum (St. Pölten).

La Placca dell'Ordine di san Silvestro Papa:

20	giugno	1987.	Al sig. Hans Walter Kaluza *(Austria).*

La Commenda dell'Ordine di san Silvestro Papa:

24	novembre	1986.	Al sig. Vang Chen-Ku (Taipeh).
3	dicembre	»	Al sig. Francis Cornelis Nuyten (Rotterdam).
»	»		Al sig. Angelo Russo (Agrigento).
»	»	»	Al sig. Calogero Riolo (Agrigento).
21	gennaio	1987,	Al sig. Bruno Sgorbin (Genova-Bobbio).
â	febbraio	»	Al sig. Lino Pasquale Montevecchi (Rimini).
1 3	»	»	Al sig. Pietro Lazzoni (Roma).
»	»	»	Al sig. August Benders (Hasselt).
16	»	»	Al sig. Giuseppe Locatelli (Bergamo).
»	»	»	Al sig. Luigi Carrara (Bergamo).
»	»	»	Al sig. Pierferdinando Previtali (Bergamo).
20	»	»	Al sig. Enea Luciano Brusini (Milano).
»	»	»	Al sig. Santos María Cjrujano *(Spagna).*
23	»	»	Al sig. Antonio Paris (Civita Castellana).
5	marzo		Al sig. Sergio Minelli (Reggio Emilia-Guastalla).
»	»	»	Al sig. Guido Mora (Reggio Emilia-Guastalla).
»	»	»	Al sig. Enrico Prandi (Reggio Emilia-Guastalla).
»	»	»	Al sig. Ermes Simonazzi (Reggio Emilia-Guastalla).
10	»	»	Al sig. Alberto Minelli *(Italia).*
11	»	»	Al sig. Francescantonio Ferraro (Mileto-Mcotera-Tropea).
»	»	»	Al sig. Natale Pagano (Mileto-Mcotera-Tropea).
13	»	»	Al sig. Karl Alberto Eckmyr (Linz).
14	»	»	Al sig. Giovanni Cocciante (Roma).
»	»	»	Al sig. Fabrizio Gallotti (Roma).
»	»	»	Al sig. Mario Castelli (Roma).
9	maggio	»	Al sig. Mario Bellini (Siena-Colle di Val d'Elsa-Montalcino).
10	giugno	»	Al sig. Luigi Vignola (Potenza).
24	»	»	Al sig. Salvatore La Rosa *(Italia).*
26	»	»	Al sig. Valerio Arringoli (Roma).
30	»	»	Al sig. Luigi Giovannotti (Roma).
4	luglio	»	Al sig. Wilhelm Jung (Mainz).
25	»	»	Al sig. Giuseppe Corso (Belluno-Feltre).

Il Cavalierato dell'Ordine di san Silvestro Papa:

16	gennaio	1986.	Al	sig. Emil Schaedler (Coirà).
28	febbraio	»	Al	sig. Bonifacio Salomon (Tukunang).
»	aprile	»	Al	sig. Robert Pelko (München und Freising).
23	maggio	»	Al	sig. Wolfgang Wolter (München und Freising).
27	giugno	»	Al	sig. Josef Linden (Köln).
2	luglio	»	Al	sig. Walter Tölzer (Feldkirch).
4	luglio	»	Al	sig. Cyriel De Schrijver (Anvers).
»	»	»	Al	sig. Hubert Schlageter (Freiburg in Breisgau).
10	luglio	»	Al	sig. Edmund Schneider (Rottenbug-Stuttgart).
»	»	»	Al	sig. Domenico Isidoro Dalla Piazza (Belluno Feltre).
17		»	Al	sig. Karl Vittbecker (Paderbon).
»	»	»	Al	sig. Rosauro M. Borromeo (Davao).
»	»	»	Al	sig. Guillermo E. Layug (Davao).
»	»	»	Al	sig. Narciso M. Bumanglag (Davao).
26		»	Al	sig. William Franz A. Heemskerk (Roermond).
»	»	»	Al	sig. Henry Beaumont (Roermond).
28	»		Al	sig. Francis Servatius M. Oomes (Breda).
»	»	»	Al	sig. Walter Cantrijin (Breda).
30	agosto		Al	sig. Pierre Marin A. W. Meisen (Utrecht).
»	»		Al	sig. Antoine Gérard Theodore Hermans (Haarlem).
»	»		Al	sig. Michel Débats (Roermond).
15	ottobre	»	Al	sig. Helmut Wlasek (Innsbruck).
»	»	»	Al	sig. Ernst Eigentier (Innsbruck).
18		»	Al	sig. Francis McQuade (New York).
23	»	»	Al	sig. Alphonse Jean L. Strik (Bois-le-Duc).
3	novembre	»	Al	sig. Joseph Hiemeleers (Hasselt).
6	novembre	»	Al	sig. Josef Twissen (Köln).
11	»	»	Al	sig. Juan Carlos A. Brouckaert (Mariannhill).
»	»		Al	sig. Amar Hausmann (Köln).
16	»	»	Al	sig. Josef Appelmans (Gent).
24	»		Al	sig. Paul Shao Chishu (Taipeh).
»	. . »		Al	sig- Benedikt Posch (Innsbruck).
29	»	»	M	sig. Max Hubert Marie Kreijn (Roermond).
2	dicembre	»	Al	sig. Fernando Santiago (Lucena).
»	»	»	Al	sig. Hilarión Buenaventura (Lucena).
»	»		Al	sig. Deogratias Lirio (Lucena).
»	»		Al	sig- Tommy Lopez (Lucena).
4	»	»	Al	sig. Johann Andre (Innsbruck).
8		»	Al	sig. Miguel G. Purugganan (Ilagan).
11	»	»	Al	sig. Martin Jean Verberk (Bois-le-Duc).
31	gennaio	1987.	Al	sig. Enzo Dematti (Tortona).
»	»		Al	sig. Egidio Mascherini (Tortona).
»	»	»	Al	sig. Danilo Crebrelli (Tortona).
»		»	Al	sig. Leone Rapinesi (Roma).
7	febbraio	»	Al	sig. Paul Becher (Münster).
13	»	»	Al	sig. Rocco Taranto (Taranto).
16	»		Al	sig. Giancarlo Belotti (Bergamo).

.16 febbraio 1987. Al sig. Agostino Capanna (Bergamo).
17 » » Al sig. Adrian Endricus Van Broekhóven (Bois-le-Duc).
23 » » Al sig. Ariello Burani (Civitavecchia-Tarquinia).
3 marzo » Al sig. Luciano Gorella (Trieste).
5 » » Al sig. Paolino Armando Melloni (Reggio Emilia-Guastalla).
.12 » » Al sig. Hans Müller (Köln).
16 » » Al sig. Antoine C. M. Phennings (Roermond).
» » » Al sig. Gérard Theodor Dibbets (Roermond).
21 » » Al sig. Carlo Fabris (Trieste).
23 » » Al sig. Juozas Méskauskas (Panevezys).
24 » » Al sig. Itab Pinna (Bergamo).
25 » » Al sig. Salvatore Graziano (Viterbo).
26 » » Al sig. Gerrit Kok (Bois-le-Duc).
4 aprile » Al sig. Tonino Pannoni (Isernia-Venafro).
» » » Al sig. Paul Talion (Hasselt).
11 » » Al sig. Mario Sobacchi (Mileto-Nicotera-Tropea).
22 » » Al sig. Mathieu Magan (Liège).
2 maggio » Al sig. Angelo Prian (Belluno-Feltre).
» » » Al sig. Aurelio Sacchet (Belluno-Feltre).
14 » » Al sig. Ulrich Stockmann (Freiburg im Breisgau).
» » » Al sig. Pasquale Maiorana (Roma).
22 » » Al sig. Giovanni Drioli (Trieste).
27 » » Al sig. Enrico La-Penna (Roma).
» » » Al sig. Rodolfo Laudazi (Roma).
» » » Al sig. Antonio Menti (Roma).
24 giugno » Al sig. Michele D'Ambrosio (Piacenza).
7 luglio » Al sig. Corrado Manfredi (Acerenza).
» » » Al sig. Pierino Mellope (Acerenza).
9 », » Al sig. Mitko Brounkov Karagiov (Nicopoli in Bulgaria).
25 » » Al sig. José S. Cojuangco Jr. (Tarlac).
28 agosto » Al sig. Michele Pistará (Roma).

NECROLOGIO

10 agosto, 1987. Card. Patrick O'Boyle, del titolo di San Nicola in Carcere.
11 » » Mons. Antonio José Plaza, Arcivescovo emerito di La Piata *(Argentina).*
16 » » Mons. Antonino Pinci, Arcivescovo tit. di Tarasa di Numidia.
18 » » Mons. Ernest C. A. Nyary, Arcivescovo emerito di Bagdad dei Latini.
20 » » Card. José María Bueno y Monreal, del titolo dei Ss. Vito, Modesto e Crescenzia.
23 » » Card. Stephanos Sidarouss, del titolo di Alessandria dei Copti.
31 » » Mons. Louis La Ravoire Morrow, Vescovo emerito di Krishnagar *(India).*
» » » Mons. Giovanni Battista Piasentini, Vescovo emerito di Chioggia *(Italia).*

An. et vol. LXXIX 31 Octobris 1987 N. 10

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: **Palazzo Apostolico - Città del Vaticano** — *Administratio:* **Libreria Editrice Vaticana**

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I
MYMENSINGHENSIS

Quibusdam locis ab Ecclesia Dacchensi distractis nova conditur dioecesis nomine Mymensinghensis.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ex quo superno Dei consilio universae Christi Ecclesiae praepositi sumus, ex tunc profecto omnes Nostrae curae eo coeperunt confluere, unde maiora bona atque utilitates familiae Christianae orerentur. Quare cum Apostolicae huic Sedi sit nuper propositum ut, quibusdam locis ab archidioecesi Dacchensi separatis, quae nominatim infra significabimus, nova conderetur dioecesis, Nos, cum et id sit in votis quorum interest, de sententia Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium qui Congregationi pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide praesunt, deque plenitudine Apostolicae Nostrae potestatis loca seu provincias civiles ab Ecclesia Dacchensi distrahimus, quae vulgo nuncupantur : Mymensingh, Tangail, Kishoreganj, Netrakona, Japalpur et Sherpur et ex his novam dioecesim *Mymensinghensem* constituimus, Metropolitanae Ecclesiae Dacchensi subiectam et Congregationis pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide iurisdictioni obnoxiam. Simul statuimus ut novae Ec-

clesiae Episcopi cathedra in templo Sancto Patricio dicato, quod in ipsa urbe vulgo Mymensingh exstat, collocetur quodque proinde evehimus ad cathedralis templi dignitatem. Deinde mandamus ut ad statutum ius pro canonicis ibidem consultores dioecesani eligantur electorumque ex opera commodum percipiatur. Ad haec autem omnia rite perficienda deputamus Venerabilem Fratrem Aloisium Accogli, Archiepiscopum titulo Trebanum atque in Bangladesa Apostolicum Pro-Nuntium, vel quem ipse delegaverit, necessariis nempe factis facultatibus. Be vero acta, documenta exarentur, quorum certa veraque singulorum documentorum exempla ad eandem, quam diximus, Congregationem cito transmittantur. Quae autem per has Apostolicas Litteras sub plumbo datas statuimus, nunc et in posterum rata esse volumus, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die quinto decimo mensis Maii, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo septimo, Pontificatus Nostri nono.

© AUGUSTINUS Card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

IOSEPHUS Card. TOMKO
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Angelus Lanzoni, *Proton. Apost.*
Ioannes De Riccardis, *Proton. Apost. s.n.*

Loco © Plumbi
In Secret. Status tab. n. 197.754.

II

ADRIENSIS-RHODIGIENSIS

Rhodigii, in basilica Sancti Stephani, capitulum concathedrale dioecesis Adriensis-Rhodigiensis apostolica auctoritate conditur.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Cum suo nuper tempore, consiliis graviter captis in effectumque providenter deductis, ad dioecesim Adriensem iussu quidem Nostro Rhodigiensis accessisset dicio atque, flagitante paulo post ipso nimirum Antistite Adriensi-Rhodigiensi Venerabili Fratre Ioanne Sartori, aedes quin immo basilica Sancti Stephani papae ac martyris sacra Rhodigii sita ad dignitatem convenienter Ecclesiae Concathedralis esset rite evecta,

supererai suo tamen ordine ac gradu insigne illud Capitulum Collegiale Sancti Stephani quod plura videlicet saecula munus divinum eandem apud Basilicam religiose procurat decusque sic Liturgiae Sacrae usquequaque tutatur. Ut igitur propria canonica condicio prorsus respondeat rei ac pastorali navitati ibidem illius Capituli preces eas libentes Nos suscipimus quibus et memoratus Ordinarius petit et ipsa Congregatio pro Clericis sua auctoritate concedit ut altiorem ad gradum pariter provehatur cum templo intus vigens Capitulum. Vi propterea harum Litterarum Nostraque apostolica auctoritate Capitulum collegiale commemoratae Basilicae Sancti Stephani in urbe Rhodigio dissolvimus iure atque ad normam canonis quingentesimi quarti Codicis Iuris Canonici inibi legitime condimus Capitulum concathedrale dioecesis Adriensis-Rhodigiensis. Derogantes autem normis foras datis die tricesimo mensis Octobris anno millesimo nongentesimo septuagesimo sinimus ut velut choralis vestis adhibeatur mozeta violacei coloris supra superpelliceum liturgicum et vestis nigri coloris utque eadem choralis vestis etiam extra Ecclesiam Concathedralem gestetur quotiens quis clericus eiusdem Capituli ad Episcopi sustinendam alicubi personam destinetur in peculiaribus rerum adiunctis. Constituentes porro ut eius Capituli Canonici iuribus ac privilegiis fruantur singulis norma canonica sanctis omniumque Capitulorum huius modi propriis praecipimus simul ut Concathedrale hoc Capitulum « sua habeat statuta per legitimum actum capitularem condita atque ab Episcopo dioecesano probata » (can. 505) quae ideo mandamus ut perquam fideliter deinceps adserventur. Necessarias denique et opportunas Episcopo Fratri Venerabili Ioanni Sartori Adriensi-Rhodigiensi facimus facultates hoc ad Nostrum exsequendum plene decretum una cum libertate eandem rem delegandi alii ecclesiastico viro quem ipse voluerit, onere tamen imposito curandi ut, ipso Concathedrali instituto reapse Capitulo, verum peractae exsecutionis litterarum exemplum ad Congregationem pro Clericis diligenter transmittatur tamquam Capituli ita Concathedralis in clara dioecesi Adriensi-Rhodigiensi hodie conditi testimonium perpetuum. Contrariis quibuslibet causis haudquaquam obsistentibus.

Datum Romae apud S. Petrum die vicesimo mensis Maii anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo septimo Pontificatus Nostri nono.

© AUGUSTINUS Card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

ANTONIUS Card. INNOCENTI
Congr. pro Clericis Praefectus

Marcellus Rossetti, *Proton. Apost*
Rodomontes Galligani, *Proton. Apost. s. n.*

Loco © Plumbi
In Secret. Status tab., n. 197.969.

III

CRUCIS AUSTRALIS

In Brasilia ïuruensis praelatura ad gradum dioecesis attollitur novo appellanda nomine Crucis Australis.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Cum praelatura Iuruensis — cuius sedes vulgo ((Cruzeiro do Sul » nunc appellatur — his recentioribus annis, consociata aliarum Ecclesiarum opera ac missionariorum laboribus, religiosa et civilia ceperit incrementa, Confenrentia Episcoporum Brasiliae ab hac Apostolica Sede petivit ut eadem praelatura ad dioecesis gradum eveheretur, mutato nomine Iuruensis in nomen Crucis Australis. Nos igitur, probe scientes eiusmodi optato assentiri Venerabilem Fratrem Carolum Furno, Archiepiscopum titulo Abaritanum et in Brasilia Apostolicum Nuntium, consensu suppleto quorum interest eorumque qui id sua interesse censent, de consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Congregationis pro Episcopis negotiis praepositorum deque plenitudine Apostolicae Nostrae potestatis, praelaturam, quam diximus, ad gradum honoremque dioecesis attollimus novo nomine appellandae Crucis Australis iisdemque servatis finibus, quibus hucusque praelatura definiebatur. Insuper ea quae sequuntur decernimus ac iubemus. In urbe sede olim praelaturae, nunc novae dioecesis sit sedes episcopalis. Templum autem praelaticium ibi exstans evehimus ad gradum tempi cathedralis, in ipsoque, congruis privilegiis iuribusque aucto, Episcopi cathedram constituimus. Dioecesis vero Crucis Australis suffraganea erit metropolitanae Ecclesiae Manaënsis, cuius proinde Archiepiscopi iurisdictioni metropoliticae Crucis Australis pro tempore Episcopum subicimus, iisdem iuribus, privilegiis, honoribus insignitum, atque oneribus et obligationibus adstrictum, Episcopi dioecesani propriis. Dioecesani quidem consultores in hac nova Ecclesia deligantur qui Episcopo auxiliis suis operibusque adstent. Statuimus etiam ut mensa episcopalis huiusce dioecesis Curiae emolumentis fideliumque stipibus necnon ceteris constet bonis, quae hucusque ad Iuruensem praelaturam pertinue-

runt. In iis, quae ad Seminarii aedificationem spectant atque moderationem, serventur statuta iuris communis, habita praesertim ratione Decreti Concilii Oecumenici Vaticani II « Optatam totius » et regularum a Congregatione pro Institutione Catholica statutarum; suoque tempore selecti sacrorum alumni philosophicis ac theologicis imbuendi disciplinis aut sacerdotes sua studia completuri, Romam, ad Pontificium Collegium Pium Brasiliense, mittantur. Quod autem attinet ad dioecesis regimen et administrationem, dioecesani Administratoris, sede vacante, electionem, iura et onera fidelium, aliaque id genus, quae sacri praescribunt canones, ad amussim serventur. Mandamus insuper ut Crucis Australis constitutione ad effectum deducta, clerus Iuruensis praelaturae nunc novae dioecesi addictus atque adscriptus maneat. Insuper Venerabilem Fratrem Henricum Rüth, memoratae praelaturae Ordinarium, ipsius dioecesis Crucis Australis confirmamus Episcopum et Pastorem atque Venerabilem Fratrem Aloisium Herbst, hucusque Coadiutorem eiusdem Praelaturae, eiusdem dioecesis Coadiutorem confirmamus. Haec, quae praescripsimus, committimus perficienda Venerabili Fratri Carolo Furno, quem diximus, vel, absente eo, illi, qui negotia curat Apostolicae Sedis in Brasilia, eidem tribuentes necessarias et opportunas facultates quemlibet alium delegandi virum, ad effectam de quo agitur, modo is sit in ecclesiastica dignitate constitutus, onere imposito ad Congregationem pro Episcopis sincerum actus effectae exsecutionis exemplar mittendi. Has denique Litteras Nostras firmas esse nunc et in posterum volumus, quibusvis rebus haudquaquam obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die quinto et vicesimo mensis Iunii, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo septimo, Pontificatus Nostri nono.

B AUGUSTINUS Card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

CB BERNARDINUS Card. GANTIN
Congr. pro Episcopis Praef.

Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*
Angelus Lanzoni, *Proton. Apost.*

Loco £g Plumbi
In Secret. Status tab., n. 199.625.

IV

IMPERATRICES

In Brasilia nova conditur dioecesis Imperatricis nomine.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quae maiori Christifidelium spirituali bono facilius assequendo faciant, ea Apostolica Sedes satagit praestare. Quam ob rem, cum Venerabilis Frater Evangelista Alcimar Caldas Magalhâes, Episcopus Carolinensis in Brasilia, audita Conferentia Episcoporum eiusdem Nationis, postulavisset ab hac Apostolica Sede ut a circumscriptione ecclesiastica sua amplo distracto territorio nova constitueretur dioecesis, Nos, favente quoque eidem rei Venerabili Fratre Carolo Furno, Archiepiscopo titulo Abaritano et in Brasilia Apostolico Nuntio, de consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium Congregationis pro Episcopis negotiis praepositorum, istius Pastoris precibus putavimus libenter obsecundare. Summa igitur Apostolica Nostra potestate, consensu suppleto eorum, quorum interest, vel qui sua interesse existimant, quae sequuntur decernimus. Ab Ecclesia Carolinensi in Brasilia territorium separamus, prout in praesens civili lege circumscribitur, municipiorum vulgo nuncupatorum : Imperatriz, Açailândia, Amarante do Maranhäo et Joào Lisboa, atque ex ita distracto territorio novam condimus dioecesim Imperatricis appellandam, quae iisdem limitabitur finibus, quibus memorata municipia in praesens terminantur. Sic conditae Ecclesiae sedem in urbe cui nomen « Imperatriz » ponimus, episcopalis magisterii cathedram — donec alia sacra aedes extruatur — in paroeciali templo eadem in urbe exstante, Deo dicato in honorem Beatae Mariae Virginis a Fatima, quod ad cathedralis ecclesiae evehimus gradum cuique insignia, privilegia et honores tribuimus, quae ceterarum cathedralium ecclesiarum sunt. Praeterea dioecesim Imperatricis suffraganeam facimus archidioecesis Sancti Ludovici in Maragnano, eiusque pro tempore Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi Sancti Ludovici in Maragnano subicimus, iisdem iuribus, privilegiis, honoribusque insignitum atque obligationibus oneribusque adstrictum, quae Episcoporum residentium propria sunt, mandantes quoque ut quam primum ibi, ad normas iuris, Consultorum Collegium constituatur, qui Episcopum consilio et opera iuvet. Quod attinet ad novae dioecesis mensam episcopalem, eam con-

stituent Curiae emolumenta, oblationes fidelium et portio bonorum, quae ad normam can. 122 C.I.C. a mensa episcopali Carolinensi in Brasilia ei debent obvenire. In iis vero quae respiciunt ad seminarii dioecesani aedificationem atque ad sacrorum alumnorum institutionem, praescripta iuris communis serventur, ratione sane habita normarum a Congregatione pro Institutione Catholica editarum. Provideatur insuper ut quidam sacrorum alumni, philosophicis ac theologicis disciplinis imbuendi, necnon sacerdotes altiora studia sua completuri, Romam ad Pontificium Collegium Pium Brasiliense mittantur. Quod autem attinet ad novae dioecesis regimen, administrationem ecclesiasticorum bonorum, dioecesani administratoris, sede vacante, electionem fideliumque iura et onera aliaque id genus, ad amussim serventur quae sacri canones praescribunt. Atque simul ac dioecesis Imperatricis erectio ad effectum deducta fuerit, sacerdotes illi adscripti censeantur Ecclesiae in cuius territorio ecclesiasticum detinent officium ; ceteri vero sacerdotes, clerici sacrorumque alumni incardinati maneant vel incardinentur Ecclesiae in cuius territorio legitimum habent domicilium. Acta et documenta quae respiciunt ad noviter erectam dioecesim eiusque fideles et bona temporalia, a Curia Carolinensi ad Curiam Imperatricis transmittantur de more, in condendo tabulario servanda. Haec, quae prascripsimus, adducat ad effectum Venerabilis Frater Carolus Furno, quem diximus, vel, absente eo, ille, qui negotia curat Apostolicae Sedis in Brasilia; quibus necessarias et opportunas tribuimus facultates quemlibet alium quoque delegandi virum ad omnia exsequenda, de quibus agitur, modo is sit in ecclesiastica dignitate constitutus, onere imposito ad Congregationem pro Episcopis sincerum actus effectae exsecutionis exemplar mittendi. Hanc denique Constitutionem Nostram per Apostolicas sub plumbo Litteras datam nunc et in posterum validam esse iubemus, contrariis rebus quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die septimo et vicesimo mensis Iunii, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo septimo, Pontificatus Nostri nono.

8S AUGUSTINUS Card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

SB BERNARDINUS Card. GANTIN
Congr. pro Episcopis Praef.

Marcellus Rossetti, Pro ion. *Apost.*
Angelus Lanzoni, *Proton. Apost.*

Loco © Plumbi
In Secret. Status tab., n. 208.164.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Venerabili Dei Servae Ursulae Ledochowska Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Inde ab ipsis exordiis Ecclesiae « fuerunt viri ac mulieres, qui per praxim consiliorum evangelicorum Christum maiore cum libertate sequi pressiusque imitari intenderunt, et suo quisque modo vitam Deo dicatam duxerunt, e quibus multi. Spiritu Sancto afflante, vel vitam solitariam degerunt, vel familias religiosas suscitaverunt, quas Ecclesia sua auctoritate libenter suscepit et adprobavit. Unde e consilio divino mirabilis varietas coetuum religiosorum succrevit, quae valde contulit, ut Ecclesia non solum ad omne opus bonum instructa (cf. *2 Tim* 3, 17) et ad opus ministerii in aedificationem Corporis Christi (cf. *Ephes* 4, 12) parata sit, sed etiam variis donis filiorum suorum decorata appareat sicut sponsa ornata viro suo (cf. *Apoc* 21, 2), per quam innotescat multiformis sapientia Dei (cf. *Ephes* 3, 10» *(Perfectae Caritatis,* n. 1). Inter mulieres autem quae, nostris temporibus, vitam Ecclesiae locuplentes, novam familiam religiosam Spiritus Sancti instinctu suscitaverunt, annumeranda est Ursula Ledochowska, Fundatrix Congregationis quae sub titulo ((Ursulinarum Ss. Cordis Iesu Agonizantis » ab Ecclesia est approbata. Famula autem Dei, quae a suis Iulia Maria appellabatur, die xvii Aprilis, anno MDCCCLXV nata est in oppido Loosdorf, intra fines dioecesis Sancti Hippolyti, in Austria. Originem per patrem Antonium ducebat ab antiqua nobilique stirpe Polona; matrem autem habuit Helveticam Comitem Iosepham de Salis-Zizers. Qui parentes, cum educationem religiosam et litterariam filiae primo in piissima familia summopere curavissent, deinde eam crediderunt Instituto Beatae Mariae Virginis in urbe Sancto Hippolyto sito. Ibi Iulia Maria pietate, probitate, morum urbanitate, item industria et ingenii acumine ita excelluit, ut eius nomen in libro aureo scholae inscribi mereretur. Anno autem MDCCCLXXXIII Serva Dei parentes secuta est ad vicum Lipnica Murowana penes Cracoviam, ubi Antonius Comes cum praedium emisset, eidem in multis negotiis auxilio fuit, haud neglectis rudium inco-

larum formatione religiosa et civili, pauperumque sorte. Cum vero anno MDCCCLXXXV lues malae pusulae ibi sororem graviter affecisset maiorem natu (Mariam Teresiam, dicimus, futuram Fundatricem Sodalitii a Sancto Petro Claver, a Paulo VI catalogo Beatorum adscriptam), ei heroica sui abnegatione et animi generositate adstitit, sicut etiam patri, qui eodem morbo insanabili mox abreptus est. Cumque iam dudum Iulia Maria divinam vocationem ad vitam religiosam percepisset, eam tandem, obtento morientis patris consensu, et rebus familiae rite compositis, die xvui Augusti, anno MDCCCLXXXVI, sequi potuit, monasterium ingrediens S. Ursulae Cracoviense. Tirocinio ergo expleto, et sollemni professione facta trium consiliorum evangelicorum, educationi iuventutis in schola suo coenobio adnexa destinata est, et statim alumnarum venerationem et amorem adepta. Quadraginta annis nondum expletis, die II Iulii, anno MDCCCCIV, Ursula Ledóchowska electa est monasterii Moderatrix, in eoque multum adlaboravit, ut constitutionem eiusdem aptaret normis a Pio X datis. Insuper necessitatibus temporis serviens, Cracoviae pro puellis primum in Polonia collegium aperuit Universitarium a religiosis sororibus regendum ; et paucos post annos, expleto regiminis tempore, desiderio Pii X satis factura, Petroburgi moderationem convictus pro puellis catholicis assumpsit, in cuius utilitatem anno MDCCCX, sedem auxiliarium « Merentähti » , seu «stellam maris» dictam, apud sinum maris Finnici, aperuit. Quo autem melius incolis huius pauperis regionis serviret, sicut iam prius sermonem Russicurn, ita difficilem Finnorum quoque linguam perfecte addidicit. Initio primi belli omnium gentium, e territoriis Russicis eiecta, Mater Ursula longa et laboriosa itinera per totam paeninsulam Scandinavam aggressa est, ut pecuniam pro victimis furoris bellici colligeret; atque una cum suis sororibus religiosis penes Aalborg in Regno Daniae curam gessit septuaginta circiter orphanorum Polonorum. Conflagratione illa tandem anno MDCCCCXVIII finita, Serva Dei conata est ut sua Domus Petroburgensis, quae vigore specialium facultatum Summi Pontificis Pii X tamquam monasterium sui iuris exstiterat, cum incipiente Unione Monasteriorum S. Ursulae in Polonia iure coniungeretur. Sed in cassum. Qua de re, suadentibus fratre eius Vladimiro Ledóchowski, Praeposito Generali Societatis Iesu, atque futuro Pontifice Pio XI, Achille Ratti, qui munere Nuntii apostolici in Polonia fungens, Matrem Ursulam eiusque indefessam navitatem apprime noverat, cogitare coepit de novo Instituto religioso condendo;

cui, multis impedimentis heroice superatis, ipse Pius XI, die iv Iunii, anno MDCCCCXXHI, decretum laudis, die vero x x i mensis Novembris, anno MDCCCCXXX, supremam adprobationem libentissime concessit. Electa vero Moderatrix Generalis, Serva Dei solida iecit fundamenta pietatis nascentis Congregationis, quae brevi temporis spatio mirandum prorsus incrementum habuit, praesertim in pauperrimis Poloniae Orientalis regionibus, sed etiam in Gallia, in urbe Roma, aliisque locis. Ac multae quidem recenseri possunt rationes quae hanc mirabilem expansionem fertilissimamque navitatem novae huius religiosae familiae explicent : inprimis eminens Matris Ursulae ingenium et facultas gubernandi, acuta perceptio rerum pastoralium, tantopere in singulis societatibus diversarum et rapido progressu mutantium. Item voluntas sese illis adaptandi ; tandem, celeritas et audacia adhibendi nova apostolatus instrumenta ad regnum Dei in terris efficacius diffundendum. Ast hae solae rationes haud explicent felicem inceptorum Servae Dei exitum. E contrario, dummodo haec omnia in luce fidei considerentur, statim patet Ursulam Ledochowska fuisse instrumentum Deo coniunctum, quippe quae se totam generose Deo devovisset, Deus vero eam sibi et suo servitio in Eclesia consecravisset (cf. *Lumen Gentium,* n. 44). Divinae vocationi respondens, mortua peccato et mundo renuntians, haec exemplaris mulier religiosa, totam vitam suam Dei famulatui mancipavit, ipsum tamque unum necessarium sequens (cf. *Perfectae caritatis,* n. 5). Cum autem haec sui ipsius donatio ab Ecclesia suscepta esset, eius etiam servitio se scivit addictam (cf. *ib.),* ita ut tota eius vita religiosa spiritu apostolico imbuta fuerit, tota vero eius actio apostolica religioso spiritu informata (cf. *ib.,* n. 8). Post acerbissimum morbum heroica patientia toleratum, Dei famula piissime obiit Romae, die x x i x Maii, anno MDCCCCXXXIX, sereno vultu, sicut iam antea constanter in vita sua gaudio vere christiano responsum beneplacitis Dei dederat. Cum autem post obitum, eius fama sanctitatis percrebruisset, iam de honoribus Sanctorum ei decernendis per Causam, actum est. Post ergo processus ordinaria potestate actos in Curiis Romana, Cracoviensi atque Vivariensi, annis MDCCCCXXXXVIIII-MDCCCCLVII celebratos, scriptaque illius rite examinata annis MDCCCCLXVI et MDCCCCLXXXi, iam Causa introducta est, die xv Octobris, anno MDCCCCLXXxi. Concessa autem dispensatione a celebrando processu apostolico de virtutibus, atque facto decreto de omnium processuum iuridica forma ac validitate, die x Decembris, anno MDCCCCLXXXIV iam

instante dilecto Filio Paulo Molinari, S.I. legitimo Causae Postulatore, Eomae de virtutibus Servae Dei agi coeptum est ; atque iusta disceptatione habita, iussimus decretum apparari, atque die xiv Maii, anno MDCCCCLXXXiii, pronuntiavimus constare de virtutibus eius theologalibus atque cardinalibus, in gradu heroico. Erat tamen etiam quaestio agenda miraculorum. Ac duae quidem sanationes propositae sunt examinandae, quae intercedente Famula Dei patratae a Deo dicebantur. Quarum una Ioanni Kolodziejski facta fuerat carpentario, qui anno MDCCCCXLVi sanatus est improviso a laceratione et contusione brachii sinistri, cum fractura ulnae gravibusque laesionibus ischaemicis texturae interioris brachii; altera vero accidit Magdalenae Pawlak (in sua religione Mariam Danuta vocabant), quae a « pancitopenia cum diathesi haemorrhagica thrombo-citopenica improviso anno MDCCCCXLVI sanata est; tametsi medici de utroque infaustam prognosim edidissent. De miris his sanationibus ante Cracoviae processus est instructus in Curia archiepiscopali ; deinde, post probatam utriusque disceptationis formam iuridicam atque validitatem, Romae, apud Sacram Congregationem pro Causis Sanctorum. Re vero ad normas peracta, die ix Iunii anno MDCCCCLXXXIII ediximus sollemniter : « Constare de duobus miraculis, Venerabili Ursula Ledóchowska intercedente, a Deo patratis ». Post autem haec iam iter patuit ad Ursulae Ledóchowska beatificationem, ad quam hunc diem statuimus. Hodie ergo Posnaniae, capta hac itineris Nostri in Poloniam occasione, rogante Venerabili Fratre Nostro Francisco S. R. E. Cardinali Macharski, frequentissima Religiosarum Ursulinarum, cleri, populi, Patrum Cardinalium, Episcoporum, corona, apostolica Nostra suffulti potestate, formulam beatificationis Polono sermone pronuntiavimus, quam hic subicimus : Spelniajac zyczenie naszego Brata Franciszka Kardynala Macharskiego, Arcybiskupa Krakowskiego, oraz wielu innych Braci w Biskupstwie, jak i licznych wiernych, po wysluchaniu zdania éwietej Kongregacji Spraw Kanonizacyjnych, Nasza Powaga Apostolska oglaszamy, ze Czcigodna Sluga Boza Julia Maria, w zakonie Urszula Ledóchowska, zalozycielka Zgromadzenia Sióstr Urszulanek Serca Jezusa Konajacego, otrzymuje **z** dniem dzisiejszym tytul Blogosîowionej, a jej éwieto bedzie mozna obchodzió 29 maja, w dniu jej narodzin dia nieba, w miejscach i w sposób okreálony przez Prawo. W imie Ojea i Syna i Ducha áwictego.

Amen. Post haec novam Beatam invocavimus; de cuius vita mox

locuti sumus; atque egregiam virtutem imitandam proposuimus, laeto sane animo, populo. Contrariis nihil obstantibus.

Posnaniae, in Polonia, sub anulo Piscatoris die xx mensis Iunii, anno MDCCCCLXXXIII, Pontificatus Nostri quinto.

© AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*

Loco £8 Sigilli
In Secret. Status tab., n. 169.882.

II

Venerabili Servae Dei Elisabethae a Trinitate Beatorum honores decernuntur.

IOANNESPAULUSPP.il

Ad perpetuam rei memoriam. — «O anima inter omnes creaturas pulcherrima, quae tantum cognoscere optas locum ubi est Dilectus tuus, ut eum in venias et te cum eo coniungas ! Iam tibi dictum est te ipsam esse locum ubi is habitat et recessum in quo se abdit. Licet tibi vehementer laetari, cum scias totum bonum tuum totamque spem tuam tam tibi subesse, ut in te incolat, vel potius, ut tu sine eo esse non possis : *Ecce enim* — dicit Sponsus — *regnum Dei intra vos est (Lc* 17, 21) ; et eius servus, Paulus Apostolus, addit : *Vos estis templum Dei vivi (2 Cor* 6, 16) » (S. Ioannes a Cruce, *Canticum spirituale,* 1, 7). Anima enim, quae consors est divinae naturae (cf. *2 Pt* 1, 4) et vivit in amore et oboedientia erga Christum, locus sanctus et excelsus est, in quo Altissimus habitat et cantus laudis resonat sine fine et contriti et humilis spiritus holocaustum immolatur (cf. *Is* 57, 35 ; 66, 2) ; templum est a divinis Personis electum, ut in eo mansionem facient (cf. *Io* 14, 23) et tabernaculum, in quo gloriam suam ostendant (cf. *Nm* 14, 10) et inenarrabilia verba pronuntient. Hanc arcanam rem magna et profunda laetitia contemplata est Venerabilis Serva Dei Elisabetha a Trinitate, quae, cum actioni Spiritus Sancti totam se permisisset, vas pretiosum fuit, plenum boni odoris Christi; domus fuit, in quam Pater caelestis benignitatem suam lumenque suum copiose effudit. Ea, suaviter divina imbuta praesentia, scripsit : « In terra caelum inveni, quia caelum Deus est, et Deus est in anima mea; « I i

Tres habitant in me». Ex hac certa fide, quam clara conscientia et evangelica simplicitate est experta et cum Dei Matre coniuncta exercitavit, orta est eius vocatio ad sacrum silentium, ad continuam adorationem, ad laudem Amati, ad oblationem sui, ut consimilis fieret Iesu crucifixi et ad dilatationem regni Dei in mundo conferret. Gaudens adimplere in carne sua quae desunt passionum Christi pro corpore eius, quod est Ecclesia (cf. *Col* 1, 24), ne in acerbissimis quidem doloribus colloquium amoris cum Hospite divino intermisit, nec animo concidit in cruce portanda cum Magistro suo ; affirmare solebat : « Mea felicitas crescit pro cruciatu meo ». Tam altis et sanctis sensibus informata, brevi facta est mira imago Sponsi sui et fulgida lux quae, cum in angustis monasterii muris abdita manere non posset, velociter in totam Ecclesiam se fudit. Hinc ad eam quoque verba apta esse videntur, quae Decessor Noster Alexander IV dixit de S. Clara Assisiensi: « Lucerna tam accensa, tam lucens, abscondi non poterat, quin splenderet, et clarum in domo Domini daret lumen. Nec recondi poterat vas tot aromatum, quin fragraret, et suavi odori dominicam respergeret mansionem » (Bulla Canonizationis S. Clarae *Clara claris praeclara,* in Bullarium Romanum, III, 621). Haec fidelis Christi discipula nata est die xvni mensis Iulii anno MDCCCLXXX in campo militari loci Avor prope Biturigum, a Iosepho Francisco Catez et Maria Aemilia Rolland. Die xxii eiusdem mensis, per sacramentum baptismatis, sigillum accepit SS. Trinitatis et nomina Mariam, Iosepham, Elisabetham. Mox Dominus ei vocem suam insusurravit eamque ad se traxit ut sibi sponsaret eam in misericordia et miserationibus (cf. *Os* 2, 21) ; namque prima peccatorum confessio et magis etiam prima Communio vehementem sanctitatis appetitionem iniecerunt ei, mutationem magni momenti facientes : exinde per omnia obsequens facta est actioni gratiae et gaudium invenit obliviscendi se pro Iesu et pro ceteris; didicit etiam secedere in parvum animae caelum ut Dei viventis « habitatione » ebria fieret et pervenit ad continendam indolem suam, natura vivacem et impulsivam. S. Teresiam a Iesu secuta fortius in dies impulsa est ad vivendum coniuncte cum Eo, qui in ea habitabat, et ad pacem gaudiumque suum quaerendum in eius familiaritate. Quattuordecim annos nata, iam Carmelum appetens, Domino se consecravit voto virginitatis perpetuae, sciens se nonnisi eum amare posse ; ideo affirmabat : « Amoris tui stimulis agitor, mi Iesu. Solum exspecto dum tua sponsa sim. Tecum pati volo, te invenire et postea mori ». Sed non parum ei oppe-

riendum fuit, donec optatum suum consequeretur; namque mater, quam tenere amabat, aliena erat ab assentiendo. Minus firma voluntas fortasse destitisset, sed id non accidit, quod ad Venerabilem Servam Dei attinebat. Matris repugnatio in eius vocationem, itinera, ludiera, circuli, nitor in vestitu, musica — quibus rebus libenter se carere passa esset — nedum eam a proposito abducerent, ignem amoris excitabant, qui in eius spiritu flagrabat : « Aquae multae non potuerunt exstinguere caritatem, nec flumina obruent illam » *(Ot* 8, 7). Dum patienter horam suam exspectabat, citato gradu magnos progressus faciebat in via perfectionis et avide in precationem continuam et in contemplationem Amati sui mergebatur; item crebris incommodis et castigationibus voluntariis iungebat fervidam curam de animarum salute; quam ob rem, uti optime poterat, se apostolatui dedebat, catechesim tradendo, pauperes adiuvando, deprecando et patiendo pro peccatorum conversione. Tandem anxia exspectatio finem habuit et ipsa, die II mensis Augusti anno MCMI, ingressa est Carmelum S. Ioseph Divione, ubi tamquam flamma transiit et tamquam tus ardens in igne. Die VIII insequentis mensis Decembris habitum religiosum induit et novitiatum iniit sapienter et prudenter moderante coenobii magistra, Matre Germana a Iesu (MDCCCLXX-MCMXXX). Die xi Ianuarii anno MCMIII professionem religiosam fecit. Erga Deum grata, quod eam duxerat in solitudinem (cf. *Os* 2, 16), animo exsultabat et efferebatur miris rebus spiritalibus, quas ei Dilectus detegebat : « Quam bene est in Monte Carmeli ! — exclamabat — Omnia reliqui, ut illum conscenderem, sed Iesus occurrit mihi; me sinu suo et complexu recepit, ut sicut infantem me portaret et me in oblivionem adduceret eorum omnium, quae pro Eo reliqueram ». Annos egit vitae consecratae mersa increbrescente et mutante experienti amoris Domini et humili atque fidenti consensu in eius verbum, quod virga fuit et faculus, unde roborata est in arduo perfectionis itinere (cf. *Ps* 23, 4) et in patefactione latitudinis et longitudinis et sublimitatis et profundi caritatis Christi (cf. *Eph* 3, 18). Si ei datum est ut staret in monte coram Domino, et sibilum aurae tenuis audiret, de quo loquitur Elias propheta (cf. *1 Reg* 19, 11-13), etiam gratia est ei data, ut ex eiusmodi dono viveret magna cordis patefactione, mensura quam cosmicam possumus definire. Rerum naturae blandimento ad caelum rapiebatur, austera silvarum solitudine, montibus asperis, arboribus vetustis; sed plus etiam alliciebatur pulchritudine earum animarum quae, quasi crystalla, divinam lucem re-

plicabant; cum insuper plena esset caritatis in proximum, exoptabat omnes universali vocationi ad sanctitatem responderent. Omnem angulum terrae voluisset apisci ut nuntiaret bonitatem, quam Deus vult effundere in animas; et revera totum mundum attigit non corpore quidem, sed spiritu, precando, patiendo, gemendo ut gratias impetraret Ecclesiae, sacerdotibus, utque fidei propagationem et peccatorum conversionem obtineret. Id egregie fecit viva, id hodie pergit exemplis, scriptis, quae nobis prodidit : quin nobis videtur eius munus nullo modo finem habuisse ; ipsa promisit : « Mei muneris erit animas inducere, eas adiuvando ut ex se exeant, quo Deo assentiantur modo ultroneo et amoris pleno, easdemque tenere in magno illo interiore silentio, quod sinit Deus insidat eis easque mutet in se ». Silentium, contemplatio, studium apostolicum, quod sereno et constanti ardore coluit, eam a vita communi et ab officiis propriis status non averterunt; attentius et fidelius quam quavis alia sodalis Soror ex toto Regulas et vota religiosa observabat, parata et alacris in labore, in servitio, in exsecutione munium susceptorum, in promptu erga amatissimas Antistitas et comites, fervida in Eucharistiae et Officii divini celebratione. Quoniam « via crucis via est quam Deus servat dilectis: quo magis eos amat, eo magis cumulat molestiis » (S. Teresia a Iesu, *Via perfectionis* 18, 1), Venerabilis Serva Dei anima et corpore mysterio paschali vixit, ostendens se ardenter sitire Sponsi sui cruci adfixi consimilem se fieri ut redemptioni interesset. Quandoquidem sanguinis testimonium dare non poterat, uti cupiebat, testimonium dedit gaudii veri et diffusorii in acerbissimis infirmitatibus quae, ab aestate anni MCMIII, eius sociae fuerunt inseparabiles, acceptae et exoptatae. Ne tum quidem eius humanissima mollitudo erga omnes defecit, non obscuratus est eius solitus risus, nec lenitas nec amabilitas; tantam pacem et tranquillitatem demonstrabat, ut in dubium veniret num pateretur. In valetudinario ultimos octo menses degit; a viribus corporis deficiebatur, sed vires animae maxime crescebant: contenta erat quod igne divini amoris consumebàtur, ut plene fieret laus gloriae et hostia laudis. Pie exstinta est primo diluculo die ix mensis Novembris anno MCMVI. Quotquot eam cognoverant dixerunt illam per mundum transisse veluti lilium virgineum halans odorem, numquam minima infecta macula; exemplo fuisse Communitati fervore vitae religiosae, oblatione sui, alta meditatione, deprecatione continua, adoratione amoris plena. Vere usque ad finem dierum suorum imitata erat Virginem Mariam, egregium

exemplar adorationis Doni Dei, societatis Passionum Filii, cooperationis in opere redemptionis. Fama sanctitatis, quam viva sibi comparaverat, post eius mortem crevit sine intermissione ; quam ob rem annis MCMXXXI-MCMXXXXI apud Curiam episcopalem Divionensem actus est Processus Ordinarius Informativus, simulque quattuor Processus Rogatoriales, dein duo Processus additicii. Die xxvu mensis Ianuarii anno MCMXXXXIV editum est Decretum super scriptis ; postea Summus Pontifex Ioannes XXIII, facta antea consueta disceptatione, concessit ut Causa introduceretur apud Sanctam Sedem, die xxv Octobris anno MCMLXI. Instructis dein Processibus Apostolicis Divionensi (annis MCMLXIII-MCMLXV), Parisiensi (annis MCMLXIII-MCMLXIV), Tolosano (anno MCMLXIV), quorum auctoritas agnita die v Iulii anno MCMLXix et die xui Martii anno MCMLXX, consultum est, feliciter, de virtutibus, primum in Congressu Peculiari diei xxiv Novembris anno MCMLXXXI et deinde in Congregatione Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, Ponente Causae Cardinali Mario Aloisio Ciappi, die vi Aprilis anno MCMLXXXII; Decretum ad haec pertinens proditum est coram Nobis die xn Iulii eodem anno. Denique, post instructum Processum canonicum et praescriptas medicorum, theologorum et Patrum Cardinalium disceptationes pertinentes ad miram sanationem sacerdotis Ioannis Mariae Chanut, Ordinis Cisterciensium Strietioris Observantiae, a tubercolosi renali, precibus Servae Dei Elisabethae a SS. Trinitate tributas, Nos die xvn Februarii anno MCMLXXXIV, ediximus eandem sanationem miraculo effectam esse. Post haec omnia est statuta dies ad sollemnem Beatificationem celebrandam. Hodie igitur, in Basilica Vaticana Sancti Petri, hanc sumus inter sacra formulam elocuti : « Nos, vota fratrum nostrorum Narcisi Jubany Arnau, Archiepiscopi Barcinonensi. Ioannis Mariae Lustiger, Archiepiscopi Parisiensis, Ioannis Balland, Episcopi Divionensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu, multorumque christifidelium explentes, de Sacrae Congregationis pro Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus, ut Venerabiles Servi Dei Iosephus Manyanet, Daniel Brottier et Elisabetha a SS. Trinitate, Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum die ipsorum natali : Iosephi Manyanet die decima septima Decembris, Danielis Brottier die vicesima tertia Februarii, Elisabethae a SS. Trinitate die nona Novembris in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ».

Quae vero per has Litteras statuimus, ea firma sint in perpetuum, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxv mensis Novembris, anno MCMLXXXIV, Pontificatus Nostri septimo.

© AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*

Loco £g Sigilli
In Secret. Status tab., n. 179437.

HI

Ad episcopos Lituaniae sescentesimo anno expleto ex accepto a Lituania baptismo.

Venerabilibus Fratribus Ludovico Povilonis
Administratori Apostolico Kaunensi et Vilkaviskensi
Conferentiae Episcopalis Lituaniae Praesidi
et Episcopis Lituaniae

Dilectissimi in Episcopatu Lituano Fratres :

1. SESCENTESIMA ANNIVERSARIA memoria «Baptismi » vestrae Nationis, quam hoc gratiae anno sollemniter agitis, vobis vestrisque fidelibus occasio est fidem altius perscrutandi, deprecationis et spiritualis renovationis, quam Ecclesia universa impense et fraterne coniuncta communicat.

Sicut variis in adiunctis memoravimus — et, recens, in homilia S. Missae superioribus calendis Ianuariis celebratae — tota Ecclesia hunc festum annum, tam significantem, commemorat, et item vobiscum Deo gratias persolvit « super inenarrabili dono eius ». * Ecclesia Romana omnesque Ecclesiae sorores toto terrarum orbe diffusae ad fervidam precationem gratiarum actionis se aggregant, quam vos ad Dominum attollitis ob inaestimabile « Baptismi » munus, ob consensionem quam hic in vestris gentibus invenit et ob beneficia, quibus idem eas affeeit, ob denique vim et fervorem, quibus patres vestri in vicissitudinibus historiae sexies saecularis illum servaverunt et excoluerunt.

[1] *2 Cor* 9, 15.

Ecclesia universalis conscia sibi est et memor magnae spiritualis ubertatis, quam Communitas catholica Lituana ad communionem ecclesialem attulit et nunc quoque affert,[2] et in eius saeculari testimonio fidelitatis erga Christum Spiritus Sancti actionem agnoscit, qui « virtute Evangelii iuvenescere facit Ecclesiam eamque perpetuo renovat et ad consummatam cum Sponso suo unionem conducit » .[3]

Ut nostis, ad significandam universalem hanc vobiscum communionem, die proximo duodetricesimo mensis Iunii, eodem tempore quo Vilnae celebratio agetur nationalis, Nos super Apostoli Petri sepulcro sollemni praesidebimus concelebratione inter quam gaudio exsultabimus, quod in beatorum numerum magnum populi vestri filium et Pastorem referemus : Archiepiscopum Georgium Matulaitis. Delegati Episcoporum continentis Europaeae Nobis aderunt, quorum praesentia modo etiam visibili indicabit Nos spiritu Ecclesiae Lituaniae esse vicinos.

2. Lituanarum gentium conversio ad Christianismum obtigit aliquibus saeculis post propinquorum populorum veteris Europae conversionem. Quasi forcipe circumdati inter Orientem, unde populi Slavici premebant, et Occidentem, unde strenui Equités Teutonici procedebant, patres vestri ineunte iam saeculo xm, formas liberae Civitatis stabilierant, quae tota insistebat in suam libertatem defendendam iusque suum tuendum. Eiusmodi propriae, publicae et geographicae, condiciones declarant cur Lituani diu Cruci accipiendae obstiterint ab iis qui contra eos gladios destringebant et occupationem minitabantur.

Sane ut se de coercitionibus externis subduceret anno MCCLI Magnus Dux Mindaugas ad fidem catholicam statuit se convertere, et in huius Apostolicae Sedis peculiarem fidem se contulit, et a Papa Innocentio IV regiam obtinuit coronam. Qui Pontifex simul constituit primam dioecesim Lituanam voluitque eam uni Sanctae Sedi esse subiectam. Sed conversioni Mindaugas, non convenienter praeparatae, populus restitit, qui exemplum Magni Ducis non est secutus. Iam ante annum

[2] Cfr. *Lumen gentium,* 13.

[3] *Lumen gentium,* 4.

MCCLX Episcopo recedendum fuit et anno MCCLXIII funesta Mindaugas mors evanidi illius veris finem fecit.

3. Plus saeculum exspectandum fuit, ut splendidus « Baptismi » dies illucesceret. Haec opera fuit et laus insignis Lituaniae filii, Magni Ducis .logaila, qui anno MCCCLXXXVI una cum suis subditis in fide catholica baptizari voluit, et coronam obtinuit Poloniae et Hedvigem reginam in matrimonium, egregiam christianam mulierem, quae nunc quoque Cracoviae uti Beata colitur. Per quattuor subsequentia saecula, historia Lituaniae notatur singulari sortis communione, tum publicae tum religiosae, cum Polonia.

Anno MCCCLXXXVII, rex — qui nomen sumpserat Vladislaum — Vilnam reversus est, Magni Ducatus caput, et incepit populi conversionem, qui universus baptismum accepit, etiam ob propriam ipsius regis sedulitatem. Constituta est eo anno dioecesis Vilnensis et primus Episcopus est franciscanus Andreas nominatus, qui iam inter gentes vestras missionarius fuerat.

Anno MCCCCXIII logaila, una cum consobrino Magno Duce Vytautas, se dedidit incolis Lituanis Samogitiae evangelizandis. Aliquot post annos Concilium Constantiense designavit illi regioni suos Legatos, qui dioecesim Mednicensem instituèrent, primum Episcopum Matthiam consecrarent, et gentium conversionem perficerent.

Rex logaila, vir corde simplex et egregius, vitam egit christianis virtutibus excellentem, explicans opera pietatis et misericordiae et sortem Ecclesiae vivo studio curans. Sapientibus consiliis usus est ut liberae fidei catholicae disseminationi atque confirmationi faveret in omnibus Magni Ducatus regionibus.

4. « Baptismus » vestram Nationem addidit ad magnam familiam populorum christianorum Europae, ad illam « christianitatem » quae alte distinxit eventus continentis et huius est prestantissima communis hereditas et fundamentum futurae pacis aedificandae, veri progressus veraeque libertatis. Lituania ita participabat etiam magnam culturae mutationem, quae eo saeculo in Europa exoriebatur, principiis christianis permeata et expostulationibus studiorum renovatae humanitatis, quae in fide maximas causas in veniebant et exordium prove-

hendi magnos eos « valores », qui Europae historiam claram fecerunt et in ceteris continentibus beneficam eius praesentiam.[4]

Ex hac addictione Lituania novum et copiosum vigorem virium spiritualium traxit, quae gradatim variis formis culturae, artis et constitutionis societatis expressae sunt. Paulatim terra vestra ecclesiis et coenobiis impleta est, quae sedes fuerunt, unde fides et cultior vitae usus simul prorepserunt. Volventibus enim saeculis, et iuxta eventuum mutationem, cum opere evangelizationis coniuncta sunt educationis et institutionis populi incepta, cum domibus religiosis iunctae scholae, et vita fidei se duravit cotidiano exercitio caritatis per multiplices formas assiduitatis et provectus societatis.

Quod ad hoc spectat, memorare momentum cupimus operae Ordinum religiosorum: Bominicanorum et Franciscanorum, qui primi ad vestras gentes venerunt, deinde Benedictinorum, Franciscanorum novae Observantiae (qui vulgo Bernardini vocabantur, a Sancto Bernardino Senensi), Basilianorum.

5. Alii Ordines et Congregationes religiosae vitam Ecclesiae in Lituania redintegraverunt, quae propter Ecclesiam reformatam tempus agebat languoris et multas experiebatur desertiones. Peculiaris mentio facienda est operae explicatae a Societate Iesu, quae de exsecutione Reformationis a Concilio Tridentino excitatae singulariter bene merita est. Anno MDLXX, sodales Societatis Iesu clarum aperuerunt Vilnae Collegium, quod novem annis post factum est prima Studiorum Universitas Nationis, vera sacerdotum et doctorum officina.

Catholicae Ecclesiae laetae instaurationi coniunctus est vocationum sacerdotalium et religiosarum auctus. Incepta peracta sunt pro populo; qualia fuerunt: Bibliothecae, librorum religiosorum impressio, ephebea pro scholasticis pauperibus, medicamentariorum tabernae populares, consociationes et sodalicia, artium et professionum scholae. Sed ante omnia inita est accurata et impensa actio apostolica apud pauperes, in campis, ubi condiciones exsistebant servitutis et acerbissimae in-

[4] Cfr. *Aito europeistico a Santiago de Compostela,* in *Insegnamenti di Giovanni Paolo II,* 5, 3 (1982), p. 1260.

digentiae et potior animad vertebatur necessitas nuntii liberatoris caritatis evangelicae.

6. Eiusmodi indefatigato labori pastorali respondit, modo solacii pleno, Lituanae gentis alacritas. Christianismus verum fuit fermentum evangelicum Nationis, eius vitam cotidianam suffudit, in ea penitus immisit radices eiusque quodammodo anima factus est.

Populus sivit se fide permeari, cuius forte et sincerum testimonium dedit etiam difficilioribus historiae suae temporibus, cum doloribus et rebus adversis afficiebatur.

Hic quasdam significantiores huius fidei declarationes iuvat Nos memorare, per ignem quidem probatae.[5] Recogitamus imprimis de antiqua et fervida fidelium pietate erga Christi Passionem, innumerabilibus crucibus subrectis in marginibus viarum confirmata, usitatis Iesu Patientis imaginibus, peculiarem artem popularem exprimentibus; locis appellatis « Kalvarija », stationibus « Viae Crucis » instructis, qui meruerunt ut terra vestra vocaretur « crucium terra».

Et quomodo obliviscamur, in hac initii Anni Marialis avida exspectatione, magni amoris fidelium Lituanorum erga Dei Matrem? Virgo Sanctissima, Mater Misericordiae, peculiari modo colitur et invocatur ad Portam Aurorae Vilnensem, sicut et in aliis frequentatis sanctuariis, sitis in locis: Siluva, 2emaichi Kalvarija, Krekenava, Pivasiünai. A saeculis, et hodie quoque, ad haec loca fidei et pietatis confluunt fideles peregrinantes omnium dioecesium, magno cum fervore et saepe non sine labore et incommodis. Hi se credunt Ei, quam Christus in cruce, supremo motus amoris actu, nobis Matrem et Deprecatricem gratiae donavit.

Velimus, denique, Communitati catholicae Lituaniae aliud eius clarum fateri signum indefecti amoris Christi et vitalitatis ecclesialis, videlicet flagrantia dilectionis et plenae devotionis, qua semper Sedi Petri iuncta mansit, cui Dominus ministerium delegavit confirmandi fratres eosque devinctos servandi in Ec-

[5] Cfr. *i Pt* 1, 7.

clesiae suae communione, Petram eum stabiliens aedificii spiritualis, contra quod nihil possunt inferorum vires.

7. Ecclesia ita demersa est et, dixerimus, eadem facta cum rebus Nationis, ut ad eam se applicaverint patres vestri omni tempore, sed praesertim periculis occurrentibus, horis tenebrosis et gravibus, quae etiam temporibus nobis propinquis eventus terrae vestrae signaverunt.

In Ecclesia, in eius doctrina, in eius opere evangelizationis, in eius servitio unitatis et veritatis, populus vester semper invenit historiae suae significationem, suam peculiarem naturam, causas cur viveret et speraret. Iuvat Nos hic repetere quae globo Lettonico diximus, qui Romam convenerant celebraturi octies centesimum annum, ex quo terra vobis vicina, Livonia, facta est christiana: « Ubi verbum Dei, etsi in impedimentis omne genus, penetrat intimam populi conscientiam et hac accipitur, semper efficit cognitionem, quam populus hic habet de se ipso deque sua historia. In auditione verbi Dei populus suam veram agnoscit naturam ».[6]

Hoc vero eo significantius apparet, quod, simul cum Ecclesia, alterum praesidium Lituanis fuit familia: sane quidem, familia christiana, vera « Ecclesia domestica »,[7] firmiter religata ad bona fidei, quae in amore vivit, in incommodo, in mutua donatione. In patria vestra familia christiana semper in sua vocatione mansit accipiendi, custodiendi et tradendi filiis singulare donum « Baptismi », facta ita, secundum pulchra verba Concilii Vaticani II, « schola quaedam uberioris humanitatis ».[8]

Ecclesia et familia, etsi in multis impedimentis et obstaculis, semper vivam servaverunt fidem et culturam, quarum merito Natio naturam suam et conscientiam sui non amisit. Et nunc quoque, dum multas ad rationes, tempora non secundiora sunt quam olim, Ecclesia et familia manent custodes huius sacri et inviolabilis depositi, sanctuarium magnorum et christianorum « valorum »: libertatis conscientiae, dignitatis

[6] *L'Osservatore Romano,* 27 giugno 1986, **p. 5.**

[7] *Lumen gentium,* 11.

[8] *Gaudium et spes,* 52.

personae humanae, hereditatis patrum, traditionis culturae, et impulsus virium moralium, quas illae in se continent et in quibus spes est posita in futurum.

8. Sescenti christianae vitae in Lituania anni testimonia subministrant prorsus innumerabilia intermissae numquam Spiritus Sancti operae, a quo propriis fructibus[9] vestra est Ecclesia exornata, cum virorum ipse mulierumque turmas excitaret sane quidem dignorum qui veri agnoscerentur Christi adsectatores. Una ideo velimus hoc loco non nullas vobiscum species celebrare filiorum ac filiarum Lituaniae, a quibus nota indelebilis virtutum fervorisque eorum apostolici in sensibus populi intimis est impressa.

Cogitationes ac deprecationes in primis ad *Sanctum Casimirum* convertuntur quem anno iam MDCXXXVI Urbanus VIII decessor Noster apud Deum Lituaniae renuntiavit patronum. Tres igitur abhinc annos magnis profecto sollemnibus, quingentesimam commemoravistis obitus ipsius anniversariam memoriam iique iubilares ritus, quos vehementer participare cupiimus vobiscum quin immo cum universa Ecclesia, communitati vestrae ecclesiali acciderunt tamquam singulare gratiae eventum.

Praeclara ortus ex progenie Iagellonum Casimirus princeps virtute insigniter excellebat et « consummatus in brevi explevit tempora multa ».[10] Post minus scilicet quam saeculum maturus ipse fructus exstitit « Baptismi » suae gentis. Vilnae tandem in media illius Nationis parte est humatus, cuius reliquiae constantissima pietate iam quinque saecula coluntur ac proinde convenienter omnino cumulabuntur celebritates terminabunturque apud ipsius tumulum.

Lucidum castitatis et caritatis exemplum, necnon demissi animi et ad fratribus serviendum prompti, nihil praetulit Casimirus Christi amori suisque ab aequalibus nomen honorificum promeruit « pauperum vindicis ». Confirmavit denique illum decessor Noster Pius XII caelestem patronum totius iuventutis

[9] Cfr. *Gal* 5, 22.

[10] *Sap* 4, 13.

Lituaniae eiusque proposuit « nobile et certum exemplum » iuventae, quae iniquis temporibus adulescit cuiusque virtus nullis non impetitur artibus.[11]

9. Episcopum dein meminimus Samogitiae *Melchiorem Giedraitis* sincerum Reformationis Tridentinae apostolum, quem incidente trecentesimo quinquagesimo ipsius anno a morte venerandus Noster decessor Ioannes XXIII rursus exhibere statuit Ecclesiae Lituaniae pastoribus velut exemplar prorsus sectandum. Eximius pietate sacerdotalique virtute vir et fortis ac prudens, adsiduo suo maxime apostolatu ostendit « quid sit pro fide catholica certare eandemque omnibus defendere viribus ».[12]

Quem ad modum Timotheo Paulus confitetur, et ipse militavit « bonam militiam habens fidem et bonam conscientiam, quam quidam repelientes circa fidem naufragaverunt » :[13] cum haeretica magis usque doctrina propagaretur perstaretque quibusdam in regionibus consuetudo prioris vitae paganae, sese praestitit Episcopus Giedraitis vindicem novi spiritualis ortus, dum clero instituendo operam navabat et sacras aedes excitabat et semet ipsum etiam praesens dedebat catechizando populo sua propria natali lingua.

Superiore autem saeculo vestigia eius persecutus est successor in dioecesis Samogitiae gubernatione, Episcopus *Matthias Valancius.* Huius vero pastorale regimen simul incidit in obscura ac tristia Nationis tempora, cum cuidam vitae discrimini ac periculo obiceretur ipsa eius proprietas civilis ac religiosa. Quibus in rebus adversis eminuit Episcopus Valancius non tantum uti sollers ac providus gregis divini pastor, sed et populi sui solidus ductor moralis. Restant enim ferventes illius cohortationes sacerdotum ac parentum christianorum ut conscientiam sibi acuerent proprii officii, videlicet iunioribus aetatibus tradendi non fidem modo maiorum, verum divitias etiam morum ac religionis usuum eiusdem populi proditorum memoriae.

[11] Cfr. *AAS* 42 (1950), pp. 380-382.

[12] Cfr. *AAS* 52 (1960), pp. 40-43.

[13] *1 Tim* 1, 18-19.

Eodem praeterea tempore Praesul Valancius incumbebat in perdifficile quidem at optime meritum opus redintegrandi religiosam populi indolem per catechesim atque institutionem, quae clam magnoque comparabatur cum periculo. Suas iuxta matres legere tunc discebant pueri ac scribere secundum ipsos catechismi locos. Effecerunt quoque prudentia et magnanimitas Antistitis Valancius, quibus maiores vestri liberaliter sane förtiterque responderunt, ut vel iis gravibus omnibus temporibus Verbi Dei semen haud interiret, circa quod tota sociabatur Natio sua in summa iunctissima.

10. Iuvabit plurimum Nos huius Iunii mensis duodetricesimo die ad altarium tollere liturgicos honores alium Ecclesiae Nationisque Lituanae filium, Servum Dei *Georgium Matulaitis* sexaginta solum abhinc annis vita functum. Hic porro germanus « servus et apostolus Iesu Christi »[14] Vilnae fuit sacer pastor in posterum longe providens atque universos erga filios suos, etiam remotissimos, diligens. Fideliter suum episcopalem adservans titulum: « Bono vincere malum », proprio in ministerio in complures incurrit gravesque difficultates cum omnium se servum fecisset ut plures lucri faceret[15] et cum unum ac solum procuraret Ecclesiae commodum animarumque salutis.

Eius coniunguntur cum fructuoso ecclesiali ministerio multiplicia incepta pastoralia, ex quibus memorare cupimus apostolatus laicorum opera necnon socialis Ecclesiae doctrinae disseminationem, unde christifideles incitare studebat proprium ad officium omnia in Christo instaurandi. Ipsi insuper adscribenda est tum Congregationis Clericorum Marianorum reformatio tum fundatio Congregationis Sororum ab Immaculata Conceptione atque Ancillarum Iesu Eucharistici.

A decessore Nostro Pio XI apostolicus destinatus visitator Lituaniae idem Servus Dei adeo studiose operatus est et prudenter ut excitare ille Pontifex potuerit ecclesiasticam Provinciam Lituanam litteris apostolicis, quibus initium « Lituanorum gente », die quarto mensis Aprilis anno MCMXXVI

[14] 2 Pe 1, 1.
[15] Cfr. *1 Cor* 9, 19.

editis. Hinc nimirum effloruit catholica vita insigniter variis suis in partibus: catechesis et vocationum sacerdotalium religiosarumque, operum catholicae actionis, multiplicium motuum culturae ex Evangelio progredientium.

Sic ab Episcopo Matulaitis sparsum bonum illud semen peperit centuplum novumque adduxit ver ipsius Ecclesiae. At se quoque ipsum convertere volebat in semen quod cadens in terram moreretur nec solum maneret, sed multum fructum adferret,[16] perinde ac testificatur haec permovens precatio quam veluti testamentum nobis reliquit suo in Diario spirituali quamque hodie vobiscum iterare placet: « Fac, Domine Iesu, ut pro Ecclesia Tua me immolem et pro salute animarum sanguine Tuo redemptarum, ut tecuni vivam et tecum laborem, ut patiar tecum et, quem ad modum opto, tecum moriar ac regnem ».[17]

11. Silentio tandem transire nolumus copiosam illam filiorum filiarumque terrae vestrae multitudinem qui hisce sex procedentibus saeculis manifesta fortitudine sunt fidem professi in <(Baptismo » receptam, quos dein nulla difficultas, vel asperrima etiam, umquam valuit a caritate separare Christi.[18] Episcopi sunt et sacerdotes, religiosi ac religiosae, catechistae simplicesque christifideles qui opprobria adierunt et discrimina, qui dolores pertulerunt ac non numquam vexationes usque ad exsilium, carcerem, deportationem ac mortem, « gaudentes ... quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati ».[19]

Gratiam ipsi testificantur quam Suae Ecclesiae pollicitus Dominus est ut « per tentationes ... et tribulationes procedens ... in infirmitate carnis a perfecta fidelitate non deficiat sed Domini sui digna sponsa remaneat, et sub actione Spiritus Sancti, seipsam renovare non desinat, donec per crucem perveniat ad lucem, quae nescit occasum ».[20] Porro per illos est Spiritus locutus etiamque loquitur vestram ad Communitatem atque cunc-

[16] Cfr. *Io* 12, 24.
[17] *Diarium,* 17 Augusti 1911.
[18] Cfr. *Rom* 8, 35.
[19] *Act* 5, 51.
[20] *Lumen gentium,* 9.

tam ad Ecclesiam catholicam. Eorum crux, quam ii cum redimentibus Iesu doloribus consociati susceperunt, gratiae facta instrumentum est et sanctificationis.

Lectissima profecto haec turba confessorum ac martyrum est, pro qua hodie vos Domino gratias habetis, merito cum sentiatis vos idcirco laetos ac superbos. Cohortamur ideo vos ut vestris cum fidelibus splendidum eorum complectamini exemplum : ut fidei vita magis inde firma fiat sibique constans, ut apostolatus usque sedulior inde nascatur operibusque caritatis ditior, ut Dei voluntati adhaereatis conscii videlicet ac prompti, quae in cuiusque vocatione sese declarat.

At iuvenes inter vos in primis adloqui volumus : venturam enim Nationis fortunam suis tamquam manibus gerunt, quam in novum christianae aetatis Millenium inducent. Adulescentes fidelis magnanimaeque Lituaniae! Patrum vestrorum hereditatem gaudentes recipite fidentesque ! Vestris in animis testificationem suscipite interdum plane heroicam, quam vobis illi reliquerunt, amoris erga Christum atque Ecclesiam! efficite ut vester sit inaestimabilis hic thesaurus eoque digni estote! Fiat ipse in vobis spei magnae germen.

12. Carissimi in episcopatu ac presbyteratu Fratres, religiosi ac religiosae, et vos omnes fratres sororesque longinquae etsi Ecclesiae, Nobis tamen proximae uniceque dilectae, filii ac filiae Nationis nobilissimae! Episcopus Nos Romanus atque universalis Ecclesiae Pastor, vobiscum una flectimus genua coram Sancti Casimiri reliquiis; vobiscum Deo grates referimus omnium bonorum largitori ob vestri « Baptismi » donum; pro vobis obsecramus « ut dignetur vos vocatione sua Deus noster et impleat omnem voluntatem bonitatis et opus fidei in virtute, ut glorificetur nomen Domini nostri Iesu Christi in vobis, et vos in illo ».[21]

Totius iam Ecclesiae nomine commendamus Deo hereditatem fidei Nationis vestrae eumque exoramus: benedic atque custodi opus quod haec per sex saecula efïecisti !

[21] *2 Thess* 1, 11-12.

Propitius esto, Pater omnipotens, his Tuis filiis, quos ex tenebris ad veritatis Tuae fulgorem attraxisti. Spiritum Tuum Sanctum in eorum effunde animos, Spiritum veritatis et consolatorem, ut in sua Natione praesentem reddere possint Tui Filii Pascatis fecunditatem.

Concede huius populi, qui Tuus est, pastoribus ipsis pietatem ac sapientiam ut ad vitae pascua gregem perducant. Perfice, Deus omnipotens, ut pace plenaque libertate sacro suo fungi queant ministerio.

Lumen Tuum ac robur, eorum adde animis, quos vocavisti tibi ut sese consecrarent, quo certius ipsi perseverent discantque se sine condicione devovere. Numerum illorum quoque duplica qui ad sacerdotium vocationem amplectuntur et ad religiosam vitam; magnanimum eorum confirma propositum et effice ut in divini Tui ministerii semita, amotis omnibus impedimentis, progrediantur.

Ad familias, Domine, Tuo in amore coniunctas oculos benignus ad ver te. Cum gaudio conscioque officio fac ut vitae donum accipiant, tua ut auxiliante gratia crescere valeant mutuo suo amore. Parentes vero filiis suis sciant donum fidei recte committere una cum solido vitae testimonio revera christianae.

Praecipui amoris adspectum Tuum, Deus omnipotens, in Lituaniae iuvenes intende. Magnam enim in animo spem fovent: fortes eos redde ac puros ut fidenter venturam suam vitae aetatem exstruere possint. Concede ut liberi ii fidei donum maiorum suorum excipere valeant, idque grata mente suscipiant et magno animo evolvant.

Populorum Dominus es omnisque hominum generis Pater. Benedictionem Tuam super hanc Tuam Lituaniae familiam devocamus: secundum suam conscientiam consectetur vocem Tuam per vias vocantem, quae primum, sex ante saeculis, sunt ei patefactae. Quod autem ea ad Tuum pertinet regnum sanctitatis ac vitae, a nullo id existimetur cum patriae terrestris bono dissentire. Semper Tibi et ubique referat illam denique laudem quae Tibi debetur testeturque libere ac tranquille veritatem et iustitiam et caritatem.

Huic, Domine, benedicito Nationi eique vultum Tuum ostendens pacem etiam concedito Tuam.

Nunc autem cum plenae devotionis adfectu ad te decurrimus, dulcissima Christi et Nostra Mater, dum verba Nostra cum iis commiscemus, quibus filii aliaeque Tuae Lituaniae fidentes Tuam implorant deprecationem. Mater misericordiae! ad Te confugit hic populus sub Tuumque praesidium se conicit: ne despicias preces illius in necessitatibus; ex periculis eripe eum et Tuum ad Filium pervehe.

Tu, Mater, memoria Ecclesiae es. In corde enim Tuo eventa hominum conservas ac populorum. Tibi proin recordationem hanc commendamus sescentorum ipsorum annorum christianae vitae fratrum et sororum Lituaniae Tibique supplicamus eos ut adiuves, unde hoc etiam tempore ac semper fideles sint Christo atque Ecclesiae.

Vobis tandem, Venerabiles et Carissimi Fratres, vestrisque fidelibus, immo universis per orbem Lituanis dispersis, Apostolicam Nostram Benedictionem plurimo cum amoris sensu dilargimur.

Ex Aedibus Vaticanis, die v mensis Iunii, anno Domini MCMLXXXVII, Pontificatus Nostri nono.

IOANNES PAULUS PP. II

EPISTULA

Sacerdotibus, adveniente feria V in Cena Domini missa.

Dilecti Fratres in sacerdotio Christi!

1. « Hymno dicto, exierunt in montem Olivarum »[1]

Sinite, dilecti in sacerdotio Fratres, hanc Epistulam nostram adveniente feria **V** in Cena Domini huius anni his verbis incipiamus, quae nos ad temporis momentum revocant quo, post ultimam Cenam. Iesus Christus exiit in montem Olivarum.

Nos omnes qui, per sacramentum Ordinis, peculiarem, ministerialem sacerdotii Christi partem habemus, die V in Cena Domini animos colligimus in memoriam institutionis Eucharistiae, quoniam ex hoc eventu, tamquam ex initio et fonte, totum illud manat, quod,

[1] *Mc* 14, 26.

gratia Dei, nos sumus in Ecclesia et in mundo. Feria V in Cena Domini nostri sacerdotii est dies natalis, ideoque annuus noster dies festus.

Magnus et sacer est hic dies non solum nobis, sed universae Ecclesiae, omnibus quos Deus « regnum et sacerdotes »[2] sibi fecit in Christo. Is, quod ad nos pertinet, maximum habet momentum, quandoquidem commune cuncti Populi Dei sacerdotium cum ministerio conectitur dispensatorum Eucharistiae, quod munus nostrum sanctissimum est. Idcirco hodie, apud vestros Episcopos congregati, una Cum eis, dilecti Fratres, in cordibus vestris gratiam resuscitate, quae data est vobis « per impositionem manuum »[3] in Presbyteratus sacramento.

Hoc tam singulari die cupimus, sicut singulis annis, vobiscum esse, sicut cum Episcopis vestris, quia omnes in nobis gratiae huius sacramenti conscientiam, quod nos arcte cum Christo coniungit, sacerdote et hostia, recreare desideramus.

Id spectantes, hac Epistula exoptamus nonnullas cogitationes enuntiare de orationis pondere in vita nostra, praesertim respectu nostrae vocationis nostrique officii.

2. Post ultimam Cenam, Iesus cum discipulis pergit ad montem Olivarum. In eventuum salvificorum serie Hebdomadae Sanctae, Cena est Christo initium « horae eius ». In hac ipsa Cena incipit rerum omnium consummatio, quae hanc « horam » efficere debent.

In Cenáculo Iesus instituit sacramentum, signum cuiudam rei, quae in eventuum ordine adhuc est perficienda. Ideo dicit : « Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur » ;[4] « Hic calix novum Testamentum est in sanguine meo, qui pro vobis funditur » .[5] Exsistit ita sacramentum Corporis et Sanguinis Redemptoris, cui intime iungitur sacerdotii sacramentum, ex mandato Apostolis dato : « Hoc facite in meam commemorationem » .[6]

Verba, quae Eucharistiam instituunt, non solum anticipant quod postero die efficietur, verum etiam dilucide exprimunt hac effectione, iam propinqua, sacrificii significationem et momentum contineri. Nam, ((Corpus datur » Sanguis « pro vobis f unditur ».

[2] *Apc* 1, 6.
[3] Cf. *2 Tim* 1, 6.
[4] *Lc* 22, 19.
[5] *Lc* 22, 20.
[6] *Lc* 22, 19.

Hoc modo Iesus, in ultima Cena, verum sacrificium Apostolis et Ecclesiae committit. Quod tempore institutionis est adhuc nuntius, etsi decretorium, sed etiam certus sacrificii praegressus in Calvaria, factum est postea, per sacerdotum ministerium, « memoriale » quod perpetuat modo sacramentali ipsum redemptionis factum. Factum quidem centrale in ordine totius divinae dispositionis salutis.

3. Cum discipulis exiens et montem Olivarum petens, Iesus ad veram « horam suam » progreditur, quae est tempus effectionis paschalis consilii Dei omniumque nuntiorum, tum antiquorum tum vicinorum, quos de his rebus Sacrae Litterae habent.[7]

Haec « hora » etiam tempus signat, quo sacerdotium sensu novo et definitivo tamquam vocatione et servitio, secundum revelationem et institutionem divinam. Huius veritatis ampliorem expositionem invenire poterimus imprimis in Epistula ad Hebraeos, quae fundamentalis textus est ad cognoscendum Christi sacerdotium et nostrum sacerdotium.

Sed in his considerationibus essentiale apparet Iesum, ad effectum adducendum id, quod culmine « horae eius » terminatur, per orationem progredi.

4. Oratio in Gethsemani comprehenditur non solum respectu rerum, quae eam sequuntur per eventus feriae VI Hebdomadae Sanctae — passionem videlicet et mortem in Cruce — verum etiam, nec minus arcte, respectu ultimae Cenae.

In Cena extremae salutationis Iesus id perfecit, quod aeterna voluntas Patris erat de eo quodque eius voluntas erat, eius Filii voluntas: ((Propterea veni in horam hanc » .[8] Verba, quibus novi et aeterni Foederis sacramentum istituitur, Eucharistia, quodammodo sigillum sunt sacramentale illius Patris Filiique voluntatis, quae iam ad « horam » venit supremae consummationis.

In Gethsemani nomen « Abba », quod in ore Iesu altitudinem semper habet trinitariam — nomen est enim quo ipse utitur colloquens cum Patre et de Patre, et praecipue in oratione — in dolores passionis sensum reverberat verborum, quibus Eucharistia est instituta. Iesus enim in Gethsemani venit ut aliam revelet speciem veritatis, quae ipsum contingit, et hoc praesertim verbo ((Abba » facit. Et haec

[7] Cf. *Lc* 24, 27.

[8] *Io* 12, 27.

veritas, inaudita haec veritas in eo posita est, quod, cum sit « aequalis Patri », uti Filius consubstantialis Patri, simul verus homo est. Numquam, sicut in Gethsemani, ostenditur id quod Filius Dei est, qui « formam servi accipit »[9] secundum Isaiae prophetiam.[10]

Oratio in Gethsemani, sicut omnis alia Iesu oratio et plus etiam, naturae, vocationis et muneris Filii Dei veritatem revelat, qui in mundum venit ut faceret voluntatem Patris ad extremum, cum dixit: ((consummatum est ».[11]

Hoc magni momenti est omnibus qui Christi « scholam orationis » ineunt, praesertim vero nobis sacerdotibus.

5. Iesus Christus igitur, Filius consubstantialis, Patri se sistit et dicit : ((Abba ». Et ecce, radicitus, dixerimus, suam veri hominis, ((Filii hominis », condicionem patefaciens, amari calicis depulsionem postulat : ((Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste ».[12]

Iesus scit id ((non esse possibile » ; scit calicem sibi esse datum, ut illum faece tenus « bibat ». Tamen id ipsum dicit : « si possibile est, transeat a me ». Id dicit ipso tempore quo ille « calix », ab eo vehementer desideratus[13] iam factus est sigillum sacramentale novi et aeterni Foederis in sanguine Agni ; cum, quod est ex aeternitate ((statutum », iam est « institutum » per sacramentum in tempore, in totum futurum Ecclesias introductum.

Iesus, qui in Cenáculo hanc peregit institutionem, certe non potest revocare rem sacramento ultimae Cenae significatam; quin, ex imo pectore optat ut ea efficiatur. Si, nihilominus, rogat ut ((transeat a se calix iste », indicat ita coram Deo et hominibus totum onus muneris sibi sumendi, seu muneris se substituendi pro omnibus in satisfactione peccatorum. Indicat quoque immanitatem doloris, quo humanum cor eius afficitur. Hoc modo Filius hominis ostendit se cum omnibus magnae humanae familiae fratribus et sororibus suis coniunctum, a temporum initio usque ad finem. Dolor est homini malum — Iesus Christus in Gethsemani eum sentit pro tota eius gravitate, qualis haec communi nostrae experientiae, obvio nostro interiori statui respondet. Coram Patre is manet in tota veritate suae humanitatis, in veritate cordis humani dolore confecti, qui in eo est ut ad suum

[9] Cf. *Phlp* 2, 7.
[10] Cf. *Is* 53.
[11] *Io* 19, 30.
[12] *Mt* 26, 39; cf. *Me* 14, 36; *Lc* 22, 42.
[13] Cf. *Lc* 22, 15.

luctuosum culmen perveniat: « Tristis est anima mea usque ad mortem ».[14] Huius tamen humani doloris nemo potest iustam exprimere mensuram solis utens humanis iudiciis. In Gethsemani enim is, qui Patrem rogat, est homo, sed simul Deus, Patri consubstantiales.

6. Evangelistae verba: « coepit contristan et maestus esse »,[15] sicut et totus orationis processus in Gethsemani, significare videntur non solum adversi doloris timorem, verum etiam timorem proprium hominis, quendam dolorem iunctum sensui officii conscientiae. Nonne homo illud est ens, quod « ad se ipsum constanter superandum » vocatur?

Iesus Christus, « Filius hominis », in oratione qua passionem incipit, exprimit cruciatum proprium conscientiae, quae cum susceptis officiis coniunguntur, in quibus homo debet « se ipsum superare ».

Evangelia memorant saepe Iesum orare, quin etiam « esse pernoctantem in oratione »;[16] sed nulla harum orationum modo tam alto et acri narrata est, quam oratio in Gethsemani. Id facile intellegi potest; namque nullum aliud tempus vitae Iesu tam decretorium fuit; nulla alia oratio tam plene pertinebat ad eam horam, quae « hora eius » esse debebat. Ex nullo alio vitae eius consilio sic pendebat, uti ab hoc, exsecutio voluntatis Patris, qui « sic dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam ».[17]

Cum Iesus in Gethsemani dicit: « Non mea voluntas sed tua fiat »,[18] veritatem Patris revelat et eius salvificum hominis amorem. « Voluntas Patris est quidem amor salvificus: salus mundi perficienda est per Filii sacrificium, quod redimit. Bene intellegi potest Filium hominis, hoc munus sumentem, in suo cum Patre decretorio colloquio indicare se sibi conscium esse rationis, humanam naturam excedentem, huius muneris, in quo voluntatem Patris facit in profundo coniunctionis filialis cum eo.

« Opus consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam ».[19] Evangelista dicit: « Factus in agonia prolixius orabat ».[20] Haec agonia ostensa est etiam sudore qui, ut guttae sanguinis, Iesu vultum irrigabant.[21]

[14] *Me* 14, 34.
[15] *Mt* 26, 37.
[16] Cf. *Lc* 6, 12.
[17] *Io* 3, 16.
[18] *Lc* 22, 42.
[19] Cf. *Io* 17, 4.
[20] *Lc* 22, 44.
[21] Cf. *Lc* 22, 44.

Est haec maxima doloris significatio quae in precationem convertitur, et quidem precationis, quae et ipsa dolorem experitur, quandoquidem adiungitur sacrificio modo sacramentali in Cenáculo anticipato, vehementer percepto in Spiritu Getsemani, quod mox in Calvaria consummabitur.

In haec ipsa tempora orationis sacerdotalis et sacrificalis Iesu cupio mentes intendatis, dilecti Fratres, respectu orationis nostrae nostraeque vitae.

7. Si in nostra meditatione Feriae V in Cena Domini hoc anno Cenaculum cum Gethsemani coniungimus, id facimus ut intellegatur quam arcte nostrum sacerdotium oporteat orationi iungatur: penitus in oratione radicetur.

Profecto non opus est hanc affirmationem probari, sed potius oportet mente et corde eam coli constanter, ut veritas, quam continet, in vita ad effectum adducatur.

De nostra vita enim agitur, de ipsa sacerdotali exsistentia, ex tota bonorum suorum considerata, quae ante omnia vocatione ad sacerdotium comprehenditur quaeque post patefit in ministerio salutis, ex ea manante.

Novimus sacerdotium — sacramentale et ministeriale — peculiarem esse participationem sacerdotii Christi, sine quo et extra quem non exsistit, nec floret nec fructus fert nisi in eo radices capiat. « Sine me nihil potestis facere » [22] dixit Iesus in ultima Cena vitis et palmitum parabolam concludens.

Cum postea, inter orationem solitariam in horto Gethsemani, Iesus Petrum, Ioannem et Iacobum adit eosque sommo invenit mersos, eos suscitat e sommo dicens : ((Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem a.[23]

Oratio igitur Apostolis esse debebat verus et efficax modus communicandi « horam Iesu)), se in eo confirmandi et in eius paschali mysterio. Ita semper nobis sacerdotibus erit. Sine oratione periculum illius ((tentationis » instat, qua Apostoli vieti sunt, cum ob oculos « scandalum crucis » [24] habuerunt.

8. In nostra vita sacerdotali varias formas et significationes habet oratio, privatam, communem, liturgicam (publicam et officialem).

[22] *Io* 15, 5.

[23] *Mt* 26, 41.

[24] Cf. *Gal* 5, 11.

Huic tamen multiformi orationi altissimum illud fundamentum subesse debet, quod est vita nostra sacerdotalis in Christo, utpote effectus proprius ipsius vitae christianae, vel potius — amplius — vitae humanae. Oratio namque est naturalis expressio conscientiae nos a Deo esse creatos et magis etiam — quod clare patet ex Bibliis — Creatorem se homini revelasse ut Deum Foederis.

Oratio, quae nostrae vitae sacerdotali respondet, necessario continet in se omnia quae emanant ex eo, quod sumus christiani, aut etiam simpliciter homines facti ad imaginem et similitudinem Dei. Continet insuper conscientiam nos esse homines et christianos in modum sacerdotum. Et hoc videtur plenius perspici posse die V in Cena Domini, si cum Christo, post ultimam Cenam, eamus ad Gethsemani. Etenim testes hic sumus Ipsius Iesu orationis, proximae supremae effectioni eius sacerdotii, quam perficit sui ipsius in Cruce sacrificio. Is, ut «pontifex futurorum bonorum..., introivit emel in Sancta, per proprius sanguinem w.[25] Nam, si sacerdos erat ab initio suae existentiae, tamen « factus est » plene unicus sacerdos novi et aeterni Foederis per sacrificium redimens, quod in Gethsemani sumpsit initium. Quod initium factum est in contextu orationis.

9. Haec est nobis, dilecti Fratres, patefactio maximi momenti in feria V in Cena Domini, quam iure putamus sacerdotii nostri ministerialis diem natalem. Inter verba institutionis : ((Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur », « Hic calix novum Testamentum est in sanguine meo, qui pro vobis funditur », et veram effectionem rei, quam haec verba exprimunt, interiecta est oratio in Gethsemani. Nonne verum est, in eventuum paschalium processu, eam ad illud etiam visibile adducere, quod sacramentum significat et iterat?

Sacerdotium, quod est nostra hereditas factum virtute sacramenti tam arcte Eucharistiae coniuncti, est semper vocatio ad participandum illud divinum-humanum, salvificum et redimens, quod ipso nostro ministerio debet continenter in historia salutis novos fructus ferre : « ut vos eatis et fructum afferatis, et fructus vester maneat».[26] Sanctus Curator de Ars, cuius ortus superiore anno bis centesimum natalem celebravimus, vere videtur huius vocationis vir, cuius conscientiam in nobis quoque instauramus. In eius strenua vita oratio via fuit,

[25] *Heb* 9, 11-12.

[26] Cf. *Io* 17, 6.

qua poterat constanter in Christo manere, vigilare cum Christo adversus ((horam » eius. Haec « hora » non desinit decernere de tam multorum hominum salute, ministerio sacerdotali concreditorum et curae pastorali cuiuslibet presbyteri. In vita sancti Ioannis Mariae Vianney, haec « hora » confecta est praesertim eius ministerio in sede confessionali.

10. Oratio in Gethsemani est quodammodo lapis angularis, a Christo positus ut fundamentum serviendi causae « a Patre ei commissae » — ut fundamentum operis redemptionis mundi per sacrificium oblatum in Cruce.

Sacerdotii Christi participes, quod est indissolubili modo cum eius sacrificio coniunctum, nos quoque debemus nostrae vitae sacerdotalis fundamentum ponere lapidem angularem orationis. Haec efficiet ut vitam nostram cum servitio sacerdotali temperemus, integra servata indole et veritate huius vocationis, quae facta est nostra peculiaris hereditas in Ecclesia, ut Populi Dei communitate.

Oratio sacerdotalis, praecipue oratio Liturgiae Horarum et adorationis eucharisticae, imprimis nos adiuvabit ut conscientiam servemus vivam nos esse, « utpote servos Christi », speciali et singulari modo ((dispensatores myteriorum Dei » .[27] Quodcumque erit nostrum certum definitumque munus, qualiscumque forma industriae, qua nostrum pastorale servitium exercemus, oratio nobis tutam praestabit conscientiam eorum Dei mysteriorum, quorum dispensatores sumus, et faciet ut haec in omnibus operibus nostris appareat.

Etiam hac ratione hominibus signum clarum erimus Christi et eius Evangelii.

Dilectissimi Fratres ! Opus est nobis oratio, impensa oratio et aliquo sensu ((descripta », ut tale signum esse possimus. « In hoc cognoscent omnes quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad invicem w.[28] Certe ! Ad summam, hic de amore agitur, de amore <(erga alios » ; namque « esse », ut sacerdotes, « dispensatores mysteriorum Dei » idem est ac se alii offerre et, ita, illum amorem testificari supremum, qui in Christo est, amorem illum, qui Deus ipse est.

11. Si oratio sacerdotalis hanc excitat conscientiam huncque animum in vita cuiusque nostrum, simul, prout postulat congruenter esse

[27] *1 Cor* 4, 1.
[28] *Io* 13, 35.

dispensatores mysteriorum Dei, ea constanter dilatanda est et extendenda ad omnes, quos « Pater dedit nobis a.[29]

Clare hoc patet ex oratione hac sacerdotali Iesu in Cenáculo : « Manifestavi nomen tuum hominibus, quod dedisti mihi de mundo. Tui erant, et mihi eos dedisti, et sermonem tuum servaverunt A.[30]

Iesum sequens, sacerdos, « dispensator mysteriorum Dei », is ipse est, cum « pro aliis » est. Oratio dat ei peculiarem lenitudinem in hos « alios », eumque facit attentum ad eorum necessitates, ad eorum vitam et ad eorum sortem. Oratio sinit sacerdos agnoscat eos, quos « Pater dedit ei ». Hi sunt imprimis quos Bonus Pastor collocat, ut ita dicamus, in itinere eius servitii sacerdotalis, eius curae pastoralis. Pueri sunt, adulti, senes. Iuvenes sunt, bini coniuges, familiae, sed etiam soli. Aegri sunt, patientes, monentes. Sunt qui, spiritu vicini, parati sunt ad cooperationem apostolicam; sed etiam longinqui, absentes, frigidi, quorum multi tamen possunt in statu cogitationis et indagationis versari. Sunt qui varias ob causas adversantur ; qui difficultatibus multimodis premuntur; qui contra vitia et peccata contendunt; qui pro fide et spe nituntur; qui auxilium quaerunt; qui illud reiciunt.

Quales oportet esse « pro » his omnibus — et « pro » unoquoque eorum — Christi exemplum sequentes? quales esse « pro » his, quos « Pater dat nobis »?, eos nobis curandos demandans? Nostrum testimonium semper erit testimonium amoris — quod testimonium est nobis accipiendum, ante omnia in campo orationis.

12. Omnes, dilecti Fratres, bene novimus hoc testimonium « constare ». Quanti, interdum, stant colloquia in speciem communia cum diversis personis ! Quanti stat servire conscientiis in sede confessionali ! Quanti stat sollicitudo «omnium ecclesiarum»:[31] vel «ecclesiarum domesticarum »,[32] seu familiarum, praesertim difficultatibus et discriminibus laborantium; vel omnis «templi Spiritus Sancti » :[33] cuiusvis viri aut mulieris in sua dignitate humana et christiana; vel, denique, ecclesiae-communitatis, qualis est paroecia, quae manet semper communitas praecipua; vel eorum coetuum, motuum, consociationum, renovationi hominis et societatis servientium secundum spiritum

[29] Cf. *Io* 17, 6.

[30] *Io* 17, 6.

[31] Cf. *2 Cor* 11, 28: sollicitudo omnium ecclesiarum.

[32] Cf. Const. dogm. *Lumen gentium,* 11.

[33] *1 Cor* 6, 19.

Evangelii, hodie in Ecclesia florentium, pro quibus grati esse debemus erga Spiritum Sanctum, qui tam multa et pulchra suscitat incepta. Eiusmodi testimonium suum postulat « pretium », quod est nobis auxilio precationis solvendum.

Oratio est necessaria ad servandum sensum pastoralem erga omnia quae a « Spiritu » procedunt, ut recte « discernatur » et adhibeantur ea charismata, quae ad unitatem adducunt et cohaerent cum servitio sacerdotali in Ecclesia. Presbyterorum enim est « congregare Populum Dei », non dividere : hocque hi explent praecipue ut dispensatores Eucharistiae.

Per orationem igitur poterimus, etiam in casibus adversis, illud amoris dare testimonium, quod dare debet cuiuslibet hominis vita — et peculiari modo sacerdotis vita. Cumque hoc testimonium videbitur nostras excedere vires, meminerimus quae evangelista dicit de Iesu in Gethsemani : « Factus in agonia prolixius orabat » .[34]

13. Concilium Vaticanum II vitam Ecclesiae tamquam peregrinationem fidei ostendit.[35] Quisque nostrum, dilecti Fratres, ob suam vocationem et sacerdotalem ordinationem, in hac peregrinatione partem habet peculiarem. Nos vocamur ut incedamus alios ducentes, adiuvantes eos in eorum itinere, uti Boni Pastoris ministri. Nobis idcirco, utpote dispensatoribus mysteriorum Dei, est fidei maturitas habenda, nostrae vocationi nostrisque officiis consentanea. Etenim « Hic iam quaeritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur » .[36] Decet ergo, in hac fidei peregrinatione, quemque nostrum oculos animae deligere in Virgine Maria, Iesu Christi Matre. Ea enim — sicut Concilium docet Patres sequens — nos « antecedit » in hac peregrinatione[37] nobisque insigni exemplo est, quod in lucem proferre nisi sumus etiam in recentibus Litteris Encyclicis, editis intuitu Anni Marialis, ad quem nos praeparamus.

In ea, quae est Virgo Immaculata, invenimus etiam mysterium illius supernaturalis fecunditatis ex Spiritu Sancto, qua « figura » est Ecclesiae. Ecclesia namque « et ipsa fit mater: praedicatione enim ac baptismo filios, in Spiritu Sancto conceptos et ex Deo natos, ad vitam novam et immortalem generat » ,[38] secundum Apostoli affirmationem :

[34] *Lc* 22, 44.

[35] Cf. Const. dogm. *Lumen gentium,* 48 ss.

[36] *1 Cor* 4, 2.

[37] Cf. Const. dogm. *Lumen gentium,* 58.

[38] Const. dogm. *Lumen gentium,* 64.

« Filioli mei, quos iterum parturio »;[39] et quidem mater fit, uti mater, quae ((tristitiam habet, quia venit hora eius; cum autem pepererit puerum, iam non meminit pressurae propter gaudium quia natus est homo in mundum y).[40]

Haec affirmatio nonne pertinet etiam ad essentiam nostrae specialis vocationis in Ecclesia? Tamen — concludentes hoc nobis dicamus — ut Apostoli affirmatio nostra quoque fieri possit, oportet constanter ad Cenaculum redeamus et ad Gethsemani, et rursus inveniamus centrum ipsum nostri sacerdotii in oratione et per orationem.

Quando cum Christo invocamus: ((Abba, Pater », tum « ipse Spiritus testimonium reddit una cum spiritu nostro quod sumus filii Dei ».[41] ((Similiter autem et Spiritus adiuvat infirmitatem nostram; nam quid oremus, sicut oportet, nescimus, sed et ipse Spiritus interpellat gemitibus inenarrabilibus; qui autem scrutatur corda, scit quid desideret Spiritus ».[42]

Accipite, dilecti Fratres, salutationem paschalem et osculum pacis in Iesu Christo Domino nostro.

Ex Aedibus Vaticanis, die xui mensis Aprilis, anno MCMLXXXVII, Pontificatus Nostri nono.

IOANNES PAULUS PP. II

HOMILIA

In foro S. Petri habita ob decretos Servis Dei Andreae Carolo Ferrari, Aloisio Zephirino Moreau, Petro Francisco Jamet et Benedictae Cambiagio Frassinello Beatorum caelitum honores.*

1. « In verità, in verità vi dico: io sono la porta delle pecore ».[1]

Così Cristo dice di se stesso. Nell'odierna domenica, Giornata Mondiale di preghiera per le vocazioni, leggiamo il testo del Vangèlo **di** Giovanni in cui Gesù chiama se stesso « il buon pastore ».

[39] *Gal* 4, 19.
[40] *Io* 16, 21.
[41] *Rom* 8, 15-16.
[42] *Rom* 8, 26-27.

* Die 10 m. Maii a. 1987.
[1] *Gv* 10, 7.

II buon pastore è « la porta delle pecore ».

Egli portò sul suo corpo i nostri peccati sul legno della Croce, perché, non vivendo più per il peccato, vivessimo per la giustizia; dalle sue piaghe siamo stati guariti.[2]

Tale dottrina è proclamata dall'apostolo Pietro con la sua viva voce di testimone, il giorno della Pentecoste, ed è esposta nella sua prima Lettera.

Cristo è « la porta delle pecore », perché, mediante il sacrificio della Croce, ci ha introdotti nella vita nuova. E questa nuova Vita in Dio è stata confermata dalla Risurrezione.

2. La Chiesa vive della fede nel mistero pasquale di Cristo.

Da questa fede nasce la coscienza della vita nuova, della vita divina, alla quale sono introdotti tutti coloro che appartengono all'ovile del buon Pastore.

Tale coscienza si manifesta in modo particolarmente solenne e gioioso, quando alla Chiesa è dato di rendere testimonianza alla santità dei suoi figli e delle sue figlie. Così avviene in questo giorno.

Ecco, Cristo crocifisso e risorto è divenuto « la porta » della santità per questi servi di Dio, che oggi sono elevati alla gloria degli altari come beati.

3. Cristo fu la « porta » della santità per il Cardinale Andrea Carlo Ferrari, il quale, dopo essere stato Vescovo di Guastalla e di Como, resse per ben ventisette anni l'arcidiocesi di Milano, seguendo con appassionato fervore pastorale le orme dei grandi predecessori Ambrogio e Carlo.

Sorretto da fede robusta e zelo illuminato, egli seppe indicare con giudizio sicuro la via da percorrere fra le nuove e difficili realtà emergenti nel contesto religioso e sociale del suo tempo. Seppe vedere i problemi pastorali che le circostanze storiche ponevano, con l'occhio del Buon Pastore, indicando i modi per affrontarli e risolverli. Egli è pertanto un esempio di grande attualità.

Consapevole che l'ignoranza dei princìpi essenziali della fede e della vita morale esponeva i fedeli alla propaganda atea e materialista, organizzò una forma di catechesi moderna ed incisiva. Anche lo stile pastorale fu da lui rinnovato : ispirandosi al « buon Pastore », egli ripeteva con forza che non si doveva attendere passivamente che i fedeli si avvicinassero alla Chiesa, ma che era indispensabile tor-

[2] Cf. / *Pt 2,* 24-25.

nare a percorrere, come Gesù, le vie e le piazze per andare loro incontro, parlando il loro linguaggio. Egli visitò per quasi quattro volte la vasta arcidiocesi ambrosiana, recandosi nelle località più lontane ed impervie, anche a dorso di mulo ed a piedi, ove da tempo immemorabile non si era veduto un Vescovo. Per questo, di fronte alla sua pastorale infaticabile, alcuni dicevano : ((È tornato San Carlo ! » . [3]

La sollecitudine del Pastore ebbe espressione anche nella promozione di forme nuove di assistenza, adeguate al mutare dei tempi. Primi destinatari dell'ammirevole fiorire di iniziative sociali furono i fanciulli ed i giovani abbandonati, i lavoratori, i poveri.

Serva Dei, maxima novem filiorum nata, orta est in pago *Fiobbio* communi sermone appellato, intra fines dioecesis Bergomensis, die 7 mensis Ianuarii anno 1931, a Rocho Morosini et Sara Noris; postridie adducta est ad fontem baptismalem et indita sunt ei nomina Petrina Eugenia. Die 10 Ianuarii anno 1937, confirmationis sacramentum accepit et insequenti anno, die 5 mensis Iunii, primum Sanctissimam Eucharistiam.

A familia non bona externa habuit, sed pretiosiora, qualia laudanda parentum exempla et solidam ad virtutes humanas et christianas educationem; a matre praesertim didicit in via fidei ambulare et industriae caritatis; item ab ea praecipuas christianas veritates, et frequentis deprecationis rerum divinarum, incommodorum et parvarum voluntariarum castigationum amorem.

Indole ornata serena, forti et magnanima, maxima cura incumbebat in omnia quae faciebat, ostendens a pueritia notabilem maturitatem et alacre studium proximis praebendi utilem operam qualibet sui ipsius impensa. Hinc, cum potuit, coepit matrem adiuvare in negotiis domesticis et in cura atque multorum fratrum et sororum educatione, in quos semper officiosa fuit et quibus praesto patienter. Ludis elementariis laudabiliter peractis, ut familiae necessitatibus subveniret, egregie artem vestificae didicit et, cum quindecim aetatis annorum fuit, conducta est uti operaría in officina, ubi xylium conficiebatur in pago vulgari nomine *Albino* vocato. Cotidie magnis iacturis plura millia passuum pedibus emetiebatur ut ad laborem se conferret, sed numquam Communionem cotidianam neglexit nec religiones, quibus assuefa erat, nec munia domestica et paroecialia. Etiam in officina fuit omnibus exemplo diligentiae, navitatis, gravita-

tis, humanitatis, humilitatis, sibi observantiam et aestimationem comparans praepositorum et sodalium, qui cito animadverterunt eius ardentem spiritum fidei, deprecationis et continentiae. Ei labor non solum modus fuit suppeditandi familiaribus panem cotidianum, verum etiam via ad divinum Magistrum imitandum, qui faber fuit (cfr. *Me* 6, 3), et ad participandam operam salutis. Nam « Sudor et fatigatio, quae labor in praesentem hominum condicionem necessario importat, christiano immo et omni homini ad Christum sequendum vocato facuLtatem praebet communicandi, per amorem, operis illius, quod Christus venit ut efficeret. Hoc salutis opus evenit per dolorem mortemque in cruce. Homo igitur, laboris defatigationem una cum Christo pro nobis cruci afiïxo perferens, operatur quodam modo simul cum Dei Filio ad generis humani redemptionem. Se insuper verum praebet Iesu discipulum gestanda cotidie propria cruce in negotiis, ad quae destinatur perficienda » (Ioannes Paulus II, Ep. Encycl. *Laborem exercens,* 27: *AAS* LXXII [1981], 645-646).

Serva Dei insuper laborem iudicavit ministerium caritatis, de quo se subducere nec poterat nec debebat. Etenim se Domino consecrare voluisset in Instituto religioso, ut esset missionaria; sed cum cognovit suam operariae mercedem familiae esse necessariam, statuit tempora meliora exspectare, ut sanctum suum propositum ad effectum adduceret; nec umquam ostendit hanc renuntiationem sibi impensae fuisse. Ita Sancti Pauli adhortationem perficiebat: « Unusquisque prout destinavit in corde suo, non ex tristitia aut ex necessitate; hilarem enim datorem diligit Deus » *(2 Cor* 9, 7).

Hoc non nos admiratione afficit, quoniam, ex testibus fidem facientibus scimus eam maxime exoptare semper et per omnia Dei voluntatem facere, in quo omnes suos affectus et fiduciam collocaverat. ((Domino bene velle » propositum fuit vitae eius; qua re, bonis terrenis neglectis ac iuvenilibus delectationibus rebusque quae plerumque puellas alliciunt, caelestia contemplari malebat et intimam cum Deo coniunctionem colere in occultatione, in silentio et in humilitate. Vere felix erat, cum deprecationi continuae, uti cupiebat, et Evangelii lectioni ac meditationi necnon Marialis Rosarii recitationi et religionibus se tradere poterat. Eius dies laboris multo mane incipiebant a Missa audita et Communione magno cum fervore et utilitate accepta, quandoquidem ex ea vim hauriebat interiorem, ut fideliter praecepta Dei observaret et diligenter officia cotidiana exqueretur atque fortiter et celeriter christianae perfectionis montem ascenderei. Sedecim anno-

rum, cum iam statuisset solius Domini esse, votum privatum castitatis nuncupavit, cui postea vota addidit paupertatis et oboedientiae. In ea gratiae divinae donum vacuum non fuit, quia sine intermissione progressus faciebat in amore Domini et proximi et in exsecutione promissorum, quae sibi receperat per sacramenta baptismi et confirmationis. Muneris sacerdotalis, prophetici et regalis Christi particeps effeca (cfr. Conc. Vat. II, Decretum de Apostolatu Laicorum *Apostolicam Actuositatem,* 2), clare sensit suum esse dare gloriam Deo ipsa vita sua et ardentem simplicemque suam testificari fidem et per apostolatum dilatando regno Dei in terra et Ecclesiae aedificandae operam navare. Ut haec adipisceretur libenter et impigre varia opera paroecialia participabat; catechesim tradebat; sodalis fuit Actionis Catholicae, in qua munere iuncta est Delegatae ((Minimarum »; accessit ad Globum Missionarium et ad Zelatrices Seminarii Bergomensis; nomen profèssa est etiam in Apostolatum Satisfactionis, in Filias Mariae et in Tertium Ordinem Franciscanum. Suum quoquoversus auxilium ferebat ardoris, laboris proprii, deprecationis et incommodorum.

Exemplo mirabili pellecta Sanctae Mariae Goretti, peculiari diligentia et perfectione virtutem castitatis coluit et saepe affirmavit se laetam esse, si martyr pudicitiae moreretur, aut admirationem, aut reprehensionem excitans eorum, qui eam audiebant. Numquam exoptare destitit se similem Christo fieri sanguinis fusione et martyrii daré supremum caritatis testimonium (cfr. Conc. Vat. II, Constitutio dogmatica de Ecclesia *Lumen Gentium,* 42): eius consilium lucidum erat, firmum, sincerum: « Vellem eandem obire mortem, quam Maria Goretti », vel: ((Ego, potius quam peccem, sino me occidi ». Et exaudita est.

Die 4 mensis Aprilis anno 1957, ex more ad Communionem accesserat; deinde, ex solito, suas laboris vices fecerat in officina pagi *Albino.* Dum primis horis postmeridianis domum redibat, ad eam, in loco silvestri, qua transire solebat, iuvenis appropinquavit, qui eam sectari coepit eique immunda proponere, quae ea urbane, sed firme reiecit. Ille autem, paratus ad optatum suum obtinendum, non cessit. Tum Serva Dei exorsa est eum alioqui de rebus religiosis deque gravitate peccati. Sed haec argumenta irrita fuerunt. Interim libido vehementior exardescebat, sed repulsa brevi mutata est in aggressionem et vim. Serva Dei in defendenda sua virginitate stabilis ut rupes et inexpugnabilis sicut oppidum munitum, omnibus viribus reluctata est, donec etiam atque etiam est in cervicem caesa, quae inde contrita est. Ver-

bis christianae misericordiae dictis, eam vires defecerunt omnino et animus reliquit. Talis inventa est a familiaribus paulo post. Parochus ei Unctionem Infirmorum ministravi! et sacramentalem absolutionem. De vita decessit die 6 mensis Aprilis in Valetudinario maiore Bergomensi.

Statim populus et commentarii locuti sunt de martyrio, comparantes mortem Servae Dei morti S. Mariae Goretti. Haec fama volventibus annis aucta est et confirmata; qua re Episcopus Bergomensis, Excellentissimus D.nus Iulius Oggioni, obtento ((nihil obstat » Sanctae Sedis ad normam M. P. « Sanctitas Clarior », die 7 mensis Martii anno 1980 beatificationis et canonizationis Causam introduxit; dein, apud illam Curiam episcopalem actus est Processus cognitionalis (annis 1980-1983), cuius auctoritas agnita est a Congregatione pro Causis Sanctorum per Decretum die 17 Februarii anno 1984 editum.

Consultores Theologi, in Congressu Peculiari die 11 mensis Novembris a. 1986 celebrato, professi sunt Servam Dei Petrinam Morosini, mortuam in heroica suae virginitatis defensione, esse martyrem habendam iuxta translaticiam doctrinam theologicam et iuridicam.

Idem fassi sunt Patres Cardinales et Episcopi in Congregatione Ordinaria, quae die 16 mensis Iunii anno 1987 convenit, Ponente Causae Exc.mo Domino Antonio Mauro, Archiepiscopo tit. Thagastensi.

Facta postmodum de hisce omnibus per subscriptum Cardinalem Praefectum Summo Pontifici Ioanni Paulo II accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregatonis pro Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut decretum super Servae Dei martyrio rite conscriberetur.

Quod cum esset factum, accitis hodierna die cardinali infrascripto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, iisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter edixit : *Constare de martyrio et martyrii causa Servae Dei Petrinae Morosini, iuvenis saecularis, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregatonis pro Causis Sanctorum insereretur.

Datum Romae, die 3 mensis Iulii, Anno Mariano 1987.

PETRUS Card. PALAZZINI, *Praefectus*

L. & S.

ffi Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

IV

SPOLETANA

Canonizationis Ven. Servi Dei Petri Bonilli, Sacerdotis, Fundatoris Instituti Sororum a S. Familia (1841-1935).

SUPER DUBIO

An constet de miraculo, in casu et ad effectum de quo agitur.

Ortum duxit Famulus Dei Petrus Bonilli die 15 mensis Martii anni 1841 in loco v. d. *S.* ***Lorenzo di Trevi, in*** finibus Spoletanae archidioeceseos, humilibus quidem sed vitae probitate admodum commendatis parentibus. Sacerdotio auctus, mox paroecia quaedam ei collata est, quam triginta et quinque annis veluti bonus Christi miles praecipua alacrique opera est moderatus : paroecialem ecclesiam ab immis restauravit totusque fuit ut et parvuli et populus sibi crediti religiosa doctrina enutrirentur ; S. Familiae cultum excitavit et fovit; orphanotrophium instituit excipiendis educandisque pueris derelictis orbatisque parentibus; asylum quoque puellis surdis-mutis atque caecis instruendis aperuit. Ad huiusmodi perenanda opera Institutum condidit Sororum a S. Familia. Eximium Servi Dei animarum studium aestimationem Superiorum iure merito eidem comparavit, adeo ut Canonicus Paenitentiarius ecclesiae Spoletanae fuerit nominatus. Administrator quoque Seminarii et rector, animarum insignem moderatorem se praebuit. Fidelis Ecclesiae filius semper oboediens, tristissimis illis temporibus Summi Pontificis iura strenue vindicavit. Eiusdem bonitatem expertus est agricolarum quoque ordo, quibus ut consuleret aptum opus suscepit et fundavit.

Octoginta annos natus infirma amictus valetudine, magis in dies declinare coepit, donec die 5 Ianuarii a. 1935, aetatis suae quarto supra nonagesimum, obdormivit in Domino, clara sanctitatis fama circumdatus. Eum autem heroum in modum coluisse christianas virtutes Summus Pontifex Ioannes Paulus II die 30 mensis Iunii anni 1986 declaravit.

Porro, ut eidem Beatorum Caelitum honores rite decernerentur, Causae actores Apostolicae Sedi, ad iuris normam, miram attuelerunt sanationem per eiusdem Venerabilis intercessionem a Deo patratam. Agitur videlicet de domina Augusta Abatelli, matrimonio coniunctae

cum domino Florentini, sanae quidem firmaeque corporis constitutionis — uti ex anamnesi emersit eius et familiae —, quae viginti annos nata instante primo partu, die 21 mensis Iunii a. 1965, est in valetudinarium civicum Cuprense deducta, intra fines Aesinae dioeceseos. Ibi biduo post floridam peperit infantulam. Partus autem evenit auxilio instrumenti, forcipis scilicet, propter insignem fetus magnitudinem, sed puerperae condiciones in universum bonae manserunt et sollicitudini causa adfuit. At post semihoram, hora decima antemeridiana diei 23 Iunii, ex improviso series facta est gravissimarum significationum quae, semihorae spatio, effecerunt ut de eius vita metueretur, quamvis primarius chirurgus curas celeriter subministrasset ; significationes fuere : pulsus absentia super radialem arteriam, horrores, haematemesis (vomitus sanguineus), defectus ex notabili deminutione umorum corporis, extenuatio cordis sangunisque vasculorum. Curae actae sunt prompta therapia a chirurgo, qui se inseruit vel sui sanguinis transfusione. Haec secuta sunt animi relictio, mydriasis, seu pupillae amplificatio, omnium virium defectio, adeo ut post nonnulla temporis momenta condicio aegrotae crederetur non regressura. Tunc, hortante Sorore infirmorum ministra, preces adhibitae sunt Venerabili Petro Bonilli, imagine eiusdem super moribundae pectus posita. Et ecce, clinica condicio, iam irreparabiliter in discrimen adducta, cito est mutata intra temporis momenta circiter triginta. Aegra relinquentem animum revocavit, pupilla denuo naturalis facta est, pulsus ad radialem revertit pro iusta fere crebritate citatus; loqui repetiit, affirmans se bene se habere; cetera mali signa properanter abierunt.

Super asserta prodigiosa sanatione superius descripta processus cognitionalis apud Curiam episcopalem Aesinam a die 3 Iulii a. 1982 ad diem usque 19 mensis Maii subsequentis anni 1983 adornatus estj cuius iuridica vis decreto huius Congregationis diei 21 mensis Iunii anni 1985 agnita est.

Servato deinde iuris ordine, testium in processu excussorum declarationes subiectae sunt duobus ex officio deputatis peritis medicis; deinde, die 5 Novembris a. 1986, Collegio Medico eiusdem Congregationis pro Causis Sanctorum, cuius sodales unanima sententia arbitrati sunt agi, in casu, de eventu qui hodiernis medicae artis legibus explicari nequit. Quapropter iudicium medicum secutus est, die 13 Martii a. 1987, Congressus Peculiaris Consultorum theologorum qui, considerato arto nexu causae et effectus, scilicet invocationis caelestis auxilii et repentinae sanationis, proposito dubio num con-

staret in casu de miraculo, cuncti adfirmando responderunt. Quod quidem et Patres Cardinales et Episcopi, in Congregatione Ordinaria die 2 Iunii eodem anno habita, ponente Exc.mo ac Rev.mo Domino Octorino Alberti, Archiepiscopo Spoletano, suum quisque affirmativum suffragium tulerunt.

Facta demum de hisce rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis pro Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut super praefata mira sanatione decretum rite appararetur.

Quod cum factum esset, accitis hodierno die infrascripto cardinali Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque adstantibus, Beatissimus Pater declaravit: ***Constare de miraculo a Deo patrato, intercedente Venerabili Servo Dei Petro Bonilli, sacerdote, fundatore Sororum a S. Familia, scilicet de instantánea, perfecta stabilique sanatione dominae Augustae Abatelli Fiorentini a « shock ipovolemico gravissimo da emorragia post partum in paziente con gestosi pre-eclamptica ».***

Praecepit autem Sanctitas Sua ut hoc Decretum in vulgus ederetur et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 3 mensis Iulii, Anno Mariano 1987.

PETRUS Card. PALAZZINI, ***Praefectus***

L. ***m*** S.

83- Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, ***a Secretis***

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Udienza Ufficiale per la presentazione delle Lettere Credenziali:

Sabato, 17 Ottobre 1987, S. E. il Signor HUBERT WIELAND ALZAMORA, Ambasciatore del Perù presso la Santa Sede.

Sabato, 17 Ottobre 1987, S. E. il Signor JESÚS EZQUERRA CALVO, Ambasciatore di Spagna presso la Santa Sede.

Giovedì, 29 Ottobre 1987 S. E. il Signor PAUL VERBEEK, Ambasciatore della Repubblica Federale di Germania presso la Santa Sede.

Ha, altresì, ricevuto in Udienza :

Sabato, 3 Ottobre 1987, S. E. il Signor PIERRE MEHAIGNERIE, Ministro per la Casa e i Trasporti del Governo francese.

Lunedì, 19 Ottobre 1987, S. E. il Signor ANÍBAL CAVACO SILVA, Primo Ministro del Portogallo.

Sabato, 24 Ottobre 1987, S. E. il Signor JOSÉ NAPOLEÓN DUARTE, Presidente della Repubblica di Ë1 Salvador.

Sabato, 24 Ottobre 1987, S. E. l'Ambasciatore VERNON WALTERS, Rappresentante degli Stati Uniti d'America alle Nazioni Unite.

Martedì, 27 Ottobre 1987, S. E. il Signor RICARDO GARCÍA RODRÍGUEZ, Ministro degli Affari Esteri del Cile.

Lunedì, 7 Settembre 1987 il Santo Padre si è recato in visita alla Badia Greca di Grottaferrata.

Da Giovedì 10 a Lunedì 21 Settembre 1987, il Santo Padre si è recato in Apostolico pellegrinaggio negli Stati Uniti d'America.

Da Giovedì I° a Venerdì 30 Ottobre 1987 si è riunita in Vaticano, alla presenza del Santo Padre, l'Assemblea generale del Sinodo dei Vescovi.

Venerdì 23 Ottobre 1987 si è riunita nel Palazzo Apostolico Vaticano, alla presenza del Santo Padre, la Congregazione per le Cause dei Santi.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

9 ottobre 1987. Mons. Giovanni Battista Re, promosso alla sede titolare vescovile di Vescovìo, con dignità di Arcivescovo, *Segretario della Congregazione per i Vescovi.*

17 » » Mons. Giuseppe Bertello, elevato in qualità di Arcivescovo alla sede titolare di Urbisaglia, *Pro-Nunzio Apostolico in Ghana, Togo e Benin.*

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo TI ha conferito :

9 settembre 1987. P. Giuseppe Ferdinando Leonardi, Ord. Cann. ; Conte Ludovico Masetti Zannini, *Consultori della Congregazione per le Cause dei Santi.*

25 » » L'E.mo Signor Card. Giuseppe Caprio e le LL. EE. i monsignori Paolino Limongi e Antonio Mauro, *Membri della Congregazione per le Cause dei Santi,* nel rispettivo ceto, *a in aliud quinquennium ».*

29 » » Le LL. EE. mons. Hyppolite Berlier e mons. Hanna Qolta; i Padri : Michel Lagarde, P. A., Robert Caspar, P. A., Michael Milunga e Ivan Sokolowski, S. I., *Consultori del Segretariato per i non Cristiani «in aliud annum».*

30 » » S. E. mons. Giuseppe Mees, Arcivescovo tit. di leper, *Membro Vescovo soprannumerario della Congregazione per il Clero e della Congregazione per le Cause dei Santi.*

9 ottobre » Mons. Oscar Rizzato e mons. Crescenzio Sepe, *Assessori della Segreteria di Stato.*

10 » » L'E.mo Signor Cardinale Bernardin Gantin e S. E. mons. Pietro Rossano, Vescovo tit. di Diocleziana, *Membri del Segretariato per i non Cristiani « in aliud quinquennium ».*

13 » » P. Gérard Lemire, S. M. M., Superiore generale dei Padri Monfortani, *Terzo Vice-Presidente della Pontificia Accademia dell'Immacolata.*

15 » » Mons. Umberto Tramma, *Difensore del Vincolo presso il Tribunale della Rota Romana.*

23 » » P. Andrea Erba, Barnabita, ed il Prof. Eugenio Massa, *Consultori della Congregazione per le Cause dei Santi ({in aliud quinquennium)-).*

24 ottobre 1987. P. François von Gunten, O. P. e P. Jean-Pierre Bézette, O. F. M., *Consultori delia Congregazione per la Dottrina della Fede, « in aliud quinquennium ».*

» » » P. Michael Fitzgerald, P. A., Segretario del Segretariato per i non Cristiani, *Consultore delia Commissione per i Rapporti religiosi con l'Ebraismo, presso il Segretariato per l'Unione dei Cristiani.*

» » » L'Eoe.mo mons. Giovanni Battista Ee, Arcivescovo tit. eletto di Vescovìo, Segretario della Congregazione per i Vescovi, *Membro « durante munere » della Pontificia Commissione per la Pastorale delle Migrazioni e del Turismo.*

NECROLOGIO

8 settembre 1987. Mons. Hubert M. Newell, Vescovo emerito di Cheyenne *(Stati Uniti d'America).*

9 » Mons. Paul Joseph Schmitt, Vescovo di Metz *(Francia).*

10 » Mons. Ernest Nyary, Arcivescovo emerito di Bagdad *(Irak).*

14 » Mons. Joäo José da Mota Albuquerque, Arcivescovo emerito di Säo Luís do Maranhäo *(Brasile).*

17 » Mons. Alejandro Fernandez Feo-Tinoco, Vescovo emérito di San Cristóbal de Venezuela *(Venezuela).*

» » Mons. George Patrick Dwyer, Arcivescovo emèrito di Birmingham *(Gran Bretagna).*

24 » Mons. Georges-Léon Pelletier, Vescovo emerito di Trois-Eivieres *(Canada).*

2 ottobre » Mons. Alonso Silveira deMello, Vescovo emerito di Diamantino *(Brasile).*

6 » Mons. Joseph Phan Van Hóa, Vescovo tit. di Acci.

9 » Mons. Toussaint-Léon Chambón, Vescovo emerito di Bossangoa *(Repubblica Centroafricana).*

15 » Mons. Thomas D. Donnellan, Arcivescovo di Atlanta *(Stati Uniti d'America).*

16 » Card. Joseph Höffner, del titolo di Sant'Andrea della Valle.

» » Mons. Antonio Zattera, Vescovo emerito di Pelotas *(Brasile).*

24 » Mons. Antonio Añoveros Ataún, Vescovo emerito di Bilbao *(Spagna).*

27 » Mons. Hugh A. Donohoe, Vescovo emerito di Fresno *(Stati Uniti d'America).*

An. et vol. LXXIX 30 Novembris 1987 N. 11

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: **Palazzo Apostolico - Gttà del Vaticano** — *Administratio:* **Libreria Editrice Vaticana**

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

LITTERAE APOSTOLICAE MOTU PROPRIO DATAE

Quibus iuris canonici iudicialis ratio in Civitate Vaticana ad recentiores Iuris Canonici leges accommodatur.

Quo civium iura in Statu Civitatis Vaticanae iudiciariam haberent tutelam, eamque singulari eius territorii naturae et fini aptam, Decessores Nostri peculiarem tribunalium ordinationem iam ex die VII Iunii anno MCMXXIX constituerunt, quam progressu temporis, usu quidem suadente pluries mutarunt, novissime autem per Motum Proprium « Con la legge », Kalendis Maiis anno MCMXLVI a Pio XII f .r. promulgatum.

Nunc autem eam ordinationem, ut a recenter promulgato Iuris Canonici Codice minus distet, denuo emendare Nobis visum est, in hoc praesertim, quod Tribunali mixto, ex praelato Praeside et duobus iudicibus laicis constanti, cognitionem committat earum causarum ecclesiasticarum, quae indolem patrimonialem vel oeconomicam praebeant.

Cum enim post institutam sectionem alteram Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae et abolitum fori privilegium valde diminutus sit numerus earum causarum, quae in Civitate Vaticana sint agendae, nulla iam ratio est cur generali legi de Ecclesiae competentia derogetur ; ideoque Nobis statuendum visum est ut etiam in Civitate Vaticana de omnibus rebus in can. 1401 recensitis unum videat ecclesiasticum tribunal, cuius ordinatio ad generales normas, quae de dioecesanis tribunalibus in cann. 1421-1426 dantur, quam maxime accedat.

Nec tamen hoc « Motu Proprio)) derogare intendimus praescriptis cann. 1404-1406 et 1417 Codicis Iuris Canonici, neque normis Iuris Canonici generalis de controversiis ex actu potestatis administrativae ortis.

Quapropter — audita Commissione a Nobis constituta — remissis ad leges Status Civitatis Vaticanae iis mutationibus quae de Status tribunalium ordinatione deque aliis civilibus materiis ideo necessariae videantur, quo melius Status legislatio cum spiritu et praescriptis novi Iuris Canonici componatur, certa scientia, Suprema et Apostolica auctoritate Nostra, haec quae sequuntur statuimus :

Art. 1. - In ea Romanae dioecesis parte, quae est in territorio Status Civitatis Vaticanae, tribunal ecclesiasticum primae instantiae constat ex Vicario iudiciali et iudicibus, necnon Promotore Iustitiae, Defensore Vinculi, Notario, quos omnes Summus Pontifex ad quinquennium nominat.

Art. 2. - De Vicarii iudicialis recusatione videt Decanus Rotae Romanae.

Vicarii iudicialis impediti vices interim antiquior iudex praestabit. Alium iudicem impeditum vel personam ex iis, quae in art. 1 recensentur, Vicarius iudicialis subrogabit.

Art. 3. - Iusiurandum ad normam can. 1454 dare non debent ii, qui iam aliud habeant in Ecclesia officium iudiciarium in quo sint eodem iureiurando adstricti.

Art. 4. - Tribunalis ecclesiastici sedes in iisdem aedibus erit, in quibus sedem habet Tribunal Status Civitatis Vaticanae; ibique servabitur Tribunali ecclesiastici tabularium.

Art. 5. - Ad notificationes vel exsecutiones possunt Tribunalis Status Civitatis Vaticanae cursores libere adhiberi.

Art. 6. - Vicario iudiciali, iudicibus, et iis omnibus, qui ad normam articulorum -1 et 2 deputantur, nisi sint Tribunalis Status Civitatis Vaticanae iudices, stipendium dabitur, quod a Decano Rotae Romanae exeunte unoquoque anno iudiciario determinabitur.

Art. 7. - A Tribunali ecclesiastico appellatio fit ad unum Tribunal Rotae Romanae.

Art. 8. - Causas ad forum ecclesiasticum ad normam can. 1401 pertinentes, quae nunc pendent in Civitate Vaticana, eo ipso iudicabit Tribunal ecclesiasticum praesenti Motu Proprio constitutum.

Normas supra expressas a Kalendis Ianuariis anno MCMLXXXVIII vigere volumus.

Quaecumque a Nobis hisce Litteris Apostolicis Motu Proprio datis statuuntur, ea omnia et singula firma et rata esse volumus; contrariis quibuslibet haud obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die xxi mensis Novembris, anno MCMLXXXVII, Pontificatus Nostri decimo.

IOANNES PAULUS PP. II

Loco £ß Sigilli
In Secret. Status tab., n. 201.259.

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

OBALANA

In Cammarunia nova conditur Ecclesia nomine Obalana.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ad spirituale bonum atque regimen Christifidelium intra fines archidioecesis Yaundensis in Cammarunia degentium intendentes, Venerabiles Fratres Nostri S. R. E. Cardinales Congregationis pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide negotiis praepositi, re mature perpensa auditisque eorum quorum interest votis, censuerunt nuper novam illic condendam esse dioecesim. Nos igitur, de universo Dominico grege solliciti, talem sententiam ratam habentes, haec summa Apostolica Nostra decernimus potestate. Ab archidioecesi Yaundensi distrahimus territorium Districtuum civilium, qui vulgo ((Lekié)) et « Haute-Sanaga » nuncupantur, ex eoque novam condimus dioecesim Obalanam appellandam, quam metropolitanae Sedi Yaundensi subicimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide obnoxiam facimus, cuius limites iidem erunt ac duorum civilium Districtuum, quos memoravimus. Praeterea iubemus Episcopi cathedram collocari in principe istius novae dioecesis

templo, quod in ipsa urbe Obalana exstat; cetera secundum canonicas leges temperentur. Quae nunc praescripsimus ad exitum perducet Venerabilis Frater Donatus Squicciarini, Archiepiscopus titulo Tiburniensis atque in Oammarunia Pro-Nuntius Apostolicus, vel ab eo delegatus sacerdos, factis nempe necessariis facultatibus. Re autem acta, documenta exarentur sincerisque exemplis ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide cito riteque mittantur. Has denique Apostolicas Litteras sive nunc sive in posterum ratas esse volumus, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die tertio mensis Iulii, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo septimo, Pontificatus Nostri nono.

© AUGUSTINUS Card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

IOSEPHUS Card. TOMKO
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*
Ioannes De Riccardis, *Proton. Apost. s.n.*

Loco £g Plumbi
In Secret. Status tab., n. 199.5GJ.

II

KOTTAPURAMENSIS

In Indiae Statu cui nomen « Kerala » nova conditur dioecesis Kottapuramensis.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quo aptius evangelizationis operi in Indiae Statu cui nomen « Kerala » provideretur, Venerabiles Fratres Nostri S. R. E. Cardinales Congregationi pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide praepositi, omnibus quidem consentientibus quorum interest, censuerunt nuper novam illic condendam esse dioecesim. Nos igitur de sententia eorum, quam ratam habemus, deque plenitudine Apostolicae

potestatis per has Litteras sub plumbo datas ea decernimus quae sequuntur atque iubemus. Ab archidioecesi Verapolitana partem septentrionalem distrahimus eaque novam Ecclesiam condimus Kattapüramensem appellandam ab urbe principe eiusdem regionis, ita videlicet ut eius fines sint per limites territorii Vicariatuum Foraneorum sexti et septimi archidioecesis Verapolitanae (id est Vicariatus Foranei septentrionales), excluso territorio paroeciae vulgo ((Manjally » nuncupatae cum territorio quoque paroeciae vulgo « Kottuvally » dictae (ex quarto Vicariatu Foraneo), firmis manentibus ceteris limitibus. Praeterea sic constitutam Ecclesiam metropolitanae Sedi Verapolitanae suffraganeam facimus, quam Congregationis pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide iurisdictioni volumus obnoxiam. Decernimus simul ut novae dioecesis Episcopi cathedra in principe sit eiusdem Ecclesiae templo, quod in ipsa urbe « Kottapuram » exstat; pariterque mandamus ut ad statutum ius pro canonicis ibidem consultores dioecesani eligantur ceteraque omnia regantur. Haec denique praescripsimus adducat ad effectum Venerabilis Frater Augustinus Cacciavillan, Archiepiscopus titulo Amiterninus atque in India Pro-Nuntius Apostolicus, vel ab eo delegatus sacerdos, necessariis factis facultatibus. Re vero acta, certa veraque singulorum documentorum exempla ad eandem, quam diximus, Congregationem transmittantur cito, de more signata sigilloque impressa. Hanc vero Constitutionem Nostram per Apostolicas Litteras datam sive nunc sive in posterum ratam esse volumus, nullis quibuslibet rebus vel minime quidem obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die tertio mensis Iulii, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo septimo, Pontificatus Nostri nono.

8B AUGUSTINUS Card. CASAROLI
o *publicis Ecclesiae negotiis*

IOSEPHUS Card. TOMKO
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*
Angelus Lanzoni, *Proton. Apost.*

Loco gß Plumbi
In Secret. Status tab., n. 199.582.

HI

SIVAGANGAIENSIS

In Indiae finibus nova conditur dioecesis nomine Sivagangaiensis.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quae maiori Christifidelium spirituali bono proficiunt, ea, pro gravissimo Apostolico Nostro munere, sedula navitate praestare satagimus. Qua re libentes accipiendam esse remur sententiam Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Congregationi pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide praepositorum, qui, omnibus quidem consentientibus quorum interest, censuerunt nuper novam in Indiae finibus condendam esse dioecesim nonnullis locis ab Ecclesia Madhuraiensi detractis. De plenitudine igitur Apostolicae potestatis ab eadem archidioecesi partem orientalem distrahimus quae continet territoria sex civilium sub-districtuum, vulgo ((taluks » nuncupatorum (Sivagangai, Tirupathur, Tiruvaddanai, Ramand, Paranakudi, Mudukulathur) et insulam Rameshwaram, pertinentia ad civilem districtum Ramathapuram , firmis manentibus in ipsa archidioecesi territoriis trium civilium sub-districtuum Srivilliputhur, Sathur et Aruppukottai, qui ad civilem quoque districtum Ramathapuram pertinent; atque ex iis ita detractis locis novam condimus dioecesim Sivagangaiensem appellandam, quam metropolitanae Sedi Madhuraiensi subicimus et iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide obnoxiam facimus, cuius limites iidem erunt ac civiles fines sex sub-districtuum et insulae, quos memoravimus. Praeterea iubemus cathedram Episcopi collocari in principe istius novae dioecesis templo, quod in ipsa urbe Sivagangai exstat; cetera secundum canonicas leges temperentur. Quae nunc praescripsimus perducat ad exitum Venerabilis Frater Augustinus Cacciavillan, Archiepiscopus titulo Amiterninus atque in India Pro-Nuntius Apostolicus, vel ab eo delegatus sacerdos, factis nempe necessariis facultatibus. Re autem acta, documenta exarentur sincerisque exemplis ad Congregationem, quam di-

ximus, cita riteque mittantur. Has denique Apostolicas Litteras sive nunc sive in posterum ratas esse volumus, contrariis nihil obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die tertio mensis Iulii, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo septimo, Pontificatus Nostri nono.

© AUGUSTINUS Card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

IOSEPHUS Card. TOMKO
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Iosephus Del Ton, *Proton. Apost.*
Rodomontes Galligani, *Proton. Apost. s.n.*

Loco £ß Plumbi
In Secret. Status tab., n. 199.58!¡.

IV

TRUXILLENSIS IN HONDURIA

In Honduria nova conditur dioecesis nomine Truxillensis in Honduria.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Pro Supremi Ecclesiae Pastoris munere de omnium Christifidelium spirituali bono atque regimine solliciti, accipiendam esse sententiam putamus Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. EJ. Cardinalium, qui Congregationi pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide praesunt, de nova videlicet in Honduriae finibus constituenda dioecesi, quibusdam locis ab Ecclesia de Sancto Petro Sula detractis, auditis antea eorum quorum interest votis. Summa igitur Apostolica Nostra potestate a dioecesi de Sancto Petro Sula distrahimus civiles districtus, qui vulgo « Colón » et « Gracias a Dios » nuncupantur, ex iisque novam condimus dioecesim Truxillensem in Honduria, appellandam, quam metropolitanae Sedi Tegucigalpensi subicimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide obnoxiam facimus, cuius limites iidem erunt ac duorum civilium districtuum, quos memoravimus. Praeterea iubemus Episcopi cathedram haberi in principe istius novae dioecesis templo, quod iri urbe « Trujillo)) exstat ; cetera secundum canonicas leges volumus

temperari. Haec quae praescripsimus perficienda curabit Venerabilis Frater Franciscus De Nittis, Archiepiscopus titulo Tunetensis atque in Honduria Nuntius Apostolicus, vel ab eo delegatus sacerdos, factis nempe necessariis facultatibus. Re autem acta, documenta exarentur sincerisque exemplis ad Congregationem, quam diximus, mittantur. Hanc denique Constitutionem Nostram nunc et in posterum efficacem esse foreque volumus, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die tertio mensis Iulii, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo septimo, Pontificatus Nostri nono.

© AUGUSTINUS Card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

IOSEPHUS Card. TOMKO
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*
Angelus Lanzoni, *Proton. Apost.*

Loco Plumbi
In Secret. Status tab., n. 199.588.

V

MALANGENSIS-SOATENSIS

In Columbia nova conditur dioecesis Malangensis-Soatensis.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quo efficacius provideretur spirituali bono Christifidelium in civilibus Columbiae regionibus seu « departamentos)) quibus nomina « Santander » et « Boyacá)) degentium, Venerabiles Fratres Hector Rueda Hernández, Archiepiscopus Metropolita Bucaramanguensis et Iesus Maria Coronado Caro, Episcopus Duitamensis, Conferentia Episcoporum Columbiae audita, ab hac Apostolica Sede petiverunt ut a circumscriptionibus ecclesiasticis suis peramplis distractis territoriis nova constitueretur dioecesis. Nos, favente quoque eidem rei Venerabili Fratre Angelo Acerbi, Archiepiscopo titulo Zellensi, in eadem Natione Apostolico Nuntio, admotae postulationi concedendum esse putavimus.

Summa igitur Apostolica Nostra potestate, consensu suppleto eorum, quorum interest, vel qui sua interesse putant, quae sequuntur decernimus. Ab archidioecesi Bucaramanguensi separamus territoria civilium municipiorum vulgo nuncupatorum : Capitanejo, Carcasí, Cefitá, Cerrito, Concepción, Enciso, Guaca, Macaravita, Málaga, Molagavita, San Andrés, San José de Miranda et San Miguel, in provincia civili cui nomen García Rovira; a dioecesi autem Duitamensi seiungimus territoria municipiorum civilium vulgo dictorum : Boavita, Cobarachía, La Uvita, Soatá, Susacón et Tipacoque, intra fines civilis provinciae cui nomen Norte; necnon Oliscas, El Cocuy, El Espino, Guacamayas, Güicán, Panqueva et San Mateo, intra fines provinciae civilis cui nomen Gutiérrez, atque ex ita distractis territoriis novam condimus dioecesim Malangensem-Soatensem appellandam, iisdem circumscriptam finibus quibus municipia, quae memoravimus, in praesens terminantur. Huius novae dioecesis sedem in urbe vulgo Málaga statuimus ibique exstans paroeciale templum, Deo dicatum in honorem Conceptionis Immaculatae Beatae Mariae Virginis, ad gradum et dignitatem Ecclesiae Cathedralis evehimus cuique insignia et privilegia propria tribuimus; atque, cum vero intra fines erigendae dioecesis urbs vulgo Soatá, incolarum frequentia, quaestuosa industria negotiisque floreat, quo aptius animarum saluti consulatur, paroeciale templum in eadem urbe exstans, Deo in honorem Conceptionis Immaculatae Beatae Mariae Virginis dicatum, ad Ecclesiae Concathedralis dignitatem tollimus, item cum insignibus propriisque privilegibus. Dioecesim Malangensem-Soatensem suffraganeam facimus archidioecesis Bucaramanguensis eiusque pro tempore Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi Bucaramanguensis subicimus, iisdem iuribus, privilegiis, honoribus insignitum, atque oneribus et obligationibus adstrictum, quae Episcoporum residentium propria sunt, cui quidem ut validum praebeatur auxilium, quam primum ibidem iubemus constitui, ad normam iuris, Consultorum Collegium. Quod attinet ad mensam episcopalem novae dioecesis, eam constituent Curiae emolumenta, fidelium oblationes, dos a civili suppeditanda Potestate et portio bonorum, quae ad normam can. 122 C.I.C. ei obvenire debent quaeque hactenus ad memoratas ecclesiasticas circumscriptiones pertinuerunt. In iis autem quae respiciunt ad seminarii dioecesani aedificationem atque ad sacrorum alumnorum institutionem serventur praescripta iuris communis, prae oculis habitis normis ac regulis a Congregatione pro Institutione Catholica statutis. Provideatur insuper ut selecti seminarii

alumni, philosophicis ac theologicis imbuendi disciplinis, necnon sacerdotes sua studia completuri, Romam, ad Pontificium Collegium Pium Americanum, mittantur. Quod autem attinet ad regimen dioecesis, administrationem ecclesiasticorum bonorum, dioecesani administratoris, sede vacante, electionem, fideliumque iura et onera aliaque id genus, quae sacri canones praescribunt ad amussim serventur. Atque simul ac dioecesis erectio ad effectum deducta fuerit, sacerdotes illi adscripti censeantur Ecclesiae in cuius territorio ecclesiasticum officium detinent; ceteri vero sacerdotes, clerici sacrorumque alumni incardinati maneant vel incardinentur Ecclesiae in cuius territorio legitimum habent domicilium. Acta et documenta, quae noviter erectam dioecesim, eiusque fideles bonaque temporalia respiciunt, a Curiis archidioecesis Bucaramanguensis simul et dioecesis Duitamensis ad Curiam Malangensem-Soatensem rite transmittantur, in condendo tabulario servanda. Haec, quae praescripsimus, perficienda committimus Venerabili Fratri Angelo Acerbi, quem diximus, necessarias et opportunas eidem tribuentes facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi. Hanc denique Constitutionem Nostram per Apostolicas sub plumbo Litteras datam sive nunc sive in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die septimo mensis Iulii, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo septimo, Pontificatus Nostri nono.

© AUGUSTINUS Card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

83 BERNARDINUS Card. G ANTIN
Congr. pro Episcopis Praef.

Marcellus Rossetti, ***Proton. Apost.***
Angelus Lanzoni, ***Proton. Apost.***

Loco 83 Plumbi
In Secret. Status tab., n. 199Jfil¡.

VI

SANCTI BERNARDI

In Chilia nova dioecesis conditur Sancti Bernardi.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Omnium Ecclesiarum sollicitudine urgemur ut universi Dominici gregis spirituali bono sedula navitate consulamus. Ob eam causam, cum Venerabilis Frater Noster Ioannes Franciscus S. R. E. Cardinalis Fresno Larraín, Archiepiscopus Metropolita Sancti Iacobi in Chile, Conferentia Episcoporum Chiliae audita, ab hac Apostolica Sede postulavisset ut a circumscriptione ecclesiastica sua peramplo distracto territorio nova constitueretur dioecesis, Nos, favente quoque eidem rei Venerabili Fratre Angelo Sodano, Archiepiscopo titulo Novacaesariensi, in eadem Natione Apostolico Nuntio, de consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, qui Congregationis pro Episcopis negotia gerunt, admotae postulationi libentes concedendum esse putavimus. De plenitudine igitur Apostolicae Nostrae potestatis, consensu suppleto eorum, quorum interest, vel qui sua interesse putant, quae sequuntur decernimus. Ab archidioecesi Sancti Iacobi in Chile territorium separamus quod complectitur sequentia civilia municipia vulgo nuncupata: San Bernardo, Calera de Tango, Buín, Paine, El Bosque, La Pintana et Pirque, atque ex ita distracto territorio novam condimus dioecesim Sancti Bernardi appellandam, quae iisdem limitabitur finibus, quibus municipia, quae memoravimus, ut civili lege exstant, in praesens terminan tur. Sic conditae Ecclesiae sedem in urbe cui nomen « San Bernardo » ponimus, episcopalis magisterii cathedram in templo paroeciali eadem in urbe exstante, Deo dicato in honorem Sancti Bernardi Abbatis, quod ad cathedralis Ecclesiae gradum evehimus cuique insignia et privilegia tribuimus, quae ceterarum cathedralium Ecclesiarum sunt. Praeterea dioecesim Sancti Bernardi suffraganeam facimus archidioecesis Sancti Iacobi in Chile eiusque pro tempore Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi Sancti Iacobi in Chile subicimus, iisdem iuribus, privilegiis, honoribus insignitum, atque oneribus et obligationibus adstrictum, quae sunt Episcoporum residentium propria, mandantes quoque ut quam primum ibi Collegium Consultorum constituatur, qui Episcopo, con-

silio et opera, valido sint auxilio. Quod attinet ad mensam episcopalem novae dioecesis, eam constituent Curiae emolumenta, fidelium stipes necnon portio bonorum, quae ad mentem can. 122 C. I. C. a mensa archiepiscopali Sancti Iacobi in Chile ei obvenire debent. In iis vero quae respiciunt ad seminarii dioecesani aedificationem atque ad sacrorum alumnorum institutionem apte comparandam, praescripta iuris communis serventur, ratione sane habita normarum a Congregatione pro Institutione Catholica editarum. Provideatur insuper ut selecti alumni sacrorum philosophicis ac theologicis disciplinis instruendi, necnon sacerdotes quibus altiora studia complenda fuerint, Romam ad Pontificium Collegium Pium Latinum Americanum mittantur. Quod autem attinet ad novae dioecesis regimen, bonorum ecclesiasticorum administrationem, dioecesani administratoris, vocante sede, electionem, fidelium iura et onera aliaque id genus, ad amussim serventur quae sacri canones praescribunt. Atque simul ac dioecesis erectio ad effectum deducta fuerit, sacerdotes illi adscripti censeantur Ecclesiae in cuius territorio ecclesiasticum officium detinent ceteri vero sacerdotes, clerici seminariique tirones incardinati maneant vel incardinentur Ecclesiae in cuius territorio legitimum habent domicilium. Acta et documenta quae respiciunt ad noviter erectam dioecesim eiusque fideles et bona temporalia, a Curia Sancti Iacobi in Chile ad curiam Sancti Bernardi de more transmittantur, in condendo tabulario servanda. Haec, quae praescripsimus, ad effectum adducat Venerabilis Frater Angelus Sodano, quem diximus, cui necessarias simul facultates singulas tribuimus etiam subdelegandi ad omnia exsequenda de quibus agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Episcopis vera exemplaria perfectae illius exsecutionis remittendi. Has denique Litteras sive nunc sive in posterum ratas esse volumus, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die decimo tertio mensis Iulii, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo septimo, Pontificatus Nostri nono.

© AUGUSTINUS Card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

Œ BERNARDINUS Card. GANTIN
Congr. pro Episcopis Praef.

Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*
Ioannes De Riccardis, *Proton. Apost. s.n.*

Loco © Plumbi
In Secret. Status tab., n. 199445.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Ad dilectum filium Ioannem M. Lasso de la Vega y Miranda Moderatorem generalem Congregationis Sanctissimi Redemptoris bis centenario memoria incidente ab obitu S. Alfonsi Mariae de Ligorio.

Dilecto Filio
Ioanni M. Lasso de la Vega y Miranda
Moderatori Generali
Congregationis Sanctissimi Redemptoris

« SPIRITUS DOMINI super me; propter quod unxit me; evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde... » *(Lc* 4, 18; cf. *Is* 61, 1). Hae Biblicae voces, quas Christus, adorandus Dei Filius Patrisque Missus, sibi accommodavit initio muneris sui Messianici, quaeque Liturgiam aperiunt diei festi S. Alfonsi Mariae de Ligorio (cf. Antiphonam Missae propriae), sollemne quid resonant in hac die, in qua bis centesimam anniversariam memoriam celebramus ab diligentissimi huius Episcopi, Ecclesiae Doctoris, atque Conditoris Congregationis a Sanctissimo Redemptore exitu.

Magno nimirum animi gaudio hodie te omnesque S. Alfonsi Filios alloquimur, eum Sanctum una cum omni Ecclesia colentes, qui suo tempore sapientiae magister, iam tum vitae instituto, tum etiam doctrina pergit, quasi repercussa Christi lux, luminis gentium, iter populi Dei collustrare.

Alfonsus, ut paucis in eius vita immoremur, Marianellae, in Neapolitano pago ortum habuit, a.d. v Cal. Octobres, anno MDCXCVI. Cumque e nobilissima familia ortum duceret, liberali sane ratione educatus est, ad optimorum scilicet scriptorum opera, ad Iurisque leges. Eius autem formationi in adulescentia atque iuventa usus christianae religionis iunctus est diligens ac studiosus: pietatis dicimus in sanctissimam Eucharistiam Christique Matrem; visitationum aegrotorum atque in carcere detentorum; amabilitatis erga pauperes, laborum aeque susceptorum ad propagandam atque intendendam religionem inter laicos.

At ecce, post exordium clarissimum in foro Neapolitano,

Alfonsus saeculo cessit, ut uni Deo serviret. Quare, triginta annorum cum esset, die uno et vicesimo mensis Decembris, anno MDCCXXVI, sacerdotio initiatus est, et in clero Neapolitano annumera tus.

Ilico vero apostolatui se toto animo dedidit in « pauperrimis Neapolis urbis vicis », eo, praecipuo studio spectans ut « Vespertinae cappellae » (sic dicebantur) tam revirescerent, ut fierent civilis atque moralis educationis domicilia. Item, ut erat Sodalis Consociationis « Apostolicarum Missionum » Neapolitanae dioecesis, praedicationem in suburbiis atque in regni pagis aggressus est. Quae sane res haud parvi momenti fuit: nam, cum Alfonsus eam populi partem penitus usu cognovisset, humani cultus omnino expertem ac religionis sane rudem, iam eius inclinatio ad curandas « animas maximopere derelictas » per agros pagosque maturuit in animo. Ad evangelizandos ergo pauperes, die ix mensis Novembris, anno MDCCXXXII, Scalae, apud Salernum, Missionarium Institutum condidit, Congregationem videlicet a Sanctissimo Redemptore, cuius proprium esset praesertim mobilem praedicationem, exercitia spiritualia, catechesim curare aptam populo. Per triginta autem annos (ab anno MDCCXXXII, ad MDCCLXII) studium missionarium, quod in pectore habebat acerrimum, id effecit ut non modo coepta multa ac varia iniret, sed etiam ut captum vitae institutum, pauperes videlicet humilesque curandi, confirmaret.

Anno autem MDCCLXII Episcopus S. Agathae Gothorum renuntiatus est, in quo munere tuendo Pastoris industriam fere incredibilem posuit, sive ad illius respiciamus labores, sive ad scripta. Sed iam heu! gravissima artrithide fractum oportuit eum, relicta anno MDCCLXXIX dioecesi, se in urbem Paganos, in Salerni provincia, recipere, scilicet in religiosam domum Instituti quod ipse condiderat ; ibique innumeris aerumnis molestiisque oppressus, quas sane divinae obsequens voluntati aeque tulit, degit usque ad mortem; quae die prima mensis Augusti, anno MDCCLXXXVII, hominem tantum rapuit, annos natum nonaginta unum.

Diuturnam autem eius vitam si consideres, semper quidem ea fuit opere plena, sic ut consuevit esse vita Missionarii, Episcopi, Theologi, Conditoris et Moderatoris Societatis Religiosae. Post autem brevem eius casuum expositionem, iam hic

continuo quale fuerit eius momentum in illius temporis societate iusto in lumine collocare placet. Atque primum, dicendum est eum, ad medendum populi necessitatibus, cum sueto verbi et industriae apostolatu scripta etiam copulasse: agitur nimirum de duabus eius vitae formis, quarum altera alteram fulcit, quaeque universae Alfonsi industriae pastoralem notam imprimunt. Namque in illo omnis scriptoris cura e praedicatione manat ad eamque tandem iterum ducit, semper ad unam hominum salutem respiciens. Hoc autem litterarium ministerium e scriptis « Massime eterne » et « Canzoncine spirituali » initium cepit; eiusque intentio quo tempore episcopatum gerebat fere in immensum crevit. Praecipua eius operum argumenta ad centum undecim numerantur, ac tria summopere attingunt: moralia, fidem, pietatem.

Verum enimvero fuit *Alfonsus rerum moralium,* id est doctrinae de moribus, *restitutor.* Nam e magno usu confessionum, quas maxime praedicationis tempore excipiebat, paulatim nempe ac non sine labore, mentem suam ita mitigavit, ut ad iustam aequilibritatem appelleret, aeque severitate cum libertate iugata. Ad nimium autem rigorem quod attinet, quo saepe sacerdotes in administrando sacramento Paenitentiae ducebantur (quod sacramentum ipse « ministerium gratiae ac veniae » vocare consuescebat) dicere solebat: « Nimium rigorem in confessione aeque corrumpere animas ac nimiam indulgentiam. Quare se improbare rigorem contra scientiam, utpote qui in destructionem, non autem in aedificationem, cederet. Cum peccatoribus, aiebat, caritatem atque lenitatem esse adhibendam in Christi similitudinem. Quam ob rem, si Deo animas lucrari velimus, oportere nos iam non Iansenium illum imitari, sed Iesum Christum, missionariorum exemplar».[1]

die 25 Novembris. — Cathedrali Ecclesiae Rancaguensi Exc.mum P. D. Georgium Medina Estévez, hactenus Episcopum titularem Thibilitanum, Auxiliarem et Administratorem Apostolicum « sede vacante » eiusdem ecclesiasticae circumscriptionis.

die 26 Novembris. — Cathedrali Ecclesiae Linensi R. P. Irenaeum Danelon, Societatis Sancti Francisci Salesii sodalem.

COLLATIO DIGNITATIS

die 14 Novembris 1987. — Ad dignitatem archiepiscopalem evehexit Exc.mum P. D. Dominicum Vacchiano, Praelatum Pompeianum.

CONGREGATIO PRO GENTIUM EVANGELIZATIONE SEU DE PROPAGANDA FIDE

DECRETA

I

DUMKAËNSIS

Declarationis Ecclesiae Cathedralis dioecesanae

Abhinc quinque lustra, Summus Pontifex Ioannes XXIII, v.m. per Apostolicam Constitutionem *Eæsultat Sancta Mater,* die octava mensis Augusti anno Domini 1962 datam, novam Ecclesiam dioecesanam Dumkaènsem, Calcuttensi Sedi metropolitanae suffraganeam erexit et nunc Exc.mus ac Rev.mus Dominus Stephanus M. Tiru, Episcopus Dumkaënsis, auditis quorum interest, ab Apostolica Sede expostulavit, ut, ad divinum cultum rectius servandum, Ecclesia, noviter exstructa, in honorem Conversionis Sancti Pauli Apostoli Gentium Deo dicata, templum cathedrale dioecesis Dumkaënsis declararetur.

Sacrum vero Consilium Christiano Nomini Propagando, omnibus mature perpensis, vigore facultatum sibi a Sanctissimo Domino Nostro Ioanne Paulo divina Providentia Pp. II tributarum, praesenti Decreto suppletorio, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, statuit memoratum templum Deo in honorem Sancti Pauli Apostoli eiusdemque Conversionis, dicatum, dignitate et gradu Ecclesiae Cathedralis dioecesis Dumkaënsis gaudere cum omnibus iuribus et privilegiis adnexis de iure vel de consuetudine.

Ad haec exsecutioni mandanda hoc Dicasterium Missionale Exc.mum ac Rev.mum Dominum Augustinum Cacciavillan, Archiepiscopum titulo Amiterninum atque Apostolicum in India Pro-Nuntium deputat, servatis de iure servandis.

Datum Romae, ex Aedibus ipsius Dicasterii pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide, in memoria Sancti Petri Claver, die nono mensis Septembris anno Domini 1987.

IOSEPHUS Card. TOMKO, *Praefectus*

L. © S.

ffi Iosephus T. Sánchez, *a Secretis*

In Congr. pro Gentium Evang. tab., n. 4547/87.

II

DARUENSIS-KIUNGANAE

De Concathedralis erectione deque nominis Dioeceseos mutatione.

Per Constitutionem Apostolicam *Laeta incrementa,* die decimo quinto mensis Novembris anno Domini 1966 datam, Summus Pontifex Paulus VI, fel. rec, Praefecturam Apostolicam Daruensem, in Papua Nova Guinea, ad dignitatem Dioeceseos, immutato nomine, Ecclesiae Metropolitanae Portus Moresbiensi suffraganeae et huic Sacro Consilio Christiano Nomini Propagando obnoxiae, evexit; domicilium et Cathedram Episcopi in urbe vulgo Daru collocavit.

Cum autem in finibus eiusdem Dioecesis urbs exstat vulgo Kiunga nuncupata, quae in dies succrescens incrementa coepit, opportunum visum est praefatae urbis nomen veteri appellationi, rectius immutatae, adiungere.

Quapropter Exc.mus ac Rev.mus Dominus Gerardus Deschamps, Episcopus Daruensis, animarum bono satius consulere cupiens, ab Apostolica Sede nuper expostulavit ut dioecesis nomen congrue mutaretur atque templum in memorata urbe exstans, Deo in honorem Sancti Gerardi dicatum, ad fastigium Concathedralis eveheretur.

Porro hoc Dicasterium Missionale, re mature perpensa, porrectis precibus annuendum censuit atque praehabito favorabili voto Exc.mi ac Rev.mi Domini Antonii Mariae Vegliò, Archiepiscopi titulo Aeclanensis atque Apostolici in Papua-Nova Guinea Pro-Nuntii, necnon Episcoporum Conferentiae in eadem Natione, vigore facultatum sibi a Sanctissimo Domino Nostro Ioanne Paulo divina Providentia Pp. II tributarum, hoc Decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, memoratum templum Sancti Gerardi ad dignitatem Ecclesiae Concathedralis evehit in qua Cathedra episcopalis erigetur simulque indulget ut dioecesis deinceps vocari queat *Duruensis-Kiungana* eiusque pro tempore Antistes *Daruensis-Kiunganus* et proinde fas erit Episcopo in civitate Kiunga pro lubito residere et in memorata Concathedrali pontificalia peragere. Ad haec exsecutioni mandanda, hoc Dicasterium deputat supralaudatum Exc.mum Pro-Nuntium Apostolicum. Contrariis non obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus ipsius Congregationis, die quarta mensis Septembris anno Domini 1987.

IOSEPHUS Card. TOMKO, *Praefectus*

L. © S.

© Iosephus T. Sánchez, *a Secretis*

In Congr. pro Gentium Evangel. tab., n. 4470/87.

PROVISIO ECCLESIARUM

Ioannes Paulus divina Providentia Pp. II, latis decretis a Congregatione pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide, singulis quae sequuntur Ecclesiis sacros Pastores dignatus est assignare. Nimirum per Apostolicas sub plumbo Litteras praefecit:

die 28 Augusti 1987. — Cathedrali Ecclesiae Loloënsi Exc.mum P. D. Ferdiandum Maemba Liwoke, hactenus Episcopum titulo Balianensem eiusdem dioecesis Auxiliarem.

— Cathedrali Ecclesiae Bondukuensi noviter in Litore Eburneo erectae, R. P. Alexandrum Kouassi, Abenguruensis dioecesis Vicarium generalem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Giufitanae R. D. Eduardum Mathos, Bossangoënsis dioeceseos Vicarium generalem ac in Re publica Africae Mediae Pontificalium Operum Directorem nationalem, quem deputavit Auxiliarem Exc.mi P. D. Sergii Adulfi Govi, Episcopi Bossangoënsis.

die 3 Octobris. — Cathedrali Ecclesiae Berbératensi R. P. Hieronymum Michaelem Martin, Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum sodalem, hucusque Administratorem Apostolicum eiusdem dioecesis.

— Cathedrali Ecclesiae Aitapensi R. P. Brennum Iacobum Barnes, ex Ordine Fratrum Minorum, Publicae Securitatis in Papua Nova Guinea militum Cappellanum Inspectorem.

— Cathedrali Ecclesiae Sapporensi R. P. Petrum Toshio Jinushi, curionem atque Defensorem Vinculi tribunalis dioecesani.

— Cathedrali Ecclesiae nuper erectae Kinkalanae in Congensi Dicione Exc.mum P. D. Anatolium Milandou, Episcopum titulo Caprensem ac Auxiliarem Brazzapolitanum.

— Titulari episcopali Ecclesiae Horrensi R. D. Carolum Stetter, e clèro dioecesis Rottenburgensis, sacerdotem « Fidei donum » in Chiquitosensi Vicariatu, nunc parochum in oppido vulgo « Rechberghàusen », quem deputavit Auxiliarem eiusdem Vicariatus Ordinarii.

die 17 Octobris. — Titulari episcopali Ecclesiae Urbis Salviae, R. D. Iosephum Bertello, e dioecesi Eporediensi, Apostolicae Nuntiaturae

Consiliarium, quem dignitate archiepiscopali ornavit atque Pro-Nuntium Apostolicum in Dicionibus Ganensi, Togana et Beninensi nominavit.

die 18 Novembris. — Metropolitanae Ecclesiae Songeanae nuper erectae in Tanzania, Exc.mum P. D. Iacobum Komba, hactenus Episcopum eiusdem nominis dioecesis.

— Cathedrali Ecclesiae Ahiaranae, noviter erectae in Dicione Nigeriana, Victorem Chikwe, parochum in pago vulgo « Emekuku » nuncupato, Overriensium curionum primum necnon officialem tribunalis dioecesani.

— Cathedrali Ecclesiae Rustenburgensi, recens erectae in Africa Australi, R. P. Henricum Lancellottum Paxton Hallett, autochthonem, Congregationis Sanctissimi Redemptoris sodalem, hucusque Praefectum eiusdem missionis Apostolicum.

— Cathedrali Ecclesiae Alivalensi R. D. Fridericum Lobinger, e clero dioecesis Passaviensis, hucusque eiusdem dioecesis africanae Administratorem Apostolicum.

— Coadiutorem Exc.mi P. D. Donaldi Iosephi Murray, Makurdensis Episcopi, R. D. Athanasium Atule Usuh, Vicarium eiusdem dioecesis generalem.

— Coadiutorem Exc.mi P. D. Andreae Perraudin, Kabgayensis Archiepiscopi-Episcopi, R. D. Thaddaeum Nsengiyumva, Byumbanae dioecesis Vicarium generalem atque dioecesani Seminarii minoris rectorem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Thabracensi R. D. Sebastianum Dalis, parochum in oppido vulgo Balatoc, quem deputavit Auxiliarem Ordinarii Apostolici Vicariatus Montani in Philippinis.

NOMINATIONES

Peculiaribus datis decretis, Congregatio pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide ad suum beneplacitum renuntiavit:

die 1 Octobris 1987. — R. P. Ioannem Roche, Superiorem Regionalem sodalium Sancti Patritii pro Missionibus ad Exteros Societatis in Malawi inque Zambia, *Administratorem Apostolicum « sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis »* dioecesis Mzuzuensis.

die 18 Novembris. — Exc.mum P. D. Fridericum Lobinger, Alivalensem Episcopum, *Administratorem Apostolicum dioecesis vacantis De Aarensis.*

Dato decreto a Congregatione pro Gentium Evangelizatione, Apostolicis sub anulo Piscatoris litteris renuntiatus est:

die 7 Novembris 1987. — Exc.mus P. D. Beniaminus Stella, Archiepiscopus titulo Midilensis, *Pro-Nuntius Apostolicus in Congensi Dicione.*

CONGREGATIO PRO CAUSIS SANCTORUM

DECRETA

I

CRACOVIEN.

Canonizationis Servae Dei Angelae Salawa, Virginis saecularis ex III Ordine saeculari S. Francisci Assisiensis.

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

Servam Dei Angelam Salawa, archidioecesis Cracoviensis decus itemque Tertii Ordinis saecularis S. Francisci Assisiensis possumus admirari vestigiis sequentem Beatam Virginem Mariam, quae, cum se « ancillam Domini appellavisset, usque in finem fidelis perstitit in eo quod hoc nomen significat et sic comprobavit se esse veram discipulam Christi » *(Redemptoris Mater,* 41). Et ipsa enim per totam vitam terrestrem confirmare voluit se esse veram Christi discipulam, « qui fortiter in lucem proferebat munus suum natura esse servire,

affirmans Filium hominis non venisse ministrari sed ministrare et dare animam suam redemptionem pro multis » *(Mt* 20, 28 ; Ioannes Paulus II, Litt. Encycl. *Redemptoris Mater,* 41).

Serva Dei Angela Salawa in pago nata est communi sermone *Siepraw* dicto, apud urbem Cracoviam, die 9 mensis Septembris anno 1881 et paucos post dies Baptismum accepit.

A piissimis et paupérrimas parentibus christiane educata, Angela a pueritia signa ostendit singularis pietatis et navitatis, et sexdecim annos nata Cracoviam se contulit, ut famularetur.

Quandoquidem christianam suam dignitatem existimabat obligatoriam ad sanctitatem vocationem, statuit firmiter gratiae divinae respondere simulque deprecationi et meditationi, ex qua consilium cepit se Domino consecrandi voto castitatis perpetuae, et animadvertens se vocari ad conficiendum iter perfectionis in statu laicali, Iesum humilem et pauperem sequi delegit uti famula per totam vitam.

Ascripta in Consociationem S. Zitae et in vita interiore progrediendi studiosa sapientem rectionem invenit in Confessione et in moderatione spiritali diligentium sacerdotum, quibus semper oboedire voluit cum fidei spiritu. Mirabili constantia famulatu suo fungebatur et vacuum tempus insumebat in assiduam lectionem librorum asceticorum et mysticorum, qui multum ei profuerunt ad altius Christi mysteria penetranda, ad vivendum in communione cum Beata Virgine Maria et ad liberalem curam adhibendam de iis, quae cum ea laborabant.

Priore totius orbis terrarum bello Serva Dei non sine incommodis sponte sauciatis et aegrotis assedit in valetudinario Cracoviensi, in quo eam omnes ut sanctam reverebantur.

In gravibus moeroribus, quos saepissime in vita passa est ob vicissitudines et etiam ob humanas iniustitias, omnem aerumnam Domino offerebat, nitens particeps esse eius Passionis seraphico cum ardore, professione franciscanae Tertii Ordinis Saecularis exacuto.

Anno 1918 doloribus compulsa ad laborem relinquendum, in miseram cellam se recepit, ubi quattuor annos vixit in intima mysteriorum Domini contemplatione, sustentata Communione Eucharistica et tutela Beatae Virginis Mariae, immutabilem ostendens perfectam laetitiam in doloribus corporis et spiritus, quibus afficiebatur, et admirationem sui iniciens iis, qui salutandi causa ad eam veniebant.

Fine vitae terrenae appropinquante, Serva Dei in suo memoriali libello ad gloriam gratiae Domini scripsit : ((De mea vita recogitans,

credo me in ea vocatione esse, in eo loco et statu, ad quae me Deus ab infantia vocavit ».

Mense Februario anno 1922, ultimo devotionis actu, victimam se Deo obtulit pro eius regni propagatione in Polonia et in mundo. Inde deducta est in valetudinarium S. Zitae, ubi, gratia sacramentorum refecta et in serena contemplatione defixa, in Domino exspiravit die 12 mensis Martii anno 1922.

Post Servae Dei mortem, ratione habita famae sanctitatis quae continenter in Polonia divulgabatur et aliis Nationibus, Archiepiscopi Cracovienses ab anno 1948 eius Canonizationis Causam egerunt. Instructi Processus Informativi sunt et Romam missi ; quos secuta sunt Decretum super scriptis die 10 Decembris anno 1963, Decretum super Introductione Causae die 30 Martii anno 1981 et eodem die Decretum vacationis Processus Apostolici; Decretum super non cultu editum est die 11 mensis Novembris anno 1983, Decretum vero auctoritatis horum Processuum die 20 mensis Iunii anno 1986.

Interim, novis comparatis documentis de vita et virtutibus Servae Dei, est exornata secundum praescriptiones Congregationis pro Causis Sanctorum Positio super virtutibus. Quibus rebus peractis, dubium : An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate in Deum et in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine earumque adnexis in gradu heroico (in casu et ad effectum de quo agitur, a Theologis est exquisitum et primum quidem, die 12 mesis Apirilis vertentis anni 1987, in Congressu Peculiari Patrum Consultorum, moderatore Rev.mo Domino Antonio Petti, Fidei Promotore Generali ; postea, die 3 mensis Iunii eodem anno, in Coetu Patrum Cardinalium et Episcoporum, in Vaticanis Aedibus celebrato, Ponente Em.mo Cardinali Andrea Maria Deskur ; et in utroque Coetu sententiae consentientes fuerunt.

De his omnibus actis certior factus est summus Pontifex Ioannes Paulus II per subscriptum Cardinalem Praefectum, qui vota Congregationis pro Causis Sanctorum rata habens, Decretum super virtutibus Servae Dei apparari iussit.

Quod cum rite factum esset, accitis hodie Cardinalibus infrascripto Praefecto atque Andrea Maria Deskur, Causae Ponente, meque Antistite a Secretis, ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater edixit : *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de*

cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Angelae Salawa, virginis saecularis ex Tertio Ordine saeculari S. Francisci Assisiensis, in casu et ad effectum de quo agitur.

Decretum autem hoc publici iuris fieri et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referri iussit.

Datum Romae, die 23 Octobris, Anno Mariali 1987.

PETRUS Card. PALAZZINI, *Praefectus*

L. © S.

ffi Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

II

FALISCODUNEN.

Canonizationis Servae Dei Luciae Burlini, Virginis saecularis (1710-1789).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

((Filius Dei, in natura humana Sibi unita, morte et resurrectione sua mortem superando, hominem redemit et in novam creaturam transformavit. Communicando enim Spiritum suum, fratres suos, ex omnibus gentibus convocatos, tamquam ocrpus suum mystice constituit. In corpore illo vita Christi in credentes diffunditur, qui Christo passo atque glorificato, per sacramenta arcano ac reali modo uniuntur » (Conc. Oec. Vat. II, Constitutio Dogmatica de Ecclesia *Lumen gentium,* 7).

Eiusmodi vocatio ad actuose participandam vitam, passionem et resurrectionem Christi et, per Eum, communionem cum Patre et cum Spiritu Sancto necnon ardentem in alios amorem una cum Deo, qui eos amat, detegitur in vita operariae Luciae Burlini, ortae in vico communiter dicto *Piansano* (in provincia Viterbiensi sito).

A coniugibus nata est Petro et Christophora Di Domenico die 24 mensis Maii anno 1710, quottuor filiorum maxima natu, quorum duo

parvuli mortui sunt. Eodem die baptismum accepit, sacramentum autem confirmationis sex fere annos nata, ut videtur, et Eucharistiae sacramentum duodecim ferme annorum, secundum illius temporis consuetudinem. Ex eius formatione cogitur quam verum sit parentes posse et debere esse « pro filiis suis primos fidei praecones » *(Lumen gentium,* 11). Lucia enim multum debuit educationi christianae et humanae in familia acceptae, praesertim a matre, impigerrima in negotiis familiaribus gerendis, sed etiam christiana pia et divinis praeceptis obsequente. Ipsa filiam docuit artem texendi, qui labor fuit Servae Dei constantissimus et plenissimus. Eadem experta est scholam catholicam communitatis scholaris ambitum creando, spiritu evangelico animatum, adulescentes adiuvare ut in propria persona evolvenda una simul crescant secundum novam creaturam (cf. Conc. Oec. Vat. II, Declaratio de educatione christiana *Gravissimum educationis,* 8).

Namque, in parva vici schola, quam Magistrae Piae regebant, Lucia in formatione catechistica, in familia inita, progressus fecit, rationem didicit precandi et ita mysterium Passionis Christi intellegendi, addidicitque domesticos labores et legere. Vis institutoria matris et scholae catholicae et auxilium bonorum pagi sacerdotum, effecerunt ut Serva Dei aequabilis fieret, apta ad vitam oppetendam in campo suo, tum quod ad laborem pertinebat et curam necessitudinum familiarium et viciniorum, tum quod ad ipsam attinebat uti christianam certam et apertam ad Spiritus Sancti vivificantem actionem.

Studium sanctificationis Servae Dei ostendit quanti momenti fuerit quantique sit hodie gratiae efficacitas quam secum habet Missio popularis vel paroecialis, cum haec agitur a pratdicatoribus itinerantibus, qui secundum « veram vitam evangelicam » vivunt. Cum enim Missio praedicabatur anno 1734 a S. Paulo a Cruce (f 1775) et a fratre eius sodali Ven. Ioanne Baptista a S. Michaele Archangelo (f 1765) in vico *Gellere* (in Viterbiensi territorio), prope *Piansano,* Lucia illuc se contulit. Serva Dei viginti quattuor annorum erat et Sancto illi patefecit « optare se Domini servitio tradere ». Paulus locutus est ei de meditatione Passionis Iesu eique nonnullas regulas dedit ad eius securitatem et moderationem. Post alium conventum, Serva Dei dixit : ((Eius spiritus ita mecum communicavit, ut quam maxime me flagrare senserim desiderio Iesum amandi eique serviendi patienti » *(Positio super virtutibus,* p. 142). Exinde occursus cum Sancto Paulo a Cruce crebriores fuerunt et Serva Dei, ut hos haberet, ad loca se conferebat viciniora, ubi sciebat esse Paulum propter apostolatum.

Ex anno vero 1748 multi occursus contigerunt in recessu Congregationis Passionis Iesu Christi eo anno Tuscaniae condito (in provincia Viterbiensi). Lucia, ut illam communitatem adiuvaret, primis annis omnibus rebus carentem, stipem in vico emendicabat, quam ipsa ferebat aut ferendam curabat.

Sanctus Paulus Luciae moderabatur vel colloquiis spiritualibus vel partim epistulis, quae compertissimum testimonium sunt, ut cognoscatur altitudo contemplationis et coniunctionis mysticae Servae Dei cum Iesu cruci adfixo et a mortuis suscitato, et firmissima eius sedulitas in constanti exercitio virtutum theologalium et moralium.

Hic eminens virtutum gradus tam evidens est, ut mirabundam et concordem excitet consensionem. Serva Dei, cum in húmido laboraret, gradatim artuum doloribus et articulari morbo laborare coepit. Eius pedes ulceribus affecti sunt quae, ab anno 1749 per totum corpus manaverunt ipsumque decubitum ita acerbum reddiderunt, ut anno 1752 sibi mori videretur. Sanctus Paulus a Cruce, cum eam visere non posset, duos suos religiosos misit cum « signo)) Passionistarum proprio, quod is tulerat, praecipiens ut « oboedientia sanaretur : et perbrevi ex morbo convaluit » *(Id.,* p. 15).

Ad dolores corporis, qui ultimis vitae annis rursus eam vexaverunt ulceribus ad ossa penetrantibus, accesserunt aegritudines spiritus et obscuritas fidei. Sanctus Paulus, horum certaminum conscius, die 11 mensis Ianuarii anno 1760 scripsit : « Crudelissima proelia subita, clara indicia sunt fortitudinis, quam divina Gratia in hac anima benedicta collocavit ; quod alia beneficia, quae accipit, confirmant » *(Ib.,* p. 90). Haec omnia e veniebant in tabulato, partim subterraneo, domus Burlini, ubi Lucia fere totum diem texebat, Missa audita et facta meditatione. Precatio tacita, labor adorans et attentio caritatis in familiares et in vicinos, quibus bene faceret, fuerunt ei quodammodo panis cotidianus.

Ideo hoc fiebat, quia Serva Dei, Sanctum Paulum a Cruce sequens, penitus sentiebat se regalis sacerdotii Christi participem esse, ut Deum in spiritu et veritate adoraret. De eodem Sancto haec ipsa narr abat : « Me docuit ambulare semper coram Deo, mihique dicebat ita, sive oratio mentalis fieret, sive vocalis sive opera manuum, precationem incipere a primo die mensis Ianuarii et finire ultimo Decembris die, cum vellet intellegerem hac ratione omnia opera christiana praemio digna esse, quod pura fide facta essent et divino cultui dicata» *(Ib.,* p. 146).

Diligentia quam Serva Dei adhibuit ut se liberaret a quavis spiritus servitute, a rebus et personis, utque viveret dedita voluntati Dei magna cum patientia et amore, eam paravit ad accipiendam a Deo « altisismam contemplationem, non sine admiratione praelaudati Pauli)) ***{Ib.,*** p. 187).

Quam contemplationem coniunctionemque Deus perfecit amplexu Crucifixi (anno 1751) et mystieis sponsalibus (anno 1763). Haec mirifica dona non solum Luciae animum non abalienaverunt a necessitatibus familiae fratris, quocum vivebat; quin illa meditatio eam impellebat ad caritatem actuosam, qua movebatur ad confortandos et adiuvandos, ut poterat, pauperiores vici, aegros et « maxime se debebat reconciliandis discordibus, amans proximi humanissima» ***(Ib.,*** p. 184).

Ultimos duodecim vitae annos egit pedibus extorta, sed numquam lamentans : ((per silentium et virtuosum dolorem imitabatur » Christum crucifixum ***(Ib.,*** pp. 184-187). Mortua, Christum ab inferis suscitatum vi vid t calendis Maiis anno 1789. Aestimatio conterraneorum impedivit, quominus sepeliretur, nisi quattuor diebus a morte tranr sactis. Consensu Ordinarii seorsum sepulta est, posita apud corpus eius memoria vitae eius in tubo clausa. Veneratio et fama sanctitatis extiterunt in vico, adeo ut anno 1868 facta sit recognitio canonica corporis Servae Dei, et anno 1889 brevis vitae narratio edita sit.

Causa sero est introducta ob vicissitudines publicas et ecclesiales saeculi xix et prioris dimidiae partis saeculi xx. Enimvero Causae non profuit difficultas Passionistarum in promovendis Causis suorum fratrum sodalium, saltem usque ad initium saeculi xx. Biographia documentis adornata, anno 1950 conscripta, motum dedit Processui super fama sanctitatis. Causae cursus perfectus est in Officio Historico-Hagiographico Congregationis pro Causis Sanctorum. Die 24 mensis Aprilis anno 1985 disceptatio facta est de Positione super virtutibus, concorditer Consultoribus Historicis faventibus, et die 5 mensis Maii anno 1987 Consultores Theologi in Congressu Peculiari, moderatore Rev.mo D.no Antonio Petti, Fidei Promotore Generali, virtutes Servae Dei agnoverunt heroum in modum exercitas esse. Postea, die 7 mensis Iulii anno 1987 acta est Congregatio Cardinalium et Episcoporum, Ponente Causae Exc.mo ac Rev.mo Domino Paulino Limongi, Archiepiscopo titulari Nicaeensi in Haemimonto, qui professi sunt Servam Dei heroum more exercuisse virtutes théologales, cardinales et adnexas;

Facta de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo , II accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis pro Causis Sane-

torum libenter excipiens, mandavit ut Decretum super heroicis Servae Dei virtutibus conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierno die infrascripto Cardinali Praefecto atque Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis, ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit : *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine iisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Luciae Burlini, virginis saecularis, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc Decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 23 Octobris, Anno Mariali 1987.

PETRUS Card. PALAZZINI, *Praefectus*

L. © S.

© Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

III

MASSILIEN, SEU MECHLINIEN.

Canonizationis Servae Dei Mariae a Iesu Deluil-Martiny, Fundatricis Congregationis Filiarum Cordis Iesu (1841-1884).

SUPER DUBIO

*An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia ei Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur**

((Quamquam vero copiosa Christi redemptio abunde nobis "omnia delicta donavit" *(Col* 2, 13), ob miram tamen illam divinae Sapientiae dispensationem, qua in carne nostra adimplenda sunt quae desunt passionum Christi pro corpore eius quod est Ecclesia (cf. *Col* 1, 24); etiam laudibus et satisfactionibus, "quas Christus in nomine peccatorum Deo persolvit" nostras quoque laudes et satisfactiones adiicere possumus, immo etiam debemus)> (Pius XI, Litt. Enc. *Miserentissimus Redemptor, AAS* XX [1928], 170).

Peculiari modo hoc officium suum esse sensit etiam Serva Dei Maria a Iesu Deluil-Martiny, quae, ut Cor Iesu consolaretur, hominum peccatis affectum iniuriis, et Corpori Mystico Christi salutisque animarum naviter operam insumeret, vitam suam contemplationi et expiationi consecravit et simul novam condidit religiosam Congregationem.

Serva Dei nata est die 28 mensis Maii anno 1841 Massiliae a causidico Paulo Deluil-Martiny, laicatus catholici fautore multae auctoritatis, et ab Anna de Solliers. Postridie ortum, baptismum accepit; die 22 mensis Decembris anno 1853 primum Cena Dominica usa est et die 29 mensis Ianuarii anno 1854 a Beato Carolo Iosepho Eugenio de Mazenod (f 1861) est sacro Chrismate confirmata.

Egregie eius formationi prospexerunt primum boni familiares et deinde Ephebeum (1841-1856) Sororum Visitationis Massiliensis et Ephebeum Sacri Cordis loci *La Ferrandière* appellati (Lugduni). Studiis superioribus peractis, est in familiam reversa (anno 1858) post exercitiorum spiritualium cursum, per quae clare animadvertit se ad vitam consecratam vocari, qua a pueritia alliciebatur. *Ars* etiam se contulit, ut S. Ioannem Baptistam Vianney de sua vocatione consuleret ; eique a sancto parocho dictum est : ((Filia mea, priusquam eam agnoscas, sunt tibi adhuc tot "Veni, Sancte Spiritus" recitanda ». Keapse aliquot anni ei exspectandi fuerunt antequam apte agnovit quae esset Dei voluntas in se. Sed tempus in domo actum paterna nec otiosum fuit nec inane; namque, progrediens in cognitione Christi et in bonorum terrestrium neglectione, in se divini Exemplaris imaginem insculpebat ; ad illud suum dirigebat amorem, pro quo etiam opportunas condiciones uxorias repudiavit. Assidue in religiones incumbebat et in opera caritatis erga pauperes. Ab anno 1864 ad annum 1872 studiosissima fuit fautrix et adiutrix consociationis « Garde d'Honneur » vocatae, quae est anno 1863 instituta a Sorore Maria a Sacro Corde Bernard, ut Cor Iesu consolaretur, humani generis peccata luendo. Iis annis magno et excelso animo acerbos tulit eventus, qui in familiam ingruerunt, id est duarum sororum et fratris mortem, matris morbum, rei familiaris naufragium, quod patrem patrimonio privavit.

Anno 1866 se tradidit moderationi spiritali P. Ioannis Calage, S.I. ; anno 1867 votum nuncupavit virginitatis ; insequenti anno amoris victimam se obtulit et postea vovit se gratiae fidem esse mansuram.

Non paucis superatis difficultatibus, die 20 mensis Iunii anno 1873 in oppido *Berchem-les-Anvers* condidit Congregationem Filiarum a

Corde Iesu, quae superiore anno, die 8 mensis Decembris, approbata erat a Domino Dechamps, Archiepiscopo Mechliniensi. Novum Institutum maxime eo spectabat, ut de iniuriis illatis Cordi Domini nostri satisfaceret, pro acceptis beneficiis grates ageret et SS. Trinitati pretiosissimum offerret sanguinem Iesu pro Dei regni adventu, Ecclesiae incremento, sanctitate sacerdotum et religiosorum, sectarum exstinctione. Sancti Ignatii a Loyola Regula recepta est, opportune ad necessitates vitae contemplativae et claustralis accommodata. Constitutiones, ab Archiepiscopo quem supra memoravimus die 2 mensis Februarii anno 1876 approbatae, a Sancta Sede anno 1902 semel et in perpetuum probatae sunt.

Serva Dei vota perpetua est professa die 22 mensis Augusti anno 1878 et usque ad mortem, uti Antistita Generalis, prudens fuit et materna moderatrix suae religiosae familiae, quae Deo favente celeriter viguit, etsi malae interpretationes et aerumnae ei in itinere oppetendae fuerunt.

Regimen Instituti et ad illud pertinentes difficultates minime Servam Dei avocaverunt a studio progrediendi sine intermissione in vita perfectionis. Et quoniam « multum interest cupiditates nostras ad alta tollere, qualia sunt velle Deum amare plus quam omnes sancti, pati plus quam omnes martyres ob eius amorem, omnes iniurias ferre et ignoscere, omnem sequi laborem et molestiam ad aliquam animam servandam » (S. Alfonsus M. de Ligorio, *Opera Ascetica,* vol. XIY, I, Romae 1935, p. 92), Serva Dei, his incensa salutaribus appetitionibus, extraordinarium splendorem est consecuta in omnium virtutum exercitio.

Eius anima, amoris divini sitibunda, gaudium suum suumque alimentum inveniebat in rerum caelestium contemplatione, in pietate erga SS. Trinitatem et Sacrum Cor Iesu, in Eucharistiae adoratione et in Sacrarum Litterarum meditatione, praesertim in Epistularum Sancti Pauli lectione. Illecta doctrina Corporis Mystici, Sacrificii Crucis, sacerdotii et regiae Christi dignitatis, sensit fortiter sibi in intima coniunctione cum Domino esse vivendum, cum eius Passione cumque Ecclesia, pro cuius incremento et triumpho non solum deprecationes obtulit et dolores, sed ipsam suam vitam : namque se devovit pro consiliis Summorum Pontificum Pii IX et Leonis XIII.

Volens per omnia gloriae Dei inservire, omnibus viribus respondebat gratiae et divinis mentis incitationibus et permotionibus atque Sponsi obsequenter voluntatem faciebat. Pie et fructuose sacris inte-

rerat; accurate Regulas observabat Congregationis suae et vota religiosa; cum simplicitate magistro spiritus suo et superioribus ecclesiasticis oboediebat; mira cum fortitudine, patientia et serenitate res adversas tolerabat iisque ignoscebat, qui eam vexabant ; indolem suam castigabat ; summa cum cura humilitatem exercebat et omnis boni terreni despicientiam, omni spe in Deo collocata in eiusque Providentia. Quamlibet peccati et pravitatis speciem diligenter vitabat. Multa pietate Virginem Mariam colebat, quam ut vitae exemplum elegerat quamque imitari conabatur praesertim in fide, in caritate, in occultatione atque in virginali candore.

Scripserat : « Amore amori respondetur, poena poenae, sanguine sanguini». Exaudita est. Ex amore erga Dominum et animas vixit; aegritudines omne genus est perpessa; martyr mori cupivit, ut cum Divino Magistro sortem ad finem usque communicaret. Martyrium non est adepta, sed obtinuit ut vitam effuso sanguine concluderet. Etenim die 27 mensis Februarii anno 1884 est a viro seditioso mortifere vulnerata, qui antea erat benigne conductus ut topiarius conventus, sed postea missus factus ob suam desidiam et neglegentias.

Pie et placide e vita decessit, christianae veniae verba insusurrans.

Cum fama sanctitatis, qua viva innotuit, perduraret, Curia archiepiscopalis Mechliniensis anno 1908 Causam iniit Canonizationis, Processus Ordinarii Mechliniensis celebratione, quem secuti sunt Rogatoriales Massiliensis, Taurinensis, Lugdunensis. Die 25 mensis Maii anno 1921. est super Causae Introductione editum Decretum; dein instructus est Processus Apostolicus (annis 1922-1924) apud Curias Mechliniensem, Romanam, Curiensem, Massiliensem. Apparata *Positione super virtutibus,* anno 1939 acta est Congregatio Antepraeparatoria, quam secutae sunt *Novae Animadversiones* Promotoris Generalis Fidei.

Nova *Positio super virtutibus* est felici cum exitu excussa a Consultoribus Theologis in Congressu Peculiari die 26 mensis Maii anno 1987 habito, moderante Rev.mo D.no Antonio Petti, Fidei Promotore Generali.

Deinde Patres Cardinales et Episcopi in Congregatione Ordinaria die 7 mensis Iulii, a. 1987, Ponente Causae Em.mo D.no infrascripto Cardinali, agnoverunt Servam Dei Mariam a Iesu Deluil-Martiny heroum in modum virtutes théologales, cardinales et adnexas exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Prafectum relatione, Sanctitas Sua vota

Congregationis pro Causis Sanctorum libenter excipiens, mandavit ut Decretum super heroicis Servae Dei virtutibus rite conscriberetur.

Quod cum factum esset, accitis hodierna die eodem Cardinali Praefecto Congregationis atque Causae Ponente, meque Antistite a Secretis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit : *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Mariae a Iesu Deluil-Martiny, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem Decretum in vulgus edi et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 23 Octobris, Anno Mariali 1987.

PETRUS Card. PALAZZINI, *Praefectus*

L. © S.

© Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

IV

ROMANA SEU SANCTI LUDOVICI

Canonizatonis Beatae Philippinae Duchesne, Virginis Societatis Sororum a S. Corde Iesu (1769-1852).

SUPER DUBIO

An et de quo miraculo, post indultam eidem Beatae ab Apostolica Sede venerationem, constet in casu et ad effectum de quo agitur.

Gratianopoli in Gallia, die 29 mensis Augusti anno 1769 nata, in Societatem Sacri Cordis a S. Magdalena Sophia Barat conditam ingressa, Famula Dei missionalem vocationem, qua iamdiu urgebatur, sanctae fundatrici manifestavit, quae tamen prudentissime nonnisi post duodecim circiter annos in Septentrionalem Americam proficiscendi veniam ei concessit, scilicet die 21 Martii a. 1818, et ad S. Ludovici urbem mense Augusto eodem anno pervenit. In vastissima illa dioecesi triginta quattuor per annos, variis in locis adhuc incultis atque inhospitalibus multos labores, molestias, pericula necnon durissimam inopiam sustinuit, ut Evangelium apud colonos silvicolas

redices ageret et propagaretur, uberrimos fructus referens. Piissime et sanctissime, ut vixit, obiit die 18 Novembris a. 1852, aetatis suae octogesimo quarto.

Servatis de iure servandis, Pius Papa XII, die 12 Maii a. 1940 eam in Beatarum virginum album adscripsit.

Mox autem novensilis Beatae sanctimoniae fama et devotione christifidelium erga eam cotidie magis latiusque propagatis, gratiae, favores, ni forte miracula, eius intercesisone a Deo patrata ferebantur. Quapropter Causae actores miram quandam sanationem selegerunt et Apostolicae Sedi ad cognoscendum proposuerunt, ut ad ipsius Beatae Philippinae Duchesne sollemnem canonizationem deveniri posset. Exhibita mira sanatio obtigit Sorori Margaritae Bernard, sexaginta annos natae, quae, prognosi a medicis edita infausta quoad vitam, anno 1951, in urbe S. Francisci in California, contra omnium opinionem, invocata intercessione praedictae Beatae, a neoplasmate indissimili irrepente in tyroidem et viciniores textus rapide, perfecte ac stabili modo sanata est, ita ut sequenti anno denuo ad missionem Iaponiensem sit profecta.

Super hac prodigiosa sanatione adornati sunt, annis 1960-1961, apud Curias ecclesiasticas S. Francisci in California et Toikensem, Apostolicae Sedis auctoritate processus, quorum iuridicam formam et vim haec Congregatio pro Causis Sanctorum die 26 mensis Octobris a. 1963 agnovit. In naturam autem atque adiuncta eiusdem sanationis diligenter acuteque inquisivit, die 5 Aprilis a. 1987, ipsius Congregationis Consulta Medica, quae ultra naturae vires contigisse eandem sanationem declaravit.

Quibus peractis, quaestio subiecta est iudicio theologorum, et quidem primum, die 5 Iunii mensis eodem anno 1987, in Congressu Peculiari Patrum Consultorum, moderatore Rev.mo D.no Antonio Petti, Fidei Promotore Generali; postea, die 14 insequentis mensis Iulii, in Congregatione Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, ponente Em.mo Cardinali Eduardo Gagnon. Et utroque in Coetu concors et propitium est datum responsum dubio proposito num praedicta sanatio miraculi notas praeseferret.

De hisce autem rebus actis certior factus per subscriptum Cardinalem Praefectum, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, vota Congregationis rata habens, mandavit ut decretum super indicatam sanationem rite appararetur.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die Cardinalibus

infrascripto Praefecto atque Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis, ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sententiam proferens edixit : ***Constare de miraculo. Beata Philippina Duchesne intercedente, a Deo patrato, scilicet de rapida, perfecta et constanti sanatione Sororis Margaritae Bernard a neoplasia indissimili irrepente in tyroidem et viciniores textus.***

Hoc autem Decretum in vulgum edi et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referri iussit.

Datum Romae, die 23 Octobris, Anno Mariali 1987.

PETRUS Card. PALAZZINI, ***Praefectus***

L. ***m*** S.

83 Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, ***a Secretis***

V

SERENEN, SEU OSCEN.

Canonizationis Servi Dei Mariani Avellana, Sacerdotis e Congregatione Missionariorum Filiorum Immaculati cordis B. M. V.

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

Cordis Mariae filius « vir est qui caritate flagrat et, quacumque transit, comburit. Qui efficaciter cupit omnibusque mediis curat omnes homines igne divini amoris accendere. Nulla re deterretur; gaudet in privationibus, aggreditur labores; amplectitur aerumnas; in calumniis oblectatur, laetatur in tormentis et doloribus quos patitur et in cruce Iesu Christi gloriatur. Nihil aliud cogitat nisi quo modo Christum sequatur et imitetur deprecando, laborando, sustinendo, maximam Dei gloriam et salutem hominum semper ac solummodo curando» ***(Const. C. M. F.,*** a. 1986, n. 9).

Hanc vitae formam, quam sanctus Antonius Maria Claret tradidit sodalibus Congregationis religiosae quam ipse condidit, Servus Dei Marianus Avellana integre et fideliter toto vitae cursu exprimere

conatus est: quia caritate Christi instanter urgebatur ut «in omnibus Dei gloriam... totiusque mundi animarum salutem quaereret» *(Ibid.,* n. 2).

Servus Dei Marianus Avellana die 16 mensis Aprilis anno 1844 in urbe ***Almudevar,*** in provincia et dioecesi Oscensi in Hispania, natus est : quem parentes Franciscus et Raphaela Lasierra, christiani pietate imbuti, eodem die natali baptizari voluerunt. Quinquennis sacramento Confirmationis roboratur ; sacram Communionem in terra patria suscipit; priores latinitatis et litterarum humanarum cursus Oseae perficit. Cum autem ad vitam sacerdotalem inclinaret, studia ecclesiastica in seminario dioecesano Oscensi — primum alumnus externus, deinde internus — percurrit; ibique sacris ordinibus decoratur.

De his prioribus pueritiae annis et in seminario Oscensi transactis memoratur eius ratio exemplaris se gerendi in vita familiari, in schola, per feriarum tempus, eiusque studium seu deditio in disciplinas ecclesiasticas.

Presbyteratus ordine die 19 Septembris a. 1868 insignitur. Sed cito intellegit hanc non esse suam specialem vocationem. Ideo die 11 Septembris anno 1870 in noviciatum, quem constituerant Missionarii Filii Immaculati Cordis Beatae Mariae Virginis in urbe ***Prades*** — in Gallia — ingreditur. Ibi, in novis rerum adiunctis positus, campum penetrat peraptum ut formam perfectionis evangelicae assequatur. Vehementer animo afficitur cum ea legit verba quae in Constitutionibus Fundator — eo ipso anno vita functus — noviciis tradit et inculcat : « Nihil sic Missionariorum interest, nihil ita consentaneum est ipsis, uti virtutum omnium ornatus; absque eis inutile erit suum ingenium, infecunda sua vox, vanusque eorum labor» ***(Const. C. M. F.,*** a. 1952, I, n. 104). Hoc noviciatus tempore percipit prorsus necesse esse sanctum ut quis Filius Immaculati Cordis Mariae sit; ideo omnes animi conatus ac vel viri Aragonii tenacitatem inmpendit ut virtutes noviciorum proprias assequatur atque in ipso noviciatu hanc sibi sumit mentis formam perficiendam : « aut sanctus ero aut emortuus ».

Professionem religiosam die 29 Septembris anno 1871 emittit; paulo post in urbem Gallicam ***Thuir*** destinatur; ibique die 25 Septembris a. 1872 gratiam accipit quam vere singularem vocat : quam tamen minime aperit, eaque obstringitur ut Domino promittat « se fideliter et accurate regulas et proposita servaturum ».

Dum haec perfectionis et apostolatus placita meditatur, die **30**

Iunii a. 1873 a Superioribus ad communitatem Sancti Iacobi in Chilia mittitur : in quam die 11 Septembris a. 1873 recta via — quin ad patriam et familiares declinet — pervenit. Tunc undetriginta annos compleverat.

Servus Dei in Chilia per triginta annos commoratur; ad nationem evangelizandam se totum impendit : quam percurrit missiones ad populum praedicans in magnis et parvis urbibus; singularem amorem exprimit in eos qui in hominum societate derelicti habentur: erga aegrotos in valetudinariis et detentos in carceribus, erga metallarios in fodinis laborantes aliosque.

Praescriptum illud, quod sibi ipse imposuerat « in ordinariis non ordinarius ero », omni diligentia assequi contendit : itaque « propositum proiiciendi in via Domini quotidie renovat » (cf. *Const. C. M. F.*, II, n. 27) atque « propositum recta cum intentione et vero cordis fervore omnia operandi» *(Ibid.).*

Neque mirum est quod populus Dei eum vulgo <(sanctum Patrem Marianum » appellat, cum « tota eius actio apostolica ex intima cum Christo unione procedat » (Conc. Vat. II, Decretum de accommod. renov. vitae religiosae *Perfectae caritatis,* n. 8). Fratres eiusdem Congregationis et socii in missionibus popularibus eum « specimen et exemplar perfectum sacerdotis religiosi et missionarii aestimant ». Spiritus orationis, mortificationis operisque apostolici praestitit semper. Eo fide spiritu agebatur ut, cum eum fideles videbant, aperte dicerent : « Hic est sacerdos spiritu Dei plenus, qui in praesentia divina perpetuo ambulat ».

Spem in hominibus, in rebus technicis, in se ipso numquam posuit. Omnem spem et fiduciam in Christo Domino et in Beata Maria Virgine collocabat : eisque omnes res et praecipue opera apostolatus fidenter commendatabt adhibitis incessantibus precibus : « Immensam habeo fiduciam — solitus dicere —, novi te posse, te scire, te velle, mi Domine ».

Sed primaria et heroica Servi Dei virtus fuit amor in Deum simul cum amore in proximum. Voto se obstrinxerat vitandi omne peccatum veniale, et gratiam instanter expetebat qua semper Deo coniungeretur idque perciperet : neque alia cogitaret quam Deum, eumque unum diligeret. Multas horas precando ducebat. Tertia diei hora e lecto surgebat et orationi initium dabat : quam per diem protrahebat — nam orabat semper — : in ecclesia, in cella, per vias, cum pedibus

itinera faciebat aut equo insidebat, aut alia ratione vehebatur ut animas quaerereret easque Deum amare doceret.

Singularem pietatem et devotionem erga Cor Mariae Immaculatum semper ostendit: cuius particulari servitio die professioni se devoverat. Amorem in Cor Mariae, ut notam peculiarem, in se percipiebat atque ut ignaculum certum quo Missionarii Filii huius Cordis signabantur. Hunc amorem in populo Dei magnopere propagavit ad peccatores ad Deum convertendos.

In amore erga proximum exercendo institit constanter : omnes fratres Congregationis vero amore amplectebatur, praecepta caritatis in eos explebat, dum alacriter Constitutionem exsequebatur : « Sint pro invicem solliciti; honore se invicem praeveniant; se invicem sustineant, serviant et adiuvent » *(Const.* II, n. 21) : quae omnia in vita communitaria et missionum tempore perficiebat : nam opera graviora ipse sibi sponte suscipiebat.

Princeps tamen virtus quae in Servo Dei splendide fulget, zelus est pro animabus salvandis. Haec enim est primaria eius actio per triginta extremos vitae annos : ((Verbum Dei praedicare, catechismum populo explicare ». Neque aliud sciebat, neque aliud agere cupiebat, sed tantum misiones praedicare. Quingentas viginti quinque missiones saltem praedicavit; multa exercitia spiritualia, recessus aliasque verbi Dei praedicationes. In simplici pagorum populo evangelizando delectabatur. Valetudinaria et carceres praecipua fuerunt sollicitudo in eius mente penitus infixa. Dum domi, in communitate versatur, singulis diebus, vel labore fatigatus, aegrotos invisebat atque in carcere detentos, si facultas dabatur : quos dum adibat verbum Dei praedicabat, eorum confessiones audiebat, cum eis rosarium Beatae Mariae Virginis precabatur aut alias preces recitabat, de eorum rebus interrogabat, eos solabatur atque hortabatur ut opera bona amplecterentur aut in his constantes perseverarent. Singulari dono ornabatur ut aegrotos consolaretur ; humana servitia eis praebebat : eorum corpora lavabat, capillos tondebat, barbam radebat, parva munera, venia a suo Superiore habita.

Definitionem Missionarii Claretiani fideliter amplexus, zelo apostolico impulsus, nulla re nulloque homine deterretur. Nihil prorsus ducit vitae asperitates, corpus labore exhaustum, incommoda ex longis et continuis itineribus per regiones montanas et periculis plenas, dolores corporis et animi labors quibus a Domino probatur : neque res adversas timet et quae, prima saltem fronte, animum prostrant,

neque ex obsistentia fidelium in gratiam De iretro cedit si tamen animas salvas facere potest ex his omnibus quae ipse patitur. Intima solitus dicere ad Dominum precatione : ((Humilia me, Domine, sed animas salva ! ».

In exsequendis virtutibus moralibus — prudentia, iustitia, fortitudine, humilitate, ceterisque — praestitit, et maxime in iis quae religiosorum sunt propriae : in paupertate, castitate, oboedientia.

Die .14 Iunii anno 1904 in valetudinario urbis *Carrizal Alto* pie decessit : quo suum explebatur desiderium quod significaverat et gratiam quam a Domino vehementer precabatur : « Utinam pauper in valetudinario moriar ! ». In gravem morbum incidit dum missionem in *Cerro Blanco* praedicat : qua re ad valetudinarium deducitur.

Eius corpus mortuum in coemeterio Serenopoli sepultum est; postea, anno 1919, in presbyterio ecclesiae, quam in eadem urbe Missionarii Cordis Mariae habent, pie depositum, recenter, die 4 Iunii anno 1981, in Basilicam Cordis Mariae, quae Missionariorum Claretianorum est, in urbe Sancti Iacobi in Chilia, translatum est : in qua Basilica vox Servi Dei, cum fideles evangelizabat, saepe audita est.

Sanctitatis fama impellente, decem et septem annis ab exitu Servi Dei transactis, duo processus ordinarii compositi sunt : primus *Serenensis* (annis 1921-1923), alter *Oscensis* (anno 1924): quibus annexi sunt alii duo processus rogatoriales : primus Sanctae Fidei in Argentina (anno 1921) instructus, alter S. Iacobi in Chilia (annis 192Ì-1923). Decretum super scriptis die 25 Iulii a. 1952 editum est.

Causa beatificationis Servi Dei ex decreto, die 7 Ianuarii a. 1972 dato, apud Sedem Apostolicam introducta est. Deinde, processu apostolico super virtutibus in specie omisso ex venia Summi Pontificis, conscriptum est *Summarium documentorum ex officio concinnatum.* Congressus peculiaris Consultorum super virtutibus, moderatore Rev.mo D.no Antonio Petti, Fidei Promotore Generali, die 28 Aprilis a. 1987 disceptavit, ac denique Coetus Ordinarius Patrum Cardinalium et Episcoporum, ponente Em.mo D.no Cardinali Iosepho Casoria, die 14 Iulii eodem anno 1987. Et in utraque congressione dubio proposito num idem Servus Dei heroum in modum coluisset virtutes, affirmativum est datum responsum.

De hisce omnibus rebus certior factus, per subscriptum Cardinalem Praefectum, Summus Pontifex, Ioannes Paulus II, vota Congregationis pro Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut Decretum super heroicis virtutibus rite appararetur.

Quod cum rite est factum, accitis hodierna die Cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis ceterisque de more con vocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Mariani Avellana, sacerdotis Congregationis Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis B. M. V., in casu et ad effectum* de quo agitur.

Hoc autem Decretum in vulgus edi et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referri iussit.

Datum Romae, die 23 Octobris, Anno Mariali **1987.**

PETRUS Card. PALAZZINI, *Praefectus*

L. © S.

©' Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

VI

TAURINEN.

Canonizationis Servi Dei Petri Georgii Frassati, viri laici (1901-1925).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico^ in casu et ad effectum de quo agitur.

Concilium Oecumenicum Vaticanum II explicite pertractans de navitate laicorum christifidelium in mundo ut lineamenta propria describantur spiritus a quo ipsi inflammandi sunt, his verbis utitur: « In peregrinatione huius vitae, cum Christo in Deo absconditi et a servitute divitiarum liberi, dum ad illa bona quae in aeternum manent intendunt, generoso animo totos se dedicant ad regnum Dei dilatandum et ad ordinem rerum temporalium spiritu christiano informandum et perficiendum. Inter adversa huius vitae in spe fortitudinem inveniunt existimantes quod "non sunt condignae paäsiones

huius temporis ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis" *(Rom* 8, 18).

Caritate quae ex Deo est impulsi, ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei bonum operantur (cf. *Gal* 6, 10), deponentes "omnem malitiam et omnem dolum et simulationes et indi vias et omnes detractiones" *(1 Petr* 2, 1) et sic ad Christum homines trahentes. Caritas autem Dei quae "diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis" *(Rom* 5, 5), reddit laicos capaces spiritum Beatitudinum reapse exprimendi in vita sua. Iesum pauperem secuti, bonorum temporalium nec inopia deiciuntur nec copia inflantur; Christum humilem imitati, non efficiuntur inanis gloriae cupidi (cf. *Gal* 5, 26), sed placere Deo magis quam hominibus student, semper parati propter Christum omnia relinquere (cf. *Lc* 14, 26) et persecutionem pati propter iustitiam (cf. *Mt* 5, 10), memores verbi Domini : "Si quis vult post me venire, abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me" *(Mt* 16, 24). Christianam amicitiam inter se colentes, adiutorium in quacumque necessitate sibi invicem praebent » *(Apostolicam Actuositatem,* n. 4).

Hae sententiae simplices et profundae, conspicuae et obstringentes, quae ostendunt quod unusquisque verus laicus rei christianae deditus esse debet ob suum baptismum et confirmationem, perfectam efficiunt imaginem iuvenis in studiorum universitate discipuli huius nostri saeculi, qui revera Spiritus Christi, in ipso inhabitantis, nationibus respondit.

Petrus Georgius Frassati, natus est Augustae Taurinorum die 6 mensis Aprilis a. 1901 ex Adelaide Ametis, et ex illustri advocato et scriptore diurnario Alfredo, conditore commentarii vulgo appellati « La Stampa», et postea Legato Italiae Berolini necnon Senatore Regni Italici. Eadem die qua natus est baptismum recepit.

Apud familiam iuxta fidei atque moralis catholicae principia educatus, a Deo ipso tamen in eximias vitae christianae divitias introductus est. Primum cum Domino in Eucharistia praesente occursum peregit cum sacram Communionem suscepit die 19 mensis Iunii a. 1911: haec dies constanter permansit velut praecipua in eius vita recordatio et revera Iesus Christus, pro hominibus in SS. Sacramento praesens, eius piorum affectuum centrum factum est necnon fons eius spiritalis fortitudinis ac virtutis.

Peractis gymnasii et lycei studiis partim apud Institutum « Sociale », a sodalibus Societatis Iesu moderatum, partim vero apud

lyceum-gymnasium publicum « Massimo D'Azeglio)) appellatum necnon maturitatis examine superato, die 15 mensis Octobris a. 1918, Petrus Georgius Frassati mense sequenti studia universitaria incepit apud Regium Polytechnicum Taurinense.

Socius actuosus variarum Consociationum sive actionis catholicae sic appellate «Congregazione Mariana», «Conferenza di S. Vincenzo », « Azione Cattolica », « F.U.C.I. », sive culturalis et athleticae indolis, Petrus Georgius efficienter adlaboravit ad earum vitalem utilitatem, ita ut eaedem propriam functionem exercerent etiam in re sociali ac politica iuxta doctrinae christianae principia.

Paucis ante mensibus ab adeptione laureae doctoralis in arte ingeniaría fodinaria eius iuvenile atque validum corpus improviso a morbo polyomyelitico correptum est, qui post paucos dies eius exsistentiam perfregit : nam Petrus Georgius Augustae Taurinorum mortuus est die 4 mensis Iunii 1925.

Ad eius funera non tantum familiares atque amici accurrerunt, consocii in studiis et professores, viri politici et qui eum cognoverant, verum etiam — quod quidem inopinatum fuit — pauperum multitudo, quos Petrus Georgius dilexerat et in quos abscondite opera benefica eontulerat. Fuit haec plane significatio pergrati animi affectus simulque patefactio qua multi itaque perceperunt quis profecto esset Petrus Georgius : iuvenis laicus in quo fides et caritas harmonice conectebantur, alacriter atque sedulo agebant, ita ut per eas illuminaretur et attingeretur tot personarum existentia, paesertim parvulorum, indigentium, pauperum ... eiusque amicorum.

Perspicuum equidem videtur etiam nobis, qui testes sumus eius sanctitatis famae, celeriter diffusae etiam extra Italiae fines, quaerere qui sane fuerit Petrus Georgius Frassati.

Petrus Georgius fuit vir integerrimus, ingenio invicto praeditus, quod numquam flecteretur ante quodcumque periculum aut minas aut violentiam ; fuit christifidelis firmissimus, qui martyrium agressus esset eadem aequitate eodemque gaudio quibus a Deo novae diei donum suscipiebat.

Hoc singulare Petri Georgii ingenium suam veram atque unicam explicationem consequitur ex hac re : ipsum invenisse in Christo « petram angularem » *(1 Pt* 2, 7), in quo totum suae vitae aedificium innitebatur. Ipse enim convenienter affirmare poterat una cum S. Paulo, quem vehementer diligebat : « In fide vivo Filii Dei » *(Gal* 2, 20).

Fides enim Petri Georgii fructus exstabat eius personalis cum

Christo occursus et sincera constabat adhaesione Ipsius Personae. Quae fides ab eo excolebatur constanti S. Scripturae consuetudine et cursuum religiosae culturae participatione; eamdem fidem ipse cotidie alebat Eucharistia et diuturnis ac frequentibus coram SS. Sacramento adorationibus. Fuit ipsius fides aperta ad dialogum, ad mundum, ad eius veros valores: haec omnia in Petri Georgii aestimatione propriam obtinebant praestantiam profecto ob eius rerum temporalium visionem, quae a fide collustrabatur: amor in rerum naturam et potissimum in montes, admiratio in artem, vincula amicitiae profundae, iuveniles sodalitates ...: ipse etenim quodcumque pulchrum ac bonum est cum Dei dilectione consociabat.

Ipsius igitur fides fulgens sane fuit: nam ex eius vultu et ex eius agendi ratione elucebat; hanc fidem strenue et sine ostentatione annuntiabat, firma cum persuasione at cum aliorum persuasionum reverentia; fides in mundo et in societate professa sine haesitationibus aut humanis timoribus; fides laeta ideoque radians, diffusionis et spiritualis expugnationis capax.

Quae antea exposuimus integram exsecutionem constituunt praecepti quod Christus « suis)) dedit: « Vos estis lux mundi ... Sic luceat lux vestra coram hominibus » *(Mt* 5, 14; 16).

Fides ergo Petri Georgii fuit fides viva, quae penitus pervadebat eius agendi rationem et perspicuam in eo efficiebat cohaerentiam inter fidem et opera. Cum esset fides in Christum, id est firma adhaesio in Eum qui dilexit usque ad finem, tota agendi ratio Servi Dei significatio fuit illius dilectionis quam Christi Spiritus in corda immittit: fuit vera « fides quae per caritatem operatur » *(Gal* 5, 6).

Cum conscius esset Christum, centrum quippe eius vitae, suos discipulos hortatum esse: « Mandatum novum do vobis ut diligatis invicem sicut dilexi vos » *(Io* 13, 34), hanc dilectionem ubicumque et in omnes exercuit, in eum qui prope exstabat, itemque in eum qui longe, quin immo inimicus; ea diligebat ratione ut lineamenta caritatis referret a S. Paulo descripta; qua de re ipse suam praecipuam dilectionem convertit in pauperes, in aegrotos, in eos qui operibus carebant, in omnes indigentes.

Petrus Georgius corde dilexit, ideoque sincero animi affectu atque congruo ardore, statuens verae amicitiae illiusque perfectae dilectionis vincula quae in sacrificio peracto silentio atque abscondite declarantur.

Ipsius vero caritas non perficitur tantum operibus bonis, neque avulsa manet necessitatibus et responsabilitatibus exsistentiae insertae in mundo et in societate operantis. Caritas Petri Georgii igitur est virtus eius officium sociale atque politicum excitans; ducens eum ad optiones peragendas ut dignoscat suam vocationem: haec eum non dirigit ad presbyteratum, potius vero ad artis ingeniariae fodinariae professionem.

Petrus Georgius plane scit Deum eum velle proximum ad illam exiguam humanitatis partem, persaepe neglectam et afflictam, ut particeps fiat angorum ac sollicitudinum, quo meliores reddat eorum vitae condiciones. Eius optio omnino defintia conscie eligit vitam laicalem ut operari possit iuxta Christi spiritum.

Fides, quae operatur per caritatem, est in Petro Georgio verus laici plene in mundo dediti apostolatus : testimonium, vivida atque certa in pauperem dilectio, propterea quod tantum haec caritas fundamentum exstat totius authenticae religionis christianae; persuasionis apostolatus, hoc est fidei donum cum aliis communicare; professionalis alacritas, ut hominum opera ad Creatoris consilium respondeant ; navitas in vita sociali, politica quoque, quia Christi caritas libertatem tuetur et socialem iustitiam fovet velut consectarium christianae interpretationis hominis et mundi.

Ne igitur miremur Petrum Georgium Frassati, virum precibus et christianae actioni deditum, exemplaris instar, indesinenter et fortiter allexisse eos omnes qui ipsum viventem noverunt, quique in eo fulgorem Domini et sanctitatis praesentiam persenserunt.

Sanctitatis fama, quae Servum Dei, dum inter vivos degeret, circumfuderat, latius post eius obitum diffundi coepta est eamque Deus supernis signis confirmare visus et. Quapropter super eadem sanctitatis fama adornatus est apud Curiam archiepiscopalem Taurinensem, annis 1932-1935, Processus Informativus. Sacra autem tunc Rituum Congregatio, scriptis Servi Dei perpensis, die 21 mensis Decembris a. 1938 edixit ad ulteriora procedi posse. Subortis deinde quibusdam difficultatibus, necesse fuit quosdam alios testes ad iuris normam excuti. Accuratissimae ergo peractae sunt investigationes e quibus luce clarius patuit praefatas difficultates quovis fundamento carere et prorsus inanes esse. Reliquis deinde omnibus de iure servatis, Summus Pontifex Paulus VI die 12 Iunii a. 1978 Causam Petri Georgii Frassati introduxit.

Apostolicus Processus in Curia Taurinensi instructus est annis 1980-1981; agnita autem est validitas omnium processuum die 12 Iunii a. 187. Instante Eev.mo Patre Paulo Molinari, Societatis Iesu Postulatore Generali et Causae Postulatore legitime constituto, disceptationes super heroicitate virtutum Servi Dei mox secutae sunt : habitus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum die 14 Iulii a. 1987, moderatore Rev.mo D.no Antonio Petti, Fidei Promotore Generali; Congregatio vero Ordinaria Patrum Cardinalium celebrata est die 30 Septembris eiusdem anni, ponente seu relatore Em.mo ac Rev.mo Eduardo Cardinali Gagnon.

De his omnibus certior factus, Ioannes Paulus II responsum Congregationis pro Causis Sanctorum circa heroicitatem virtutum Servi Dei libenter excipiens, ratum habuit mandavitque **ut** eadem super re Decretum rite appararetur.

Quod cum esset factum, hodierna die ad Se arcessivit Cardinales infrascriptum Praefectum et Eduardum Gagnon, Causae ponentem seu relatorem, meque Antistitem a Secretis, necnon ceteros de more convocandos, iisque adstantibus edixit : *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine earumque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Petri Georgii Frassati, viri laici, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem Decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum inseri mandavit.

Datum Romae, die 23 Octobris, Anno Mariali 1987.

PETRUS Card. PALAZZINI, *Praefectus*

L. © S.

© Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

CONGREGATIO PRO INSTITUTIONE CATHOLICA

SANCTI IACOBI EQUITUM

DECRETUM

quo Catholica studiorum Universitas « Madre y Maestra » canonice erigitur.

Veritatis magis in dies profundius investigandae amor, apti dialogi inter Evangelium et scientias promovendi consilium, novis socialibus Reipublicae Dominicanae processibus aptius respondendi propositum sollicitaverunt Exc.mos Episcopos Dominicanos ad erigendam in Urbe Sancti Iacobi Equitum, die IX m. Septembris a. D. MCMLXII, Catholicam studiorum Universitatem, cui titulum « Madre y Maestra » inscribentes, non tantum laudes Litterarum Encyclicarum « Mater et Magistra)) Papae Ioannis XXIII praedicare proposuerunt, sed etiam earundem Litterarum Encyclicarum fundamentalia principia ut fontem unde ipsa Universitas haurire deberet iudicaverunt.

Peculiari lege diei XXXI m. Decembris a. D. MCMLXII ab Auctoritate Civili agnita, Universitas ingenium suum in artibus humanis et in scientiis socialibus technicisque exercere coepit, claritate inter varios doctos circulos gradatim refulgens.

Oecumenici Concilii Vaticani Secundi doctrina innixa, Universitas contendit ut praesentiae mentis christianae in totum Dominicanae culturae altioris promovendae studium diffundatur, et studentes formentur homines munere vere praestantes, gravioribus officiis in societate obeundis parati atque fidei in mundo testes (Cf. *Gravissimum educationis,* n. 10).

Conscia aequalis personarum dignitatis, Universitas peculiare explet officium ad humaniorem aequioremque vitae condicionem promovendam.

Sentiendi vis hodiernum celerem scientificum ac technicum progressum eam incitat ad laborandum ut ipse progressus in totius hominis et societatis bonum vertat, ethica rei technicae antecellat, persona rebus praestet, spiritus materiae antecedat (cf. Ioannis Pauli II, Litteras Encyclicas *Redemptor hominis,* n. 16: *AAS* 71 [1979], 290). Ita Uni-

versitas confert ut humanae personae intellectualis natura perficiatur per sapientiam quae mentem hominis ad vera bonaque inquirenda ac diligenda suaviter attrahat et qua imbutus homo per visibilia ad invisibilia adducatur (Of. *Gaudium et spes,* n. 15).

Arcta cum Episcopis coniunctione in culturae evangelizatione suum impendit opus quo aptius efficaciusque Evangelii virtute informentur rationes cogitandi, criteria iudicandi, normae agendi.

Transactis viginti quinque annis, tot perpensis fructibus ab Universitate obtentis sive quoad investigationem et altiorem institutionem in beneficium populi Dominicam sive quoad dialogum fovendum inter Evangelium et scientiam, Exc.mus Dominicanus Episcoporum Coetus, Exc.mo Nuntio Apostolico apud Dominicanam Rempublicam studiose cooperante, expostulavit a S. Sede ut dilecta studiorum Universitas consequeretur peculiarem honorem academicam erectionem accipiendi simulque privilegium « Pontificio)) titulo sese distinguendi.

Congregatio pro Institutione Catholica igitur, prolatas sibi preces laetanter accipiens, rem Papae Ioanni Paulo II diiudicandam detulit. Cum Ipse, pro paterna Sua in Universitatem benevolentia, libenter postulatis annuere dignatus sit, Congregatio auctoritate ab eodem Summo Pontifice sibi concredita, ad gloriam Dei Optimi Maximi Ecclesiaeque decus et incrementum, peculiariterque in succrescentem civilem religiosamque prosperitatem dilectae Dominicanae Nationis CATHOLICAM STUDIORUM UNIVERSITATEM ((MADRE Y MAESTRA)) in Urbe Sancti Iacobi Equitum vigentem, hoc Decreto, ad se quod pertinet, ad normam can. 807 Codicis Iuris Canonici, *in perpetuum* canonice erigit atque erectam declarat.

Eadem Congregatio, de speciali Summi Pontificis indulto, nunc erectam Universitatem TITULO PONTIFICIO hoc eodem Decreto periucunde decorat honestatque, Academicis eiusdem Auctoritatibus mandans ut totis viribus volentique animo attingendo fini, promovendae scilicet Universitati quoad aspectum academicum-scientificum et peculiariter quoad integram eius activitatem fide catholica permeandam strenuo instent; rogansque omnes ad Universitatem pertinentes ut, conscii canonicam erectionem et titulum Pontificium peculiarem nexum cum Sancta Sede secumferre, fidelissimo animo Ecclesiae Magisterio adhaereant. Ex hac assidua cum Magisterio Ecclesiae consuetudine, Universitas, pro sua parte, specialissimo modo cooperare tenetur ut Christi Bonum Nuntium in humanae culturae provincia praesens efficiatur ac provehatur.

Haec Congregatio, dum Pontificiae Universitati « Madre y Maestra » omnia tribuit ac agnoscit iura, honores, privilegia atque officia huiusmodi Athenaeis in universo catholico orbe de more spectantia, eandem tutandam ac gubernandam committit Episcoporum Dominicani Coetus assiduis curis. Eorum imprimis erit invigilare ut nota catholicitatis Universitatis sub omni aspectu continuo servetur et foveatur.

Congregatio insuper Exc.mum Episcopum Urbis Sancti Iacobi Equitum pro tempore Universitatis MAGNUM CANCELLARIUM constituit ac declarat omnibus ei concessis iuribus atque officiis huic muneri ex Ecclesiae legibus praxique manantibus.

Congregatio denique praecipit ut omnia compleantur quae in Codice Iuris Canonici ceterisque Sanctae Sedis documentis de Universitatibus Catholicis necnon in ipsius Pontificiae Universitatis Statutis, ab eadem Congregatione approbatis, adimplenda praescribuntur; ceteris servatis de iure servandis; contrariis quibuslibet nullatenus obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Congregationis, die ix m. Septembris a. D. MCMLXXXVII.

VILLELMUS Card. BAUM, *Praefectus*

Franciscus Marchisano, *Subsecretarius*

Loco £8 Sigilli

In Congr. pro Institutione Cath. tab., n. 1504/86/26.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Udienza Ufficiale per la presentazione delle Lettere Credenziali:

Lunedì, 16 Novembre 1987, S. E. il Signor JAVIER CUADRA LIZANA, Ambasciatore del Cile presso la Santa Sede.

Sabato, 28 Novembre 1987, il Signor STEVENS, E. MAPUNDA, Ambasciatore del Malawi presso la Santa Sede.

Ha, altresì, ricevuto in Udienza:

Giovedì, 29 Ottobre, S. E. il Signor PINTO DA COSTA, Presidente della Repubblica di Säo Tomé e Príncipe.

Sabato, 7 Novembre 1987, S. E. il Signor JOSEF RIEGLER, Ministro per l'Agricoltura d'Austria.

Sabato, 7 Novembre 1987, S. E. il Signor REMIGIO MORALES BERMÚDEZ, Ministro per l'Agricoltura del Perù.

Mercoledì, 11 Novembre 1987, S. E. il Signor IRIS RESENDE, Ministro per l'Agricoltura del Brasile.

Mercoledì, 11 Novembre 1987, S. E. il Signor MARCOS ESPINEL, Ministro per l'Agricoltura dell'Ecuador.

Sabato, 14 Novembre 1987, FOn. THOMAS KLESTIL, Segretario generale del Ministero degli Affari Esteri d'Austria.

Venerdì, 20 Novembre 1987, S. E. il Signor SHARIFUDDIN PIRZADA, Segretario generale della Conferenza Islamica.

Lunedì, 23 Novembre 1987, S. E. il Signor FISEHA DESTA, Vice Presidente della Repubblica Democratica di Etiopia.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

7 novembre 1987. Mons. Beniamino Stella, Arcivescovo titolare di Midila, *Pro-JSÍunzio Apostolico in Congo.*

28 » » Mons. Marian Olea, elevato alla sede titolare arcivescovile di Raziaría, *Pro-Nunzio Apostolico nell'Iraq e nel Kuwait.*

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

3 novembre 1987. P. Giovanni D'Ercole, F. D. P., *Membro del Gomitato Centrale per l'Anno Mariano.*

6 » » Il Sac. Ivan Marín López, Sottosegretario del Pontificio Consiglio «Cor Unum», *Membro della Pontificia Commissione per la Pastorale degli Operatori Sanitari.*

17 » » S. E. mons. Ercole Lupinacci, Vescovo di Piana degli Albanesi, *Membro della Pontificia Commissione per la revisione del Codice di Diritto Canonico Orientale.*

19 » » Mons. Gianni Danzi, *Delegato della Sezione Ordinaria dell' Amministrazione del Patrimonio della Sede Apostolica.*

20 » » P. Ferdinand Pratzner, S. S. S., *Segretario del Pontificio Comitato per i Congressi Eucaristici Internazionali, « in aliud quinquennium ».*

NECROLOGIO

3 novembre 1987. Mons. Herman Jan van Elswijk, Vescovo emerito di Morogoro *(Tanzania).*

4 » » Mons. Victorino Alvarez Tena, Vescovo di Celaya *(Messico).*

8 » » Mons. Stephan Katchou, Arcivescovo-Vescovo di Zaku dei Caldei *(Iraq).*

» » » Mons. Paul Vignancour, Arcivescovo emerito di Bourges *(Francia).*

13 » » Mons. Julius Gábris, Vescovo tit. di Decoriana.

17 » » Mons. Thomas Bernard Pearson, Vescovo tit. di Sinda.

19 » » Mons. José Félix Pintado Blasco, Vescovo tit. di Foba.

» » » Mons. Eduardo Martínez y Dalmau, Vescovo tit. di Teuzi.

26 » » Mons. Angel Pérez Cisneros, Arcivescovo emerito di Mérida *(Venezuela).*

An. et vol. LXXIX 14 Decembris 1987 N. 12

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico — Città del Vaticano — *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

LITTERAE DECRETALES

Beatus Franciscus Antonius Fasani, sacerdos professus Ordinis Fratrum Minorum Conventualium, Sanctus esse decernitur et definitur.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

In regno caelorum magnus vocabitur — dicit Dominus in sermone in monte habito de beatitudinibus — qui Domini praecepta fecerit et docuerit sic homines (Cf. *Mt* 5, 19) ; qui videlicet iustus factus est coram Deo vivendo secundum spiritum evangelicarum beatitudinum. Qui enim voluntatem Dei ita servaverit et servare docuerit, plene particeps erit mysterii salvifici, quod Redemptor noster Iesus Christus operatus est per ea, quae « fecit et docuit » *(Act* 1, 1) pro Patris gloria et mundi salute. Hanc veram magnitudinem et dignitatem christianus quisque Spiritus Sancti gratia ad consequendam vocatur.

Eiusmodi magnitudinem et dignitatem ostenderunt se magnifice et optime adeptos esse qui vitam egerunt evangelicam, in qua suprema Ecclesiae auctoritas christianas virtutes invenit et agnovit heroum more esse explicatas, ideoque iisdem altarium honores tribuit in numerum Sanctorum eos referendo. Virtutes enim eorum clare indicant unumquemque eorum, iuxta peculiares condiciones acceptae a Deo vocationis et missionis vivendo, illa perfecta caritate evangelica incitatum, quae est mandatorum primum et maximum, ceterorum mandatorum

principium et alimentum. Omnes insuper pro vitae exemplo, et multi etiam uti Evangelii ministri, splendide et efficaciter testificati sunt Christi Redemptoris doctrinam et Mysterium Paschale.

Ita gratiae Spiritus Sancti et peculiari vocationi religiosae et sacerdotali perfecte respondens « magnus in regno caelorum » factus est Beatus Franciscus Antonius, sodales Ordinis Fratrum Minorum Conventualium, cuius praeclara memoria semper viva et venerata fuit, praesertim in eius Ordine Franciscano, sicut et in regionibus Italiae meridianae.

Decessor Noster Pius Pp. XII, piae recordationis, qui Venerabilem Franciscum Antonium Fasani altarium honoribus insignivit in album Beatorum illum referendo die 15 mensis Aprilis anno MCMLI, in Litteris Apostolicis eodem die datis ***(AAS*** 43 [1951], pp. 270-274), voluit expresse illustrare ipsas virtutes a Beato exercitatas convenienter cum propria vocatione, factas esse eius gloriae et magnitudinis evangelicae fundamentum, quandoquidem in vita eius « inopia et humilitas obtinent pro facultatibus et gloria », voluitque etiam de homine Dei haec in lucem proferre : « (erat) naturae ipsius habitu supernoque quodam munere maxime aptus ad dicendum; qua exercitatione, continentem plagam totam perlustrans, fructum consecutus est amplissimum ».

Nos quoque hodie, Sanctorum honores Beato Francisco Antonio Fasani decernentes, pro certo habemus Nos Ecclesiae universali vitae christianae, religiosae et sacerdotalis proponere eximium et germanum exemplum, quod meruit illam veram magnitudinem a Domino promissam ei <(qui praecepta eius fecerit et docuerit » ; et confidimus praeterea testimonium, quod idem Beatus ipsa vita Christo Redemptori eiusque Evangelio dedit, simul cum testimonio ceterorum omnium caeli Sanctorum, fore ut in mundo fulgeat et in Ecclesia, quo praesentes et futurae progenies ad eadem principia evangelica excitentur hisque vitam suam accommodent.

Franciscus Antonius Fasani Luceriae natus est, in antiqua et ampla urbe Dauniae in Apulia septemtrionali, die 6 mensis Augusti anno MDCLXXXI. Post quattuor dies est baptizatus, nominibus inditis Donato Ioanne Nicolao, estque exemplis et hortationibus piorum parentum christiane educatus. Ob egregias bonitatis et intellegentiae dotes est in studia immissus apud Conventum Fratrum Minorum Conventualium ibi situm, in quo prima vocationis religiosae et sacerdotalis indicia animadvertit. In eundem Ordinem deinde admissus, novitiatum perfecit in Conventu Lactarii Montis, vulgo dicti Monte S. Angelo, nomine sibi

sumpto Francisco Antonio, et professionem fecit anno MDCLXXXXVI. Deinceps studia humanitatis et philosophica exercuit in variis Conventibus Provinciae suae religiosae S. Angeli et Provinciae Neapolitanae. Cursum theologicum trium annorum iniit in Conventu Agnonensi, rogavitque ut sibi liceret illum in Studio generali Asisiensi continuare prope sepulcrum seraphici Patris Francisci, ubi confidebat fore ut expeditius et altius incumberet in ulteriorem religiosam et sacerdotalem formationem pro acri sedulitate gratiae vocationis satisfaciendi.

Iuvenis religiosi petitio est admissa, ratione habita propensae eius facultatis ad studia sacra et vitae probitatis, quam concorditer Superiores et Fratres sodales admirabantur. Asisii Franciscus Antonius, rectus solida moderatione spiritali P. Antonii Marcheselli, se ad ordinationem sacerdotalem praeparavit, quam die 19 mensis Septembris anno MDCCV accepit. Cursum theologicum trium annorum explevit et cursum academicum inchoavit ut doctoris gradum adipisceretur, et insuper initium fecit ministerii verbi, praedicando, prospero cum exitu spiritali, sacras orationes quadragesimales, anno MDCCVII, in vico Palatio.

Franciscus Antonius iam plene suam formationem maturaverat et iure haberi poterat, ut Pauli verbis utamur, « perfectus homo Dei ad omne opus bonum instructus » *(2 Tim* 3, 17), cum, Superioribus Ordinis praecipientibus, anno MDCCVII ad urbem patriam reversus est ut se exerceret tamquam ((Philosophiae lectorem » in Studio Lucerino. Ibi, cum duos annos tirocinium lectoris egisset, doctoris theologiae dignitatem et nomen est assecutus et « sacrae theologiae magister » est renuntiatus. Exinde a Fratribus sodalibus et a populo est semper appellatus « Pater Magister », quo nomine adhuc vocatur in urbe Luceria,, praesertim in laudem eius eximii magisterii spiritalis.

Nominatus Studii Lucerini moderator, Franciscus Antonius obtinuit ut tres annos degeret in vicino eremo Alberonae, quo impensior! vitae spiritali se dederet, ut praeceptionem suam aleret inquisitione propria cuiusque coniunctionis cum Deo et aptam atque proximam praeparationem spiritalem praeponeret exercitio pleno ministerii sacerdotalis : ita in animo suo illam firmavit temperationem spiritus religiosi cum spiritu apostolico, quae constans vitae eius nota fuit.

Anno MDCCXII Franciscus Antonius singularem illam experientiam conclusit, ut cum spiritu serviendi se conferret ad novum munus Superioris Conventus Lucerini, quod ei concreditum erat. Etiam postea eodem munere identidem est functus et tres annos rite fuit

Minister Provincialis Provinciae suae Apulae-Molisinae S. Angeli. In his gravibus ministeriis explendis se semper ostendit incitatum suis insignibus sapientiae, prudentiae et caritatis facultatibus, cum intenderet imprimis ut verbis et exemplo, exercitium vitae evangelicae et apostolicae secundum S. Francisci spiritum in suis Fratribus sodalibus proveheret. Sic enim huiusmodi seraphicus spiritus in eius vita impiger et significans apparebat, ut eius Fratres ad eum, tamquam ad notam pro sua vocatione, se revocarent, et fideles Lucerini quasi S. Francisci imaginem admirarentur in eo.

Is quoque, humilis et pauper, seraphico cum ardore Deum amabat; arctius particeps factus mysterii Christi diligentissima exsecutione consiliorum evangelicorum, quae per vota oboedientiae, castitatis et paupertatis profitebatur, tantam cum Deo coniunctionem est consecutus, ut, mystice elatus, eum contemplaretur et constanter invocaret uti « summum amorem, immensum amorem, infinitum amorem, aeternum amorem ». Trahebatur is ad contemplandum eiusmodi divini amoris repercussum praesertim in mysterio Passionis Domini et divinae Eucharistiae, studebatque hoc duplex mysterium participare usu continentium et rigidarum paenitentiarum, et cotidiana sui oblatione una cum oblatione Sacrificii Eucharistici. Is quoque mysterium amoris Dei causam existimabat consilii salvifici, quod Matrem Redemptoris constituit redemptorum Matrem spiritalem Immaculatam Virginem Mariam, quodque omnes homines congregavit in unicam familiam filiorum caelestis Patris omnes humanas creaturas, ut inter se ament tamquam fratres in Christo.

Idem seraphicus ardor constanter excitavit etiam exercitium ministerii pastoralis illius studiosissimi Evangelii ministri. In consilio Superiorum qui, peracta formatione, eum miserant ad eius Provinciam religiosam ut illic ministerium sacerdotale explicaret, is voluntatem Dei vidit, qui ipsi certum et definitum mandatum pastorale delegabat, pro populo christiano exsequendum in ecclesiis eius patriae terrae, ad quarum necessitates adhibuit et aptavit omnia sua apostolica opera.

Multiplices fuerunt labores pastorales et caritatis, quibus dignus Domini minister indefatigata alacritate se tradidit, sed in culmine cuiusvis actionis apostolicae Mysterium eucharisticum aspiciebat. Hoc propositum clare conspiciebatur ex summo ardore, quo cotidie Sacrificium Missae celebrabat, cui sua cum spiritali utilitate intererant multi fideles, et etiam ex fervore quo omnibus inculcabat communionem fidei et amoris in celebrationem eucharisticam, hortabaturque

etiam ad plenam communicationem sacramentalem eos, qui in necessariis condicionibus essent.

Peculiari navitate inservivit exercitio ministerii verbi, cuius momentum intellegebat pro utilitate et incremento populi Dei. Fere sine intermissione ad praedicationem vacabat, tum quia sedulitate incitabatur ad veritatem evangelicam communicandam et fidei praecepta in ecclesia sua, maxime diebus festis et temporibus quae sollemnitates et festa liturgica antecedebant, tum quia exaudiendae ei erant postulationes eorum, qui eius excultos sermones audire cupiebant praecipue in quadragesima, in missionibus ad populum, in exercitiis et secessibus spiritalibus. Ex hac evangelica, simplici et efficaci praedicatione, exemplo vitae viri Dei comprobata, copiosa lumina fidei et incitamenta probabilia ad conversionem et ad sanctitatem fideles Lucerini et totius regionis Dauniae et Molisinae receperunt.

Singularem curam et observantiam Franciscus Antonius tribuit cultui Beatae et Immaculatae Virginis Mariae tam in ministerio verbi quam in vita sua spiritali. Fides mysterii divinae maternitatis Mariae fundamentum erat ardentis et filialis pietatis, quam erga eam habebat quamque instanter fidelibus inserebat. Qua re, studio et precatione, nitebatur semper altius illud mysterium perscrutari, honorare et magis laudibus tollere sanctitatem Immaculatae Virginis Mariae eiusque spiritalem maternitatem, cui Dominus voluit humanum genus redemptum concredere. Ante omnia singularis fuit eius pietas erga privilegium Immaculatae Conceptionis Mariae, quam omnimodis fidelibus inculcabat quamque cum iis ferventer et magna sollemnitate celebrabat ; ideo in suo Ordine notus est ut unus ex fervidissimis et vehementissimis apostolis Virginis Immaculatae. Sed eadem diligentia eodemque fervore celebrabat ceteros omnes dies festos Beatae Virginis Mariae, Matris Dei Matrisque nostrae, praesertim septem « sacra novendialia » agendo, quae ipse composuerat idoneis considerationibus, precibus et cantiunculis, quaeque multam communicationem et religionem in fidelibus incitabant.

Salutis animarum studium, quo eius ministerium verbi corroborabatur, efficiebat ut esset etiam assiduus et plenus caritatis in administrando Sacramento Reconciliationis, in quo omnibus paenitentibus qui eum adhibant aequabiliter misericordiam Dei testabatur et evangelicae paenitentiae necessitatem. Eodem spiritu implorare pergebat peccatorum conversionem solita invocatione : « Deus misericordia salvans ».

Fervor precationum et operum apostolicorum atque caritatis Francisci Antonii ad omnes patebat; tamen, secundum spiritum Evangelii, praetulit indigentiores, seu pauperes, aegrotos, in carcere inclusos urbis suae- Ipse officium fraternae caritatis fortiter sentiebat, monebatque assidue fideles de summa necessitate exsequendi Domini mandatum. Ita potuit rationem perficere constantis auxilii pauperibus ferendi, secum trahens in opere caritatis familias urbis locupletes. Aegros visebat et consolabatur, iis solacium praebebat, qui in custodia tenebantur quique eius curae spiritali commissi erant, semper omnes adhortans, ut in Dei misericordia fiduciae et patientiae causas quaererent.

Cum, anno MDCCXXXXII, Franciscus Antonius est gravi morbo correptus, statim intellexit se vitam hanc esse conclusurum eamque Deo devovit perfecta cum laetitia, patriam appetens caelestem. Mortuus est Sacramentis Ecclesiae refectus et invocata tutela Virginis Immaculatae, die 29 mensis Novembris, eodem anno MDCCXXXXII, et mox circa eius corpus exanimatum, palam propositum in ecclesia, totus populus Lucerinus confluxit, qui servo bono et fideli, a Domino ad praemium aeternum vocato, gratum suum animum et venerationem aperuit.

Corpus Servi Dei sepultum est in eadem ecclesia, quam is materiali opere refecerat, cuius tot annos decus curaverat et in qua longi et infatigabilis apostolatus labores sustinuerat. Ex eo die illius fama sanctitatis ita aucta est et vulgata, ut post quattuor solos annos, anno videlicet MDCCXXXXVI, Episcopus Lucerinus statuerit Processus Informativos instruere respectu Causae Beatificationis et Canonizationis Servi Dei. Causa introducta anno MDCCCXXXII, instructi sunt Processus apostolici «de virtutibus theologalibus, cardinalibus aliisque connexis», quas Leo XIII Decessor Noster edixit heroum in modum exercitas Decreto die 1 mensis Iunii, anno MDCCCLXXXXI, edito.

Post Processus canonicos consultum est de duobus miraculis precationi Francisci Antonii Fasani tributis; et post faventem sententiam Sacrae Rituum Congregationis, expressam in Congregationibus praeparatoriis sicut etiam in Congregatione Generali, et dein a Papa Pio XII Decreto die 4 mensis Martii anno MCMLI prodito approbatam, idem Summus Pontifex altarium honores decrevit Venerabili Francisco Antonio, illum in Beatorum numerum referendo, die 15 mensis Aprilis eodem anno MCMLI.

Paulo post quaesitum est de alia mira sanatione, quae obtenta dicebatur deprecatore Beato Francisco Antonio. Instructo Processu canonico, disceptatum est de hoc asserto miraculo apud Sacram Con-

gregationem pro Causis Sanctorum, estque disceptatio feliciter conclusa tum in Congressu Peculiari Patrum Consultorum die 27 mensis Novembris anno MCMLXXXIV,, tum in Congregatione Ordinaria Patrum Cardinalium die 25 mensis Februarii anno MCMLXXXV. NOS idcirco, re penitus perspecta, sententiam Sacrae Congregationis rati, per Decretum die 21 mensis Martii anno MCMLXXXV propositum declaravimus : « constare de uno miraculo, Beato Francisco Antonio Fasani deprecatore, a Deo patrato, scilicet de rapidissima, perfecta ac constanti sanatione dominae Mariae Stratagemma a stenosi recto-sigmoidea, indolis probabiliter inflammatoriae, chronicae ». Quapropter in Sacro Consistorio die 24 Februarii vertentis anni celebrato, statuimus Beatum Franciscum Antonium Fasani die 13 Aprilis anno MCMLXXXVI in Sanctorum Caelitum albo referre.

Hoc igitur fausto die, maxima cum Nostri animi et universi Populi Dei laetitia, in Patriarchali Basilica Vaticana Sancti Petri quo ex Apulia aliisque Italiae regionibus, necnon ex pluribus orbis terrarum partibus, pietatis causa peregrinatiores advenerint, et ubi multi S. R. E. Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, Praelati Curiae Romanae aderant, Nos precibus obsecundavimus Venerabilis Fratris Nostri Petri Cardinalis Palazzini, Praefecti Sacrae Congregationis pro Causis Sanctorum, qui Nos oravit ut Beato Francisco Antonio Fasani Sanctorum Caelitum honores decerneremus. Itaque, postquam auxilium omnium Sanctorum imploravimus ac Divino Spiritui adhibuimus preces, vi Supremi Ministerii, quo fungimur ut Universae Ecclesiae Magister et Vicarius Christi in terra, haec declaravimus et decrevimus :

« Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae, et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, Beatum Franciscum Antonium Fasani Sanctum esse decernimus, et definimus, ac Sanctorum catalogo adscribimus, statuentes eum in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ».

Quibus prolatis vocibus praecepimus ut hae conficerentur expedirenturque Litterae Decretales. Gratias autem et egimus Nos Deo una cum praesentibus utque sermonem habuimus de novensili Sancto ipsiusque mirandis virtutibus et operibus, caeleste eius primi invocavimus patrocinium et augustiore ritu divinum sacrificium ad eius pariter

honorem perreximus facere. Quapropter omnibus, quae investiganda et ponderanda fuerant, accuratissime peractis, singula ea quae supra memoravimus, iam nunc toti Ecclesiae patefacimus, mandantes ut harum Litterarum exemplis et locis, etiam typis editis, manu tamen alicuius tabellionis subscriptis sigilloque impressis, eadem prorsus fides habeatur, quae his ipsis tribueretur, si quando deinde exhiberentur.

DatumRomae, apud Sanctum Petrum, die decimatertia mensis Aprilis, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo sexto, Pontificatus Nostri octavo.

EGO IOANNES PAULUS
Catholicae Ecclesiae Episcopus

Iosephus Del Ton, *Protonot. Apost.*



In Secret. Status tab., ». *182.855.*

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

BONDUKUENSIS

Divisa dioecesi Abenguruensi, nova dioecesis conditur in Re publica Litoris Eburnei « Bondukuensis » appellanda.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Qui benignissimo Dei consilio in vertice sacerdotalis potestatis constituti sumus, iam in hoc praesertim considerationem Nostram intendimus : qua nempe ratione sanctissimam Christi religionem, cuius hic in terris Vicarii ceu Petrus facti sumus, magis magisque proferamus :

resonant enim usquequaque in animo Nostro verba illa divini Redemptoris : «Euntes... praedicate » *(Me* 16, 15), et: «Pasce agnos... pasce oves » *(Io* 21, 15-17). Cum ergo Venerabiles Fratres Nostri S. R. E. Cardinales, Congregationi pro Gentium Evangelizatione praepositi, iam proposuerint ut detractis nonnullis territoriis a dioecesi Abenguruensi nova exinde dioecesis ibi loci conderetur; Nos re bene reputata, in sententiam Congregationis eundum esse censuimus, ac quae sequuntur statuimus. Ab Ecclesia quam indicavimus has civiles divisiones, quae dicuntur, detrahimus, ut vulgari lingua cognominantur : Bouna, Tehini, Nassian, Bondoukou, Sandégué, et Tanda, exclusis tamen paroeciis quae propria illorum lingua Assuéfry et Transua appellantur, in Divisione Tanda sitis iisque novam dioecesim condimus *BonduJcuensem* appellandam. Episcopus, cui dioecesis tradetur administranda, sedem suae commorationis in urbe principe loci Bondoukou ponet, ibique cathedram figet, in templo videlicet Sanctae Ottiliae, cui omnia iura templorum cathedralium facimus. Cetera quae ad dioecesium conditionem pertinent Iure Canonico temperentur. Haec autem omnia quae statuimus Venerabilis Frater Antonius Mattiazzo ad exitum deducet, Archiepiscopus titulo Virunensis, et in Litore Eburneo Apostolicus Nuntius, factis scilicet potestatibus ad rem necessariis; poterit etiam alium Virum legare modo in ecclesiastica dignitate constitutum. Actis autem rebus, documenta exarentur, atque sinceris exemplis ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione cito mittantur. Contrariis minime obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die tertia mensis Iulii, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo septimo, Pontificatus Nostri nono.

© AUGUSTINUS Card. CASAROLI
a publiois Ecclesiae negotiis

IOSEPHUS Card. TOMKO
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Iosephus Del Ton, *Proton. Apost.*
Angelus Lanzoni, *Proton. Apost.*

Leco ÇQ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 206.0$.

II

KINKALANA

Detractis nonnullis terris ab archidioecesi Brazzapolitana, nova quaedam dioecesis constituitur, Kinkalana cognomine.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ecclesia sancta, Evangelii Christi felix heres et fldelissima custos, semper quidem per aetates sanctissimam religionem nostram praedicavit et praedicat, propagavit et propagai, cumque populis ceu thesaurum omnium pretiosissimum et communicavit et communicat : conectitur enim cum hac praedicatione, ex qua una fides in Christum manat, uniuscuiusque creaturae, quae sub caelo est, aeterna adipiscenda salus ac vita beata. Quare, cum Venerabiles Fratres Nostri S. R. E. Cardinales, Congregationi pro Gentium Evangelizatione praepositi, iam in eam sententiam inclinaverint, ut in Congo novam dioecesim e Brazzapolitana archidioecesi conderemus, Nos, re bene considerata, haec, apostolica Nostra auctoritate decernimus. Territoria Districtum civilium, quos dicunt, Boko, Mindouli, Kindamba, Mayama, Kinkala, exclusa tamen et parte huius Districtus quas ad orientem fluminis Manzomo sita est, ab archidioecesi Brazzapolitana distrahimus atque in novam dioecesim redigimus, cuius erit nomen *Kinkalanae.* Novae circumscriptionis sedes in urbe Kinkala ponatur, in templo nempe principe, cui omnia iura talium sedium attribuimus. Ceterum eadem Ecclesia suffraganea erit Brazzapolitanae Sedi ad normam iuris Canonici. Ad ea vero quae dioecesis administrationem respiciunt, iura cleri atque populi, similia, ius Canonicum ad amussim servetur. Haec autem, quae per has Litteras iussimus, Venerabilis Frater Beniaminus Stella ad exitum deducet, vel quem ipse legaverit, factis nempe necessariis facultatibus. Re vero acta, documenta exarari faciet atque sinceris exemplis ad Congregationem de Propaganda Fide cito mittet. Contrariis nihil obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum, die tertia mensis Octobris, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo septimo, Pontificatus Nostri nono.

© AUGUSTINUS Card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

IOSEPHUS Card. TOMKO
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*
Rodomontes Galligani, *Proton. Apost. s. n.*

Loco £ß Plumbi
In Secret. Status tab., n. 206.414.

III

IUTICALPENSIS

Immaculatae Conceptionis B. M. V. in Olancho Praelatura territorialis ad gradum dioecesis evehitur quae deinceps Iuticalpensis erit cognominanda.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Universae Dei Ecclesiae regendae munus Nobis concreditum Ipsis requirit ut iis quae sacrae rei curationi melius gerendae sint apta sollicito ac sedulo studio consulere satagamus. Quandoquidem ergo Conferentia Episcopalis Honduriensis, laetanter animadvertens Praelaturam territorialem Immaculatae Conceptionis B. M. V. in Olancho, praesertim Franciscalis familiae Minorum Fratrum ob industriam commemorabilem, fidelium numero christianisque operibus efíiorescere, vota quoque ipsius Praelati, cleri ac populi excipiens, petiit ab Apostolica Sede ut supra commemorata Praelatura ad dioecesis dignitatem eveheretur itemque eiusdem nomen Curiae in Iuticalpensis nomen immutaretur, Nos profecto Ipsi, exstante favorabili voto Venerabilis Fratris Francisci de Nittis Archiepiscopi titulo Tunetensis, in nationi Honduriensi Apostolici Nuntii, Apostolicae Nostrae potestatis usi plenitudine, haec quae sequuntur statuimus ac iubemus. Praelaturam quam supra diximus ad gradum et dignitatem dioecesis evehimus et constituimus, servatis nempe iisdem finibus quibus nunc eadem terminatur. Novae dioecesis Episcopus servabit sedem in eadem urbe in qua usque adhuc Praelaturae sedes exstitit eiusque templum praelaticium ad gradum Ecclesiae Cathedralis augetur. Iuticalpensi Episcopo pro tempore praeterquam quod debita iura concedimus, obligationes quoque imponimus, residentium Episcoporum propria. Noviter conditam dioecesim metropolitanae Sedi Tegucigalpensi suffraganeam facimus eiusque Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi Tegucigalpensis pro tempore subicimus. Consultores dioecesani deligantur ad iuris normam, qui ipsi assint Episcopo consilio et opera. Mensam episcopalem constituent Curiae emolumenta, fidelium stipes atque temporalia bona quae ad eandem Praelaturam usque adhuc spectarunt. Ad seminarii erectionem sacrorumque alumnorum institutionem quod attinet, serventur iuris canonici praescripta, ob oculos normis ac praeceptis a Congre-

gatione pro Institutione Catholica statutis. Ex seminarii autem alumnis quidem necnon sacerdotes ad studia complenda, cum fas erit, ad Collegium Pium Latinum Americanum in Urbe mittantur. Quod ad novae dioecesis regimen attinet, bonorum ecclesiasticorum administrationem, Administratoris dioecesani, sede vacante, electionem, fidelium iura et onera aliaque id genus, quae ius canonicum praescribit, adamussim serventur. Simul atque novae dioecesis constitutio ad effectum deducta erit, ea ipso clerus Praelaturae adscriptus, novae dioecesi assignatus habeatur. Ad novensilem exinde constitutam dioecesim promovemus Venerabilem Fratrem Thomam Andream Maurum Muldoon, adhuc Episcopum Praelatum eiusdem Praelaturae. Ad ea denique explenda quae per has Litteras iussimus, Venerabilem Fratrem Franciscum De Nittis legamus vel, ipso absente, negotiorum Apostolicae Sedis in Republica Honduriensi gerentem, factis iis facultatibus necessariis et opportunis etiam subdelegandi quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum. Re tandem ad exitum perducta, documentum conficiatur, cuius sincerum exemplar ad Congregationem pro Episcopis sedulo mittatur. Contrariis minime obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die tricesimo primo mensis Octobris, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo septimo, Pontificatus Nostri decimo.

© AUGUSTINUS Card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

© BERNARDINUS Card. GANTIN
Congr. pro Episcopis Praef.

Marcellus Rossetti, ***Proton. Apost.***
Rodomontes Gallicani, ***Proton. Apost. s.n.***

Loco £B Plumbi
In Secret. Status tab., n. 207.751.

IV

SONGEANA

In Tanzaniae finibus nova provincia ecclesiastica constituitur Songeana appellanda.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Christi Domini sollicitudini Nostrae commissas partes hic in terris tuentes, universis fidelium communitatibus, per orbem terrarum dissi-

tis, usque advigilamus, eaque omnia, quae iisdem profutura noverimus, praestare studemus. Animadvertentes igitur in Republica, quae Tanzania cognominatur, rem catholicam uberrime, propter nativum clerum externumque, efflorescere, novam Provinciam Ecclesiasticam censuimus erigi posse. Itaque, re mature perpensa, auditis quorum interest votis, de consilio Venerabilis Fratris Nostri S. R. E. Cardinalis Congregationis pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide Praefecti, haec quae sequuntur decernimus et iubemus. Distrac tis videlicet dioecesibus Songeana, Iringaënsi, Lindiensi, Niombena, Mbingaënsi, Mtuarana et Tunduruensi-Masasiensi a Sede metropolitana Daressalamensi, Mbeyaënsi autem a Sede metropolitana Taboraënsi, novam ex his omnibus sedibus Provinciam Ecclesiasticam condimus *Songeanam* appellandam, cuius Sedes princeps Songeana erit; pariterque Venerabilem Fratrem Iacobum Komba ad praesens Episcopum Songeanum nominamus et renuntiamus Archiepiscopum Metropolitanum Songeanum, datis nempe iuribus officiisque impositis quae hac cum dignitate coniunguntur, secundum sacrorum canonum praecepta. Contrariis nihil obstantibus. Quod superest, hac arrepta opportunitate, ut cuncta fauste cedant, instanter adprecamur Dominum. Ferax iam ager iste Dei gratia desuper descendente fecundetur ut et eius segetes laetissimae evadant et quam largissimae.

Datum Romae, apud S. Petrum, die duodevicesima mensis Novembris, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo septimo, Pontificatus Nostri decimo.

© AUGUSTINUS Card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

IOSEPHUS Card. TOMKO
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*
Rodomontes Gallicam, *Proton. Apost. s.n.*

Loco £g Plumbi
In Secret. Status tab., n. 209.294.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Beatorum honores Ludovico Zephyrino Moreau deferuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — **ce** Omnia possum in eo qui me confortât » *(Philipp.* 4, 13). Per quae verba a beato Paulo ad Philippenses scripta, filios ipsi carissimos, sane Apostolus sensus animae suae aperit, aeque in abundantia et privatione, aeque in humilitate et gloria contentae. Ostendit etiam Apostolus esse sibi persuasum sive nunc sive in posterum, in certaminibus, in temptationibus, in persecutionibus, in ipsa morte, vires non esse defuturas. Nam qui eum confortât Deus est amoris, qui percussit quidem illum ob conceptum odium in Christi discipulos, sed tanta etiam sui dilectione replevit ut totam vitam suam Deo consecraret, viresque impenderet, ultra quam humanae creaturae possibile est. Ad quem Apostolum gentium mens ultro volat, si modo novum Canadiae beatum consideremus Ludovicum Zephyrinum Moreau. Cuius prima pastoralis epistola, dioecesis S. Hyacinthi populo missa, tale inititum habet, sane sollemne : ((In spe sumus posse nos missionem nostram vigilanter tueri, sanctisque moribus a maioribus traditis adhaerere fideles, quasi ad lucentem stellam in irato mari respicientes. Hi sane in periculis, quae imminent, iter ostendent : semper enim bonum quod agimus difficultates saepiunt, eo profecto maiores, quo maiora gerenda aggredimur. Mentem autem nostram haec omnino subibunt, ne infirmitas et imbecillitas animi praevaleat ; neque defectus meriti, scientiae, cognitionum deterreat. Iterabimus ergo cotidie magna in Deum confidentia cum eodem Apostolo illud : "Omnia possum in eo qui me confortât", nos ipsos gratiae Dei committentes ». Beatissimus Dei Servus has in auras die prima mensis Aprilis, anno MDCCCXXIV, prodiit, in urbe Americana Bécancour. Familia, agricolarum; fratres atque sorores illi duodecim, in quorum serie ille quintus fuit. Parentibus autem numquam in mentem venerat posse eum se dedere studiis, nisi parochus loci singularem eius intellegentiam pietatemque egregiam admiratus, de Seminario ab eo adeundo cogitasset. Neque vero puer spem opinionemque magistrorum ac moderatorum fefellit. Nam non solum officio suo cumulate satis fecit, sed etiam iuniores in Seminario Nicoletiano docuit. Factum tamen est ut nimio labore labefacta vale-

tudo haud parum detrimenti acciperet. Ceterum eo tempore Deus Ludovici virtutem severo experimento probavit : nam eius Archiepiscopus, Quebecensis videlicet, noluit eum ad sacerdotium admittere. Quare, cupiens ille sacerdotio initiari, sinente Episcopo suo, eam gratiam a Marianopolitano poposcit Antistite, summa nempe animi humilitate et ad omnia paratus. Res autem dignum illum Praelatum tanta admiratione affecit, ut admotam expostulationem quam aequissime acciperet. Quin, Ioannes Carolus Prince, Coadiutor Marianopolitanus, domo exceptum puerum apte formavit, quasi argillam figulus, beneque erudiit, atque tandem, die undevicesimo mensis Decembris, anno MDCCCXLVi, instante Christi Natali, sacerdotio auxit. Eodem autem disponente prima officia sacerdotalia adiit : praefecti videlicet caerimoniarum in cathedrali templo, Viri a largitionibus pro coetibus Religiosis urbis Marianopolitanae, Cancellarii Episcopi. Per haec officia mature quidem Dei Servus sibi omnium animos benevolentiae vinculis obligavit : eiusque, ut omnes eum « bonum Dominum Moreau » iam vocarent. Cum autem per ea tempora, anno MDCCCLII, iam nova S. Hyacintho dioecesis condita esset, patuit Dei Servo latior ager laboris. Nam Ioannes Carolus Prince, primus illius dioecesis Episcopus, cum virtutes ingeniique laudes Ludovici penitus cognosceret, non dubitavit illo uti in administranda dioecesi. Nominavit ergo eum Cancellarium episcopalem; praeposuit Institutis Religiosis; ac post breve tempus Curionem templi cathedralis fecit, Vicarium Generalem atque vel Administratorem dioecesis, si quando ipse Episcopus, nam crebro eveniebat, longe abesset. Cum vero mense Iulio, anno MDCCCLXXV, iam Episcopus S. Hyacinthi fato cessisset, Ludovicus Vicarius Capitularis electus est; indeque clero petente atque populo, eius aeque virtutem admirantibus, Episcopus S. Hyacinthi renuntiatus est, quartus ordine in novensili Ecclesia regenda, primus tamen omnium ornamento pietatis. Excepta autem episcopali consecratione die sexto decimo Ianuarii, anno MDCCCLXXXVI, ilico Pauli verba quae rettulimus quasi facem inlustrem extollens, exercendi agri labores iniit. Voces illae Apostoli significabat enim suae humilitatis confessionem; sed manifestabant etiam animi fiduciam avidamque spem, fore ut res feliciter cederet, atque voluntatem omnes muneris difficultates evincendi. Ceterum, laboranti illi, hoc magno auxilio fuit, quod necessitates, clerum, populumque penitus cognosceret ; potuit ergo facilius rebus mederi : novando scilicet vetera, novaque apponendo instituta. Ac quanta enata in eius administratione dioecesis ! Cathedrale templum e solo stetit,

idque tantae maiestatis, ut adhuc sit populo aptum; ludi scholares aperti, quibus bene moderandis Congregationem Religiosarum creavit. Item per parem Religiosarum familiam sacerdotibus providit, « Sororum a S. Martha » cognominatarum. Ceterum hos tam amabat, ut auxiliares, consiliarios, fratres, amicosque appellare consuesceret: quos crebro visitabat, facile in conspectum admittebat, missisque ad singulos litteris, confortabat ; per Synodos hortabatur ad optima ; adiuvabat, si quando paroecia tenuiorem victum praeberet. Singulari vero diligentia pueros ad sacerdotium vocatos quaerendos curabat, eosque interdum suis opibus sustinebat. Ac qui a suo clero merito exigebat ut in creditum gregem toto pectore incumberet, episcopali muneri ipse vehementer instabat pastor sollicitus, suosque fideles tum sermonibus ac litteris Pastoralibus prosequebatur, tum etiam ceteris iis rationibus, quibus boni Christi pastores filiorum malis medentur, bona quaerunt. Praecipua vero eius cura erat de Christi Persona de eiusque cordis divitiis tractare; item de Virgine Maria, de S. Iosepho eius Sponso, in quem singulari animi pietate ferebatur, cuiusque nomine alteram ex eius Congregationibus insignivit. Ceterum," magna sunt eius virtutis documenta, maxime caritatis, omnino egregiae ; simplicitatis, quam neque Episcopus exuit ; paenitentiae ; eaque testimonio sunt fecisse eum semper antequam doceret; secus non sane intellegeretur, cur populus tam presse sequeretur euntem. Pulchram S. Hyacinthi dioecesim Ludovicus viginti quinque annos rexit, sedulus ac prudens gubernator, licet labores tam rigidos tolerasset. Merito illius regionis Episcopi eum, cum ad caelestem Patrem rediit, die quarto et vicesimo Maii, anno MDCCCCi, « Episcopum sanctum » cognominarunt. « Merito)) diximus ; idque recte. Mature enim fama eius virtutum late manante, processuum Canonicorum initium factum est; informativi, videlicet, et Apostolici, ab anno MDCCCCXXIX ad annum MDCCCCXXXIV, et ab anno MDCCCCLIII ad MDCCCCLV. At solummodo anno MDCCCLXXHI, die decima Maii, factum est decretum de Servi Dei virtutibus heroum more exercitis. Cumque multi eius sanctitati fiderent, non sane diu porten ta miraculorum desiderata sunt : qui enim in vita pauperes egenosque dilexerat, etiam mortuus aifuit in necessitatibus. En ergo Colleen Margarita 0'Brien, octo annorum aegrota puella sanari e lymphemate hystiocitica rhinopharingea. Examinata iuridice sanatio die altero et vicesimo mensis Ianuarii, anno MDCCCCLXXXV, divinitus evenisse constitit: nam in instanti facta est, perfecta fuit, durabilis. Idcirco theologi consultores antea, Cardinales et Episcopi in ordinaria congregatione postea, id

est die octavo Iulii, anno MDCCCCLXXXVI, naturam veri miraculi in ea sanatione confirmaverunt. Facto autem decreto de miraculo die decimo Novembris eodem anno, iam iter patuit ad sollemnem Servi Dei Ludovici Zephyrini Moreau aliorumque beatificationem. Quae sane hodie, die decima Maii, anni MDCCCCLXXXVII, sollemnissima caerimonia habita est, Romae, in Petriano foro. Ibi enim, magna Patrum Cardinalium, Episcoporum atque populi saepti corona, inter Sacrum beatificationis formulam rite pronuntiavimus, quae haec est : « Nos vota fratrum nostrorum Caroli Mariae Martini, Archiepiscopi Mediolanensis, Aloisii Gonzaga Lange vin, Episcopi Sancti Hyacinthi, Ioannis Badré, Episcopi Baiocensis-Lexoviensis. Iosephi Siri, Archiepiscopi Ianuensis-Bobiensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu, multorumque christifidelium explentes, de Congregationis pro Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Andreas Carolus Ferrari, Ludovicus Zephyrinus Moreau, Petrus Franciscus Jamet et Benedicta Cambiagio Frassinello, Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum die ipsorum natali : Andreae Caroli Ferrari die secunda Februarii ; Ludovici Zephyrini Moreau, die vicesima quarta Maii; Petri Francisci Jamet, die decima secunda Ianuarii; Benedictae Cambiagio Frassinello, die vicesima prima Martii, in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti)). Post quam vero novorum Beatorum patrocinium invocavimus, de illorum virtute sermonem habuimus, in omnium aedificationem. Haec vero quae gessimus iam firma esse volumus, sive nunc, sive in posterum, contrariis nihil obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die decimo mensis Maii, anno MDCCCCLXXXVII, Pontificatus Nostri nono.

B AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*

Loco ©Sigilli

In Secret. Status tab., n. 198.784.

II

Venerabili Dei Servo Emmanueli Domingo y Sol beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Dominus Iesus, missus a Patre ut omnes qui perierant salvaret *(Lc* 19, 10; *Mt* 18, 12 ; *Act* 4, 12; ***1*** *Tim*

2, **4,** etc.), sciens suam praesentiam corpoream in terris, Patris consiliis, ad tempus certum contineri, post autem in caelum se ascensurum ut esset ibi ((semper vivens ad interpellatum pro nobis » *(Sb* 7, 25), sua ineunte vita apostolica « vocavit ad se quos voluit ipse» *(Me* 3, 13) ut per eos et eorum successores suum opus salvificum indesinenter propagaretur. Itaque, ut ex Evangeliis novimus, quosdam Apostolos vocavit''(Ift 4, 18-22; *Me* 1, 16-20; *Lc* 5, 1-12 et 27-28; *In* 1, 35-51) et duodecim simul, postquam per noctem totam orationi vacavit *(Me* 3, 13-19; *Le* 6, 12-16). Ipse Dominus Iesus passim aperte suam praecipuam sollicitudinem ostendit de eorum paucitate quibus cura pastoralis populi esse deberet : « Videns autem turbas, misertus est eis, quia erant vexati et iacentes sicut oves non habentes pastorem. Tunc dixit discipulis suis : Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo Dominum messis ut mittat operarios in messem suam » *(Mt* 9, 36-38). Et similiter : « Levate oculos vestros et videte regiones, quia albae sunt iam ad messem ... Ego misi vos meteré » *(Io* 4, 35 et 38). Ipse vero, bonus Pastor, vitam suam pro ovibus ponit *(Io* 10, 14-15), quippe qui in eis sit « ut vitam habeant et abundantius habeant » *(Io* 10, 10). Hac ipsa voluntate ipso die Ascensionis suae in caelum, suos Apostolos in mundum universum misit his verbis : « Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis» *(Mt* 28, 19-20). Haec sollicitudo eorum qui quondam studio pastorali animarum vitam consecraturi erant in ministerio sacerdotali iugiter in Ecclesia viguit, potissimum a Concilio Tridentino (sess. XXIII, can. XVIII). Parum veruntamen prodesset cura vocationum sacerdotalium, quamvis eximia, si hae commode non instituerentur ad finem statutum, ut quam optime sacerdotali munere postea accipiendo fungerentur. Hac nimirum de causa Ecclesia, quae a suis primordiis ad nostram memoriam accurate curat firmam institutionem eorum qui sacerdotium petunt, iterum ab imis hanc quaestionem in quibusdam documentis Concilii Vaticani II, praesertim in Decreto *Optatam totius* nn. 2-3 perpolivit. Ex omnibus qui operam suam per saecula navarunt et fomento et fulcimento et curae vocationum sacerdotalium, forsan nemo ita enixe, ita prudenter, ita animose fecit ut Emmanuel Domingo y Sol, Sacerdos, iuste a Paulo VI, P. **M.** ((sacerdotalium vocationum sanctus apostolus » nuncupatus (cf. *Decretum super Virtutibus more heroum exercitis, AAS* 63 [1971] 156). Dertosae, in Hispania, natus die i mensis Aprilis anni MDCCCXXXVI, paenultimus

fuit inter duodecim filios in matrimonio Francisci Domingo et Iosephae Sol susceptos. Primas litteras in Collegio Sancti Matthiae didicit, et Seminarium dioecesanum adiit anno MDCCCLI, uhi triennium Philosophiae, septem annos Theologiae et annum Iuri Canonico vacavit. Episcopus Dertosensis Valentiam postea misit eum uhi Licentiam Theologiae obtinuit et ad Doctoris honorem pervenit. Sacerdotio praeditus est die II mensis Iunii anni MDCCCLX. Primi annis alacris ministerii cuncta ei munera credebant : missiones, paroecias, iuventutem, doctrinam, confessiones. « Sanctus — aiebat — ardor simul nos in omnes labores mittere videbatur ». Ut adolescentes iuvaret, Dertosae gymnasium educationis christianae ad mentis institutionem et ad oblectationem erexit. In apostolatu ephemeridum diligenter adlaboravit et primam omnium ephemeridum iuvem catholicorum Hispaniae, appellatam ei Congregante edidit. Tria Monialium coenobia aedificavit, aliquot coetus catholicos Operariorum et Patronorum coadunavit. Templum Reparationis Dertosae erexit, ubi nunc reliquiae eius corporis iacent. Ardor apostolicus eius animi numquam explebatur. Tandem invenit quod ille sermone hispanico definivit (da llave de la cosecha de todos los campos de la gloria de Dios » (segetis fundamentum in omnibus gloriae divinae campis) i.e. *futurorum Sacerdotum institutionem.* Dicere fas est illum (ut in Evangelio dicitur) cum hanc invenisset margaritam, cuncta vendidisse ut totum se huic ministerio plane praecipuum in Ecclesia dederet, quod eius verum fuit gaudium et corona. Opus Dertosae iniit anno MDCCCLXXIII ab aedificatione *Collegii Sancti Ioseph,* vocationibus ecclesiasticis sacrati, quod anno MDCCCLXXIX trecentos alumnos hospitio recepit. Postea Collegia Sancti Ioseph huic similia Valentiae, Murciae, Oriolae, Placentiae, Burgis, Almeriae, Ulysipone, Toleti constituit. Inter eius pulcherrima facta, institutio anno MDCCCLXXXXII Pontificii Collegii Hispani Sancti Ioseph in Urbe adnumeratur, quod quidem magni momenti fuit in renovatione spirituali et intellectuali cleri et Seminariorum totius Hispaniae. Horum Collegiorum mos et institutum ita penitus institutione alumnorum affecit ut plurimi Episcopi moderationem Seminariorum Dioecesanorum ei concrederent. Cum enim ei mors obvenit, ipse iam ad suum Collegium Sancti Ioseph duodeviginti Seminaria Dioecesana in Hispania et Mexico addebat, sed alia plura Seminaria oblata, prae Operariorum paucitate accipere non potuit. Ut opus suum perpetuum efficeret, Dominus anno MDCCCLXXXIII ei proposuit institutionem Sodalitatis Sacerdotum Operariorum Dioecesa-

norum a Corde Iesu, cui suum charisma vocationale et suum proprium spiritum commisit. Haec vis atque sacerdotalis impetus ut sacedotes •dioecesanos indesinenter iuvaret eum trahebat. Ipsis in quolibet Collegio diversorium constituerat et suos Operarios orabat ut semper essent parati ad Sacerdotibus in paroeciis et ministeriis opitulandum. Quae anxia sollicitudo vocationum etiam ut apostolatum saecularem promoveret illum impulit, maxime vero vocationes religiosas. Optimis operibus atque conatibus onustus in Dei gremio die xxv Ianuarii, anno Domini MCMix pie requievit. Nihil igitur mirum quod hic eximius Sacerdos «t iam in vita magno nomine sanctitatis fruebatur, quod nomen magis in dies palam increbuit post eius mortem. Propterea per annos MCMXXX - MCMXxxiv factus est in Curia Dertosensi Processus Ordinarius Super Virtutibus. Die xxvin Ianuarii anni MCMXLI editum est decretum super scriptis Servi Dei consignatis et die xn Iulii anni MCMXLVI est •datum decretum super Introductione Causae. Postea vero, per annos MCMXLVIII - MCMLI confectus est Processus super Virtutibus in specie et die xxiii Aprilis anni MCMLIV decretum de harum omnium inquisitionum iuridica validitate datum est. Deinde Congregatio pro Causis Sanctorum de Virtutibus Servi Dei causam prolixe in coetibus consuetis vidit, cunctis suffragiis secundis, et Theologorum Consultorum et Patrum Cardinalium. Nos autem, Nostra auctoritate rata habuimus haec vota, et decreto consignatio die iv mensis Maii anni MCMLXX Nostrum pandimus iudicium : Venerabilem Servum Dei, Emmanuelem Domingo y Sol heroum more virtutes exercuisse. Denique, processu canonico et discussionibus praescriptis Medicorum, Theologorum Consultorum et Patrum Cardinalium habitis, decreti ope, editi die x mensis Novembris anni MCMLXXXVI, declaravimus sanationem domini Raphaelis de la Rosa Vega, quattuor et sexaginta annos nati, prodigiose factam esse, ab infirmitate dicta « neoplasia pulmonar » gravissimo scilicet statu viarum respirationis, precibus Emmanuelis Domingo y Sol tributam. Postea dicta est dies Beatificationi sollemni. Hodie vero in Basilica Vaticana Sancti Petri hanc formulam inter sacra pronuntiavimus : « Nos, vota fratrum nostrorum Iesus Pia Gandía, Episcopi Seguntini-Guadalajarensis, Caroli Amigo Vallejo, Archiepiscopi Hispalensis, Richardi Mariae Cales Gordo, Episcopi Dertosensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu, multorumque christifidelium explentes, de Congregationis pro Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Maria Pilar a Sancto Francisco Borgia, Teresia a Iesu Infante et a Sancto

Ioanne a Cruce, Maria Angeles a Sancto Iosepho, Marcellus Spinola y Mestre et Emmanuel Domingo y Sol, Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum die ipsorum natali: Mariae Pilar a Sancto Francisco Borgia, Teresiae a Iesu Infante et a Sancto Ioanne a Cruce, et Mariae Angeles a Sancto Iosepho die vicesima quarta iulii; Marcelli Spinola y Mestre die decima nona ianuarii; Emmanuelis Domingo y Sol die vicesima quinta ianuarii, in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. Quae vero per has Litteras statuimus,, ea firma sint in perpetuum, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXIX mensis Martii, anno MCMLXXXVII, Pontificatus Nostri nono.

© AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*

Loco ¡33 Sigilli
In Secret. Status tab. n. 197.916.

III

Ecclesia paroecialis Praesentationis B. M. V. in urbe Rózanystok et archidioecesi Vilnensi ad Basilicae Minoris gradum evehitur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Sacra illa aedes, quae, Beatae Mariae Virgini dicata, in Poloniae urbe vulgo « Rózanystok)) exstat, merito ob structurae genus, at potissimum ob religionis cultum praedicatur. Provido igitur consilio putavit Venerabilis Frater Eduardus Kisiel, Episcopus titulo Limatensis atque Administrator Apostolicus Archidioecesis Vilnensis in « Biaiystok », ab Apostolica Sede petendum esse, ut eadem ad Basilicae Minoris eveheretur gradum et dignitatem, plane fore confisus, ut magna exinde proveniret Christiani populi coetibus utilitas. Quibus precibus libenti animo obsecundantes, Nos, e Congregationis pro Cultu Divino consultu deque apostolicae potestatis. Nostrae plenitudine, harum Litterarum vi statuimus, ut templum quod diximus, Deo consecratum in honorem Praesentationis Beatae Mariae Virginis in « Rózanystok », ad titulum ac dignitatem Basilicae Minoris evehatur, omnibus adiectis iuribus et privilegiis, quae templis hoc nomine insignibus rite competunt. Mandamus praeterea ut ea ad amus-

sim serventur, quae iuxta Decretum « De titulo Basilicae Minoris », die vi mensis Iunii anno MCMLXVIII datum, servanda sunt. Contrariis quibusvis non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxxi mensis Augusti, anno MCMLXXXVII, Pontificatus Nostri nono.

ffi AUGUSTINUS Card. CASAROLI, ***a publicis Ecclesiae negotiis***

Loco gg Sigilli
In Secret. Status tao., n. 208.181.

IV

Sinitur Archiepiscopus Caracensis Imaginem Beatae Mariae Virginis « de la Soledad », quae in urbe Caracis colitur, coronare.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Quandoquidem beata Maria Virgo est Christi Mater castissima, e qua per Filium salus nostra manavit; et exemplar et imago ipsa virtutum, in quam imitandam filii respicimus; Mater denique omnium nostrum atque tutela ac tegimen in tanto discrimine vitae, idcirco quidquid eo tendit, ut illius gloria gliscat, augeatur, amplificetur, id ilico animum Nostrum semper occupat, et, quoad fieri possit, nos agendum curamus : persuasum enim habemus semper cum Matris honore etiam Filii gloriam coniungi. Quam ob rem, cum Venerabilis Frater Noster Iosephus Ali S. E. E. Cardinalis Lebrun Moratinos, Archiepiscopus Caracensis, iam ab hac apostolica Sede petierit, ut Imago Beatae Mariae Virginis « Nuestra Señora de la Soledad », a populo cognominata, quae in templo S. Francisci Assisiensis in Urbe Caracis summa religione colitur, pretioso diademate redimire posset, Nos merito rati posse tale beneficium pietatem erga Deum eiusque Parentem augeri in fidelium pectoribus, in eius Praesulis sententiam benigne discessimus. Qua re, ea quae Congregatio pro Cultu Divino hac de re gessit, factis olim a Nobis facultatibus, confirmantes, aequo animo concedimus ut idem Venerabilis Frater Noster, vel Vir ab eo delegatus, possit nomine et auctoritate Nostra Imaginem de qua locuti sumus, scilicet B.M.V. « de la Soledad » coronare, stata nempe caerimonia, eaque sollemnissima, inter Sacrum, quo die ipse velit

cum populi commodo. Quod sane sive dilectissimo Oaracensi Antistiti sive sacro eius gregi felix, faustum fortunatumque sit. Contrariis nihil obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die v mensis Novembris, anno MDCCCCLXXXVII, Pontificatus Nostri decimo.

& AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*

Loco © Sigilli

In Secret. Status tab., n. 207.300.

V

Beatae Mariae Virginis Scapularia seu de Monte Carmelo imago quae in oppido « Czerna » colitur, in archidioecesis Cracoviensis finibus, sacro diademate redimitur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Dei Matris dilectionem et cultum quotiens profecto licet excitare in fidelium communitatibus et augere, Nos ardenti sane studio ac magna quadam laetitia perfundimur, quod non modo res ipsa praestantissima est ac prorsus frugifera, sed etiam cum intimo animi Nostri sensu optime congruit. Quapropter libentissime consentimus Beatae Mariae Virginis imaginem in oppido « Czerna » quae a fidelibus pientissime excolitur quaeque quodammodo artificio cum imagine apud Nos, in ecclesia videlicet Sanctae Mariae Maioris, asservata copulatur, ad ampliorem ordinem promoveri. Idcirco cum Venerabilis Frater Noster Franciscus S. R. E. Cardinalis Macharski, Archiepiscopus Cracoviensis, litteris die altero et vicesimo mensis Augusti anno MCMLXXXVII datis, expostulaverit ut veneranda imago Beatae Mariae Virginis Scapularis seu de Monte Carmelo in oppido ((Czerna » nomine et auctoritate Nostro pretioso diademate redimiri posset, libenti quidem animo hanc potestatem facimus, in maiorem scilicet Dei honorem atque in augustissimae Christi Matris claram laudem. Probatis igitur iis quae Congregatio pro Cultu Divino de hac re statuit consiliis, Venerabilis Frater Noster Franciscus Macharski, quem memoravimus, per se vel per alium quem idoneum iudicaverit, stata ac sollemni celebratione, imaginem Beatae Mariae Virginis quam supra diximus, poterit nomine et auctoritate Nostra

coronare secundum liturgica praecepta. Contrariis nihil omnino obstantibus. Valde postremo confidimus fore ut fideles hac concessione magis magisque ad Dei Genitricem honorandam incitentur atque ad eiusdem pietatem et dilectionem.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die VII mensis Novembris anno MCMLXXXVII, Pontificatus Nostri decimo.

8B AUGUSTINUS Card. CASAROLI, ***a publicis Ecclesiae negotiis***

Loco £g Sigilli
In Secret. Status tab., n. 206.777.

VI

Beatae Mariae Virginis aedes quae vulgo « Maria Santissima Annunziata al Carmine » vocatur quaeque in archidioecesi est Catanensi ad Basilicae Minoris dignitatem evehitur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Quo quidem maiore sacrae aedes vetustate ac operum artificiorumque splendore praestant, eo impensiore studio solent Romani Pontifices peculiaribus illas sive honoribus sive privilegiis cumulare. Nos quoque hanc translaticiam persequimur consuetudinem praesertim cum de templis agatur Beatae Mariae Virgini dicatis, ex animo quidem optantes ut eiusdem laudes honoresque apud Dei plebem dilatentur. Cum igitur Venerabili Frater Dominicus Picchinenna, Archiepiscopus Catanensis, suo ipsius nomine pariterque clerici ac populi consilium ostendens, petiisset ut ecclesia paroecialis sub titulo vulgo ((Maria Santissima Annunziata al Carmine », in urbe Catina sita, ad Basilicae Minoris gradum eveheretur, Nos benigne ipsius postulationibus concedendum esse arbitrati sumus. Itaque comprobatis iis quae Congregatio pro Cultu Divino hac de re statuit sententiis, factis olim a Nobis potestatibus, Beatae Mariae Virginis templum quod memoravimus ut in numerum Basilicae Minoris referatur decernimus, iuribus nempe ac liturgicis privilegiis attributis quae ad aedes hoc nomine honestatas pertinent. Diligenter praeterea quoque serventur quae sunt secundum decretum « De titulo Basilicae Minoris » , die VI mensis Iunii, anno MCMLXVIII, exaratum, servanda. Qui-

buslibet contrariis minime obstantibus. Ceterum hoc ad ampliorem ordinem provehentes templum, magna ducimur spe fore ut pietas quoque excitetur vehementius erga Virginem Mariam.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die VII mensis Novembris anno MCMLXXXVII, Pontificatus Nostri decimo.

© AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*

Loco Sigilli
In Secret. Status tab., n. 206.969.

HOMILIA

In foro S. Petri habita vespere sabbati ante Pentecosten, anno Mariali ineunte.*

1. « Ricevete lo Spirito Santo » -[1]

Era la sera del « primo giorno dopo il sabato »,[2] cioè il giorno della risurrezione. In quella sera il Cristo entrò nel Cenacolo, dove erano radunati gli apostoli, alitò su di loro e disse: <(Ricevete lo Spirito Santo » !

Cristo, tre giorni prima crocifisso, deposto nella tomba, ora si trova di nuovo vivo tra i suoi apostoli. Sulle mani, sui piedi e nel costato egli porta ancora le cicatrici della crocifissione. Proprio per mezzo di queste cicatrici, per mezzo del sacrificio di cui esse sono viva espressione — sacrifìcio che ottiene il perdono, in cui il mondo fu ammesso alla riconciliazione col Padre — il Figlio dà lo Spirito Santo alla Chiesa. Ecco dunque che in lui si dischiude fino alla finé la ((pienezza del tempo)) :[3] la tappa definitiva della storia della salvezza, il contatto di Dio con l'umanità.

2. « Ricevete lo Spirito Santo ».

Questo Dono, che è lo Spirito, è unito con la missione. Cristo infatti aggiunge subito: ((A chi rimetterete i peccati saranno rimessi, e a chi non li rimetterete, resteranno non rimessi ».[4] La riconciliazione

* Die 6 m. Iunii a. 1987.
[1] *Gv* 20, 22.
[2] Cf. *Gv* 20, 19.
[3] *Gal* 4, 4.
[4] *Gv* 20, 23.

con Dio per mezzo del sangue del Figlio è la redenzione. La redenzione fruttifica con la grazia dell'assoluzione. Colui al quale viene rimesso il peccato, nasce nello stesso tempo ad una vita nuova in Dio. Lo Spirito Santo è l'artefice di questa vita in ognuno di noi. È lui il nascosto dispensatore della santità nell'uomo, della sua unione con Dio : con il Padre, nel Figlio. Gli apostoli ricevono questo ministero divino per la Chiesa come potere sacramentale. Tale loro potere è legato strettamente al sacrifìcio della Croce, ed insieme dipende direttamente dalla potenza dello Spirito di verità : il Paraclito.

« Ricevete lo Spirito Santo ».

3. Oggi si compiono i cinquanta giorni da quella sera. Dalla mezzanotte inizia la festa della Pentecoste, che è unita organicamente con quella di Pasqua.

Durante quei cinquanta giorni Gesù risorto aveva preparato gli apostoli all'incontro col Dono del Padre e del Figlio. Ciò aveva fatto di persona fino al giorno della sua ascensione in cielo. Poi aveva ordinato loro di tornare nel Cenacolo, di essere assidui nella preghiera in attesa della venuta di « un altro Consolatore » .[5]

Ed ecco questo giorno arriva. È ormai iniziato. Tra alcune ore sarà manifesto davanti al mondo il fatto che gli apostoli hanno ricevuto lo Spirito Santo, che hanno accolto il Dono, il quale opera con grande potenza in loro e per mezzo di loro. Testimoni di questo fatto saranno non solo gli abitanti di Gerusalemme, ma anche i forestieri lì giunti da diverse parti. La lettura, presa dagli Atti degli Apostoli, elenca i nomi degli abitanti di quei paesi del mondo, ai quali subito, il primo giorno, giunge il messaggio della salvezza. Come parola e come sacramento. E fu messaggio che trovò una terra fertile. Lo Spirito che agiva nella testimonianza degli apostoli, segnatamente nelle parole di Pietro, agiva anche nei cuori di coloro che ascoltavano.

4. Ecco fu dato agli apostoli di confessare davanti a tutti che « Gesù Cristo è il Signore » .[6] Colui che era stato condannato a morte e crocifìsso, si rivelò come il Signore del cielo e della terra nella sua risurrezione. Egli non è un Signore simile a un qualunque sovrano di questa terra : egli è il Signore dell'eterna salvezza.

Proprio questo Pietro annunciò il giorno di Pentecoste. Proprio di questo resero testimonianza gli apostoli. Proprio questo lo Spirito

[5] *Ov* 14, 16.

[6] Cf *1 Cor* 12, 3; *FU* 2, 11.

Santo operò prima in loro e poi in tntti i partecipi dell'evento a Gerusalemme. Sì. Lo Spirito Santo. ((Nessuno può dire : "Gesù è il Signore" se non sotto l'azione dello Spirito Santo)).[7] Nessuno senza di lui può dire né accettare questa parola di salvezza. L'uno e l'altro effetto viene operato dallo Spirito di verità.

5. Pertanto, sin dal giorno di Pentecoste, inizia a correre attraverso la storia dei popoli e delle nazioni la parola salvifica del Vangelo. Da quel giorno inizia il cammino del Popolo di Dio della Nuova Alleanza, così come la notte di Pasqua iniziò il cammino d'Israele dalla casa della schiavitù verso la terra promessa. Il giorno della Pentecoste in Gerusalemme nasce la Chiesa : l'Israele della Nuova Alleanza. Ed inizia il cammino della fede, della speranza e della carità attraverso tutte le generazioni umane, un cammino che dura ormai da quasi duemila anni.

All'inizio di questo cammino della fede si trova il Cenacolo di Gerusalemme — e gli apostoli, in esso riuniti insieme con Maria, Madre di Cristo.

Ella già prima, oltre trenta anni prima, aveva ricevuto lo Spirito Santo. Ciò avvenne, quando accolse l'annuncio dell'angelo : ((Lo Spirito Santo scenderà su di te ... Colui che nascerà da te ... sarà chiamato Figlio di Dio)).[8]

((Nessuno può dire : "Gesù è il Signore" se non sotto l'azione dello Spirito Santo ». Maria per prima sperimentò in sé questo aiuto. Per prima Ella accolse Gesù come figlio della sua verginità. Per prima Ella accettò mediante la fede anche la verità sul suo regno, destinato a durare per tutti i secoli : « E il suo regno non avrà fine » .[9]

E con questa fede Maria camminò costantemente al fianco di Gesù lungo tutti gli anni della sua vita terrena, fin sotto la croce sul Golgota.

6. Ora, Colei che è « beata perché ha creduto » ,[10] è con gli apostoli nel Cenacolo il giorno di Pentecoste, quando nasce la Chiesa ed inizia la grande peregrinazione del Popolo della Nuova Alleanza attraverso la storia.

All'inizio di questo pellegrinaggio, il giorno stesso della discesa dello Spirito di verità e di potenza sopra gli apostoli, Ella è presente

[7] *1 Cor* 12, 3.
[8] *Lc* 1, 35.
[9] *Lc* 1, 33.
[10] Cf. *Lc* 1, 45.

con loro. E rimarrà — anche dopò la sua dipartita dalla terra — presente nel mistero di Cristo e della Chiesa.

Ella avanzerà « per prima » nella grande peregrinazione della fede, della speranza e della carità dinanzi a tutte le generazioni del Popolo di Dio su questa terra.

Perciò la Chiesa, che lungo la via di questo pellegrinaggio si avvicina al termine del secondo millennio dopo Cristo, inizia proprio nell'odierna solennità della Pentecoste il suo « Anno Mariano)). È una coincidenza e quasi convergenza di eventi che è molto significativa e che conviene sottolineare : in quel giorno storico, in cui fu effuso lo Spirito sulla Chiesa, troviamo Maria; in questo giorno, che è oggi, in cui è ancora effuso lo Spirito, dobbiamo trovare Maria.

In questa solennità il Vescovo di Roma si unisce con tutti i suoi Fratelli nell'episcopato, successori degli apostoli, per approfondire in tutta la Chiesa, nella prospettiva del nuovo Millennio, la consapevolezza della presenza materna della Genitrice di Dio nel mistero di Cristo e della Chiesa, come ha insegnato il Concilio Vaticano II.[11] Ancora una volta egli rivolge a tutti i figli e figlie della Chiesa l'invito a meditare, a confidare, a contare su questa presenza per superare le difficoltà, per camminare spediti, al sofiio potente dello Spirito, dietro le orme del suo Figlio divino.

7. La Chiesa, che è in Roma, si è riunita in questa notte, per dare una speciale espressione della sua partecipazione all'opera di rinnovamento, iniziata dal Concilio Vaticano IL Tale partecipazione da un anno ormai ha preso la forma di un ((Sinodo)), che la Chiesa Romana, in tutte le sue componenti, ha cominciato a preparare sotto la guida del suo Vescovo, coadiuvato dal Cardinal Vicario.

Oggi, nell'ambito di questa « veglia sacra », che segna insieme l'inizio del giorno di Pentecoste 1987 e l'inaugurazione dell'Anno Mariano, desidero ringraziare Dio per i frutti del lavoro iniziale di ricerca e di sensibilizzazione, che ha permesso di definire le finalità e il tema del Sinodo: ((La comunione e la missione della Chiesa di Dio che è in Roma alle soglie del terzo Millennio ». Dichiaro ora aperta la fase preparatoria del Sinodo Pastorale Romano. Per proseguire, infatti, il cammino sinodale, sono ora costituite le commissioni di studio incaricate di predisporre gli strumenti di lavoro sulle tematiche pastorali che, con l'apporto di tutte le componenti della comunità dio-

[11] Of. *Lumen gentium,* 8.

cesana, saranno sottoposti all'esame dell'assemblea sinodale. E formulo fin d'ora il mio augurio che tutti i « battezzati in un solo Spirito e abbeverati ad un solo Spirito »[12] contribuiscano, mediante i lavori del Sinodo, all'edificazione di un solo corpo, che è il Corpo di Cristo. Auspico di cuore che, per mezzo di molteplici doni e di vari ministeri, <(lo Spirito si manifesti in ciascuno — e mediante tutti — per l'utilità comune)).[13]

Cari Fratelli e Sorelle ! Cari fedeli Romani ! Questa è la nostra parte speciale in questa peregrinazione di tutto il Popolo di Dio, nella quale, durante tutto l'arco del prossimo anno, desideriamo sentire viva e operante la guida della Madre di Dio : la sua materna presenza e intercessione.

8. ((Ricevete lo Spirito Santo ».

Che riempia i cuori dei suoi fedeli. Accenda in essi il fuoco del suo amore.

Lui — il Paraclito Consolatore.
Lui — il Padre dei poveri.
Lui — la Luce dei cuori.
Lui — il Datore dei doni.
Lui — il dolce Ospite dell'anima.
O Luce beatissima, invadi intimamente il cuore dei tuoi fedeli !
Amen.

ALLOCUTIONES

I

Ad Rotae romanae auditores coram admissos.*

1. Viva gioia mi reca questo annuale incontro con voi, cari Fratelli che svolgete la vostra attività nel Tribunale della Rota Romana. Sono molto grato a Monsignor Decano, al Collegio dei Prelati Uditori, agli altri Officiali, nonché agli Avvocati Rotali per la costante e operosa

[12] Cf. *1 Gor* 12, 13.
[13] Cf. *1 Cor 12,* 7.

* Die 5 m. Februarii a. 1987.

collaborazione prestatami nelPassolvere il *munus* giudiziario, che spetta al Successore di Pietro nei confronti della Chiesa universale. È una opera preziosa, offertami da persone altamente qualificate in campo giuridico, nelle quali è rappresentata la varietà delle lingue e culture di tante parti della terra ove la Chiesa di Dio svolge la sua missione.

Vi sono grato anche della promessa di fedeltà al Vangelo e alla Tradizione, unita allo sforzo di venire incontro alle nuove necessità della Chiesa, e di approfondire la conoscenza della autentica realtà umana alla luce della Verità rivelata.

In questa prospettiva, vorrei dedicare oggi una particolare attenzione alle incapacità psichiche che, specialmente in alcuni paesi, sono diventate motivo di un elevato numero di dichiarazioni di nullità di matrimonio.

2. Ben conosciamo i grandi progressi fatti dalla psichiatria e psicologia contemporanea. Va apprezzato quanto queste scienze moderne hanno fatto e fanno per chiarire i processi psichici della persona, sia consci che inconsci, nonché Paiuto che danno, mediante farmacoterapia e psicoterapia, a molte persone in difficoltà. Le grandi ricerche compiute e la notevole dedizione di tanti psicologi e psichiatri sono certamente lodevoli. Non si può però non riconoscere che le scoperte e le acquisizioni nel campo puramente psichico e psichiatrico non sono in grado di offrire una visione veramente integrale della persona, risolvendo da sole le questioni fondamentali concernenti il significato della vita e la vocazione umana. Certe correnti della psicologia contemporanea, tuttavia, oltrepassando la propria specifica competenza, si spingono in tale territorio e in esso si muovono sotto la spinta di presupposti antropologici non conciliabili con l'antropologia cristiana. Di qui le difficoltà e gli ostacoli nel dialogo fra le scienze psicologiche e quelle metafisiche nonché etiche.

Di conseguenza, la trattazione delle cause di nullità di matrimonio per limitazioni psichiche o psichiatriche esige, da una parte, l'aiuto di esperti in tali discipline, i quali valutino, secondo la propria competenza, la natura ed il grado dei processi psichici che riguardano il consenso matrimoniale e la capacità della persona ad assumere gli obblighi essenziali del matrimonio; dall'altra non dispensa il giudice ecclesiastico, nell'uso delle perizie, dal dovere di non lasciarsi suggestionare da concetti antropologici inaccettabili, finendo per essere coinvolto in fraintendimenti circa la verità dei fatti e dei significati.

È, in ogni caso, fuori dubbio che una approfondita conoscenza delle teorie elaborate e dei risultati raggiunti dalle scienze menzionate offre la possibilità di valutare la risposta umana alla vocazione al matrimonio in un mondo più preciso e differenziato di quanto lo permetterebbero la sola filosofìa e la sola teologia.

3. Da quanto detto sopra appare che il dialogo e una costruttiva comunicazione tra il giudice e lo psichiatra o psicologo sono più facili se per entrambi il punto di partenza si pone entro l'orizzonte di una comune antropologia, così che, pur nella diversità del metodo e degli interessi e finalità, una visione resti aperta all'altra.

Se invece l'orizzonte entro cui si muove il perito, psichiatra o psicologo, è opposto o chiuso a quello entro cui si muove il canonista, il dialogo e la comunicazione possono diventare fonte di confusione e di fraintendimento. A nessuno sfugge il pericolo gravissimo che deriva da questa seconda ipotesi per quanto riguarda le decisioni circa la nullità del matrimonio : il dialogo tra giudice e perito, costruito su un equivoco di partenza, può infatti facilmente portare a conclusioni false e dannose per il vero bene delle persone e della Chiesa.

4. Tale pericolo non è soltanto ipotetico se consideriamo che la visione antropologica, da cui muovono numerose correnti nel campo delle scienze psicologiche del tempo moderno, è decisamente, nel suo insieme, inconciliabile con gli elementi essenziali dell'antropologia cristiana, perché chiusa ai valori e significati che trascendono il dato immanente e che permettono all'uomo di orientarsi verso l'amore di Dio e del prossimo come sua ultima vocazione.

Tale chiusura è inconciliabile con quella visione cristiana che considera l'uomo un essere « creato ad immagine di Dio, capace di conoscere e di amare il proprio Creatore »[1] e nello stesso tempo diviso in se stesso.[2] Le ricordate correnti psicologiche invece partono o dall'idea pessimistica, secondo cui l'uomo non potrebbe concepire altra aspirazione che quella imposta dai suoi impulsi o dai condizionamenti sociali o, per l'opposto, dall'idea esageratamente ottimistica secondo la quale l'uomo avrebbe in sé, e potrebbe raggiungere da solo, la sua realizzazione.

[1] *Gaudium et spes,* 12.

[2] Cf. *ibid.,* 10.

5. La visione del matrimonio secondo certe correnti psicologiche è tale da ridurre il significato dell'unione coniugale a semplice mezzo di gratificazione o di auto-realizzazione o di decompressione psicologica.

Di conseguenza, per i periti, che si ispirano a dette correnti, ogni ostacolo che richieda sforzo, impegno o rinuncia e, ancor più, ogni fallimento di fatto dell'unione coniugale diventa facilmente la conferma della impossibilità dei presunti coniugi ad intendere rettamente e a realizzare il loro matrimonio.

Le perizie, condotte secondo tali premesse antropologiche riduttive, in pratica non considerano il dovere di un cosciente impegno da parte degli sposi a superare, anche a costo di sacrifici e rinunce, gli ostacoli che si frappongono alla realizzazione del matrimonio e quindi valutano ogni tensione come segno negativo ed indice di debolezza ed incapacità a vivere il matrimonio.

Tali perizie sono quindi portate ad allargare i casi di incapacità di consenso anche alle situazioni in cui, a motivo dell'influsso dell'inconscio nella vita psichica ordinaria, le persone sperimentano una riduzione, non però la privazione, della loro effettiva libertà di tendere al bene scelto. Ed, infine, considerano facilmente anche le lievi psicopatologie o addirittura le deficienze di ordine morale come prova di incapacità ad assumere gli obblighi essenziali della vita coniugale.

E può succedere purtroppo che dette impostazioni vengano a volte acriticamente accettate dai giudici ecclesiastici.

6. Detta visione della persona e dell'istituto matrimoniale è inconciliabile col concetto cristiano del matrimonio come « intima comunità di vita e di amore coniugale)), in cui i coniugi <(mutuamente si danno e si ricevono)).[3]

Nella concezione cristiana l'uomo è chiamato ad aderire a Dio come fine ultimo in cui trova la propria realizzazione benché sia ostacolato, nell'attuazione di questa sua vocazione, dalle resistenze proprie della sua concupiscenza.[4] Gli squilibri di cui soffre il mondo contemporaneo « si collegano con tale più profondo squilibrio che è radicato nel cuore dell'uomo ».[5] Nel campo del matrimonio ciò comporta che la realizzazione del significato dell'unione coniugale, mediante il dono reciproco degli sposi, diventa possibile solo attraverso un continuo sforzo, che

[3] *Ibid.,* 48. Cf. *Can.* 1055, par. 1.

[4] Cf. Concilio di Trento, *DS* 1515.

[5] *Gaudium et spes,* 10.

include anche rinuncia e sacrificio. L'amore tra i coniugi deve infatti modellarsi sull'amore stesso di Cristo che « ha amato e ha dato se stesso per noi, offrendosi a Dio in sacrificio di soave odore » .[6]

Gli approfondimenti circa la complessità ed i condizionamenti della vita psichica non devono far perdere di vista tale intera e completa concezione dell'uomo, chiamato da Dio e salvato dalle sue debolezze mediante lo Spirito di Cristo;[7] ciò soprattutto quando si vuole delineare una genuina visione del matrimonio, voluto da Dio come istituto fondamentale per la società ed elevato da Cristo a mezzo di grazia e di santificazione.

Quindi anche i risultati peritali, influenzati dalle suddette visioni, costituiscono una reale occasione di inganno per il giudice che non intravveda l'equivoco antropologico iniziale. Attraverso queste perizie si finisce per confondere una maturità psichica che sarebbe il punto d'arrivo dello sviluppo umano, con la maturità canonica, che è invece il punto minimo di partenza per la validità del matrimonio.

7. Per il canonista deve rimanere chiaro il principio che solo la *incapacità,* e non già la *difficoltà* a prestare il consenso e a realizzare una vera comunità di vita e di amore, rende nullo il matrimonio. Il fallimento dell'unione coniugale, peraltro, non è mai in sé una prova per dimostrare tale incapacità dei contraenti, i quali possono aver trascurato, o usato male, i mezzi sia naturali che soprannaturali a loro disposizione, oppure non aver accettato i limiti inevitabili ed i pesi della vita coniugale, sia per blocchi di natura inconscia, sia per lievi patologie che non intaccano la sostanziale libertà umana, sia, infine, per deficienze di ordine morale. Una vera incapacità è ipotizzabile solo in presenza di una seria forma di anomalia che, comunque si voglia definire, deve intaccare sostanzialmente le capacità di intendere e/o di volere del contraente.

8. Il giudice, quindi, non può e non deve pretendere dal perito un giudizio circa la nullità del matrimonio, e tanto meno deve sentirsi obbligato dal giudizio che in tal senso il perito avesse eventualmente espresso. La valutazione circa la nullità del matrimonio spetta unicamente al giudice. Il compito del perito è soltanto quello di prestare gli

[6] ***Ef*** 5, 2; 5, 25.

[7] *Gaudium et spes,* 10 e 13.

elementi riguardanti la sua specifica competenza, e cioè la natura ed il grado delle realtà psichiche o psichiatriche, a motivo delle quali è stata accusata la nullità del matrimonio. Infatti, il Codice, ai cann. 1578-1579, esige espressamente dal giudice che valuti criticamente le perizie. È importante che in questa valutazione egli non si lasci ingannare né da giudizi superficiali né da espressioni apparentemente neutrali, ma che in realtà contengono delle premesse antropologiche inaccettabili.

Comunque, è da incoraggiare ogni sforzo nella preparazione sia di giudici ecclesiastici che sappiano scoprire e discernere le premesse antropologiche implicate nelle perizie, sia di esperti nelle varie scienze umane che promuovono una reale integrazione tra il messaggio cristiano ed il vero ed incessante progresso delle ricerche scientifiche, condotte secondo i criteri di una corretta autonomia.[8]

9. L'arduo compito del giudice — di trattare con serietà cause difficili, come quelle concernenti le incapacità psichiche al matrimonio, avendo sempre presente la natura umana, la vocazione dell'uomo, e, in connessione con ciò, la giusta concezione del matrimonio — è certamente un ministero di verità e di carità nella Chiesa e per la Chiesa. Ë ministero di verità, in quanto viene salvata la genuinità del concetto cristiano del matrimonio, anche in mezzo a culture o a mode che tendono ad oscurarlo. Ë ministero di carità verso la comunità ecclesiale, che viene preservata dallo scandalo di vedere in pratica distrutto il valore del matrimonio cristiano dal moltiplicarsi esagerato e quasi automatico delle dichiarazioni di nullità, in caso di fallimento del matrimonio, sotto il pretesto di una qualche immaturità o debolezza psichica dei contraenti. È servizio di carità anche verso le parti, alle quali, per amore della verità, si deve negare la dichiarazione di nullità, in quanto in questo modo sono almeno aiutate a non ingannarsi circa le vere cause del fallimento del loro matrimonio e sono preservate dal rischio probabile di ritrovarsi nelle medesime difficoltà in nuova unione, cercata come rimedio al primo fallimento, senza aver prima tentato tutti i mezzi per superare gli ostacoli sperimentati nel loro matrimonio valido. Ed è infine ministero di carità verso le altre istituzioni o organismi pastorali della Chiesa in quanto, rifiutando il Tribunale ecclesiastico di trasformarsi in una facile via per la soluzione dei matrimoni

5 Cf. *ibid.*, 62.

falliti e delle situazioni irregolari tra gli sposi, impedisce di fatto un impigrimento nella formazione dei giovani al matrimonio, condizione importante per accostarsi al sacramento,[9] e stimola un aumento di impegno nell'uso dei mezzi per la pastorale post-matrimoniale,[10] e per quella specifica dei casi difficili.[11]

In tal modo, l'azione del giudice nel Tribunale ecclesiastico è realmente collegata, e deve sempre più collegarsi, come ha pure rilevato Monsignor Decano, col resto dell'intera attività pastorale della Chiesa, facendo sì che la negazione della dichiarazione di nullità diventi occasione per aprire altre vie di soluzione ai problemi degli sposi in difiicoltà che ricorrono al ministero della Chiesa, senza mai dimenticare che ogni soluzione passa attraverso il mistero pasquale di morte e di risurrezione, che esige tutto l'impegno degli stessi coniugi a convertirsi alla salvezza per riconciliarsi col Padre.[12]

10. Esprimo infine l'augurio che il vostro impegno, alimentato dall'amore di Cristo e della Sua Chiesa, nonché dallo zelo pastorale, porti anche mediante la diffusione dei volumi che raccolgono le vostre sentenze, un valido contributo di chiarezza per la discussione delle cause di cui ho parlato, ed abbia un benefico riflesso nelle attività dei tribunali inferiori. E mentre vi assicuro la mia continua benevolenza,, imparto di cuore la mia Benedizione.

II

Ad quasdam generales moderatrices Congregationum Religiosarum, coram admissas.*

Chères Sœurs,

1. J'éprouve une vive satisfaction à recevoir aujourd'hui des représentantes aussi qualifiées de la vie consacrée. Vous venez de nombreux pays, de cultures diverses, apportant les préoccupations et les espoirs

Congregatio pro Episcopis, praehabito favorabili voto Exc.mi P. D. Hieronymi Prigione, Archiepiscopi titularis Lauricensis, in Republica Mexicana Delegati Apostolici, rata petitam immutationem aeternae christifidelium saluti cessuram, vigore specialium facultatum sibi a Summo Pontifice Ioanne Paulo, divina Providentia Pp. II, tributarum, oblatis precibus annuendum censuit.

Quapropter, suppleto, quatenus opus sit, eorum interesse habentium vel habere praesumentium consensu, praesenti Decreto ab archidioecesi Durangensi distrahit territorium paroeciae cui nomen *Llano Grande* illudque Praelaturae territoriali Saltensi in Mexico adnectit.

Mandat insuper Congregatio pro Episcopis ut documenta et acta memorati territorii clericos, fideles et bona temporalia forte respicientia a tabulario Curiae Durangensis ad archivum Curiae Saltensis in Mexico, quam primum, transmittantur.

Ad clerum quod attinet, simul ac praesens Decretum ad effectum deductum fuerit, sacerdotes Ecclesiae illi adscripti censeantur in cuius territorio ecclesiasticum detinent officium; ceteri autem sacerdotes, clerici seminariique tirones dioecesi illi incardinati maneant vel incardinentur in cuius territorio legitimum habent domicilium.

As haec perficienda Congregatio pro Episcopis praefatum Exc.mum

P. D. Hieronymum Prigione deputat, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad eandem Congregationem, cum primum fas erit, authenticum exemplar actus peractae executionis remittendi.

Quibus super rebus praesens edit Decretum perinde valiturum ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Episcopis, die 1 mensis Decembris anno 1987.

& BERNARDINUS Card. GANTIN, *Praefectus*

& I. B. Re, Archiep. tit. Foronovanus, *a Secretis*

In Congr. pro Episcopis tab., n. 880/87.

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Ioannes Paulus Pp. II, per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros Praesules praefecit, videlicet:

die 2If. Iulii 1987. — Ecclesiae praelatitiae SS. Incarnationis Exc.mum P. D. Georgium Livieres Banks, hactenus Episcopum titularem Utimmirensem et Auxiliarem SS.mae Assumptionis.

die k Septembris. — Cathedrali Ecclesiae Rivibambensi Exc.mum P. D. Victorem Corral Mantilla, hactenus Episcopum titularem Gummitanum in Proconsolari et Administratorem Apostolicum ad nutum Sanctae Sedis eiusdem dioecesis Rivibambensis.

die 6 Octobris. — Coadiutorem Exc.mi P. D. Andreae Rousset, Episcopi Pontisarensis, R. D. Theodoricum Jordan, Vicarium generalem Versaliensis dioecesis.

die 31 Octobris. — Cathedrali Ecclesiae Ambianensi R. D. Iacobum Noyer, e clero Atrebatensis dioecesis, curionem-decanum paroeciae vulgo Le Touquet-Paris-Plage.

die 6 Novembris. — Cathedrali Ecclesiae Oxoniensi-Sorianae R. D. Braulium Rodríguez Plaza, e clero archidioecesis Matritensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Insulae Viridis, R. D. Aloisium Martínez Sistach, Vicarium generalem Barcinonensis archidioecesis, quem deputavit Auxiliarem E.mi P. D. farcissi S. R. E. Cardinalis Jubany Arnau, Archiepiscopi Barcinonensis.

die 9 Novembris. — Titulari episcopali Ecclesiae Novabarbarensi R. D. Georgium Ferreira da Costa Ortiga, Vicarium episcopalem pro presbyterorum coetu archidioecesis Bracarensis, quem deputavit Auxiliarem Exc.mi P. D. Eurici Dias Nogueira, Archiepiscopi Bracarensis.

die 10 Novembris. — Titulari episcopali Ecclesiae Tanudaiensi R. D. Maximianum Cruz, Vicarium generalem dioecesis Calbayoganae, quem deputavit Auxiliarem eiusdem dioecesis.

20 Novembris. — Titulari episcopali Ecclesiae Trium Tabernarum, R. D. Ioannem M. Smith, e clero archidioecesis Novarcensis, Vicarium generalem et Moderatorem Curiae eiusdem archidioecesis, quem deputavit Auxiliarem Exc.mi P. D. Theodori Edgarii McCarrick, Archiepiscopi Novarcensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Morosbisdensi, R. D. Iacobum T. McHugh, e clero archidioecesis Novarcensis, Vicarium episcopalem officii familiaris pastoralis, quem deputavit Auxiliarem Exc.mi P. D. Theodori Edgarii McCarrick, Archiepiscopi Novarcensis.

21 Novembris. — Cathedrali Ecclesiae Sancti Caroli Borromeo, noviter erectae, Exc.mum P. D. Nicolaum Mondejar, hactenus Episcopum dioecesis Rombloniensis.

— Cathedrali Ecclesiae Cabancalensi, noviter erectae, Exc.mum P. D. Vincentium Navarra, hactenus Episcopum titularem Velefitanum et Auxiliarem archidioecesis Capicensis.

die 23 Novembris. — Titulari episcopali Ecclesiae Accitanae R. D. Villelmum Nukss, e clero archidioecesis Rigensis, quem deputavit Auxiliarem Em.mi P. D. Iuliani S. R. E. Cardinalis Vaivods, Administratoris Apostolici « ad nutum S. Sedis » archidioecesis Rigensis et dioecesis Liepaiensis.

die 2Jf Novembris. — Titulari episcopali Ecclesiae Petinensi R. D. Raphaelem Palmero Ramos, Vicarium generalem Toletanae archidioecesis, quem deputavit Auxiliarem Em.mi P. D. Marcelli S. R. E. Cardinalis González Martín, Archiepiscopi Toletani.

die 28 Novembris. — Titulari episcopali Ecclesiae Pomariensi R. D. Eduardum Bialoglowski, moderatorem Seminarii maioris Presmislien-

sis, quem deputavit Auxiliarem Exc.mi P. D. Ignatii Tokarczuk, Episcopi Premisliensis Latinorum.

die 4 *Decembris.* — Cathedrali Ecclesiae Sanctae Marthae Exc.mum P. D. Hugonem Puccini Banfi, hactenus Episcopum titularem Consilinum seu Marcellianensem, et Auxiliarem archidioecesis Barranquillensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Regianensi R. D. Adamum Lepa, parochum Ecclesiae B. **M.** V. in coelum Assumpta, in Urbe Lodzensi, quem deputavit Auxiliarem Exc.mi P. D. Ladislai Zioiek, Episcopi Lodzensis.

— Coadiutorem Exc.mi P. D. Iosephi Pavlislc, Archiepiscopi Fluminensis Seniensis, Exc.mum P. D. Antonium Tamarut, hactenus Episcopum Sehenicensem.

— Cathedrali Ecclesiae Sebenicensi R. P. Felicem Badnrina, Tertii Ordinis Regularis S. Francisci sodalem.

die 7 Decembris. — Metropolitanae Ecclesiae Tridentinae Exc.mum P. D. Ioannem Sartori, hactenus Episcopum Adriensem-Rhodigiensem.

— Cathedrali Ecclesiae Mazariensi Exc.mum P. D. Emmanuelem Catarinicchia, hactenus Episcopum Cephaludensem.

— Cathedrali Ecclesiae Anagninae-Alatrinae R. D. Aloisium Belloli, hactenus Vicarium episcopalem archidioecesis Mediolanensis.

die 10 Decembris. — Episcopum Coadiutorem Parintinensem R. P. Ioannem Risatti, Pontificii Instituti pro Missionibus Exteris sodalem, Vicarium generalem eiusdem dioecesis.

die 12 Decembris. — Cathedrali Ecclesiae Magnocataractensi-Billingensi, Exc.mum P. D. Antonium Michaelem Milone, hactenus Episcopum tit. Plestiensem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Natchetensi, R. D. Ioannem Gavin Nolan, e clero dioecesis Albanensis in America, Praesidem Pontificiae Commissionis pro Palestina et Moderatorem generalem societatis vulgo Catholic Near East Welfare Association, quem deputavit Auxiliarem Exc.mi P. D. Ioannis Iosephi Thomae Ryan, Archiepiscopi tit. Oabini, Ordinarii Militaris Civitatum Foederatorum Americae Septemtrionalis.

— Cathedrali Ecclesiae Reykiavikensi R. P. Alfredum Jolson, Societatis Iesu sodalem.

CONGREGATIO PRO CAUSIS SANCTORUM

DECRETA

I

BERGOMEN, SEU OENIPONTAN.

Canonizationis Servi Dei Thomae ab Olera (in saec.: Thomae Acerbis), laici professi O. F. M. Cap. (1563-1631).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

((Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur?» (Lc 12, 49).

Proprium Christi munus in mundo eiusque consilium id exsequendi fuerunt etiam munus et consilium Servi Dei Thomae Acerbis ab Olera, qui uti ignem mittens vitam apud suos fratres insumpsit ut illi Deum cognoscerent, amarent eique servirent.

Exeunte quippe anno 1563 in pago qui vulgo *Olera* dicitur, apud Vallem Serianam, in provincia et dioecesis Bergomensi, a modestis parentibus Petro Acerbis et Margarita Bergamasca Servus Dei ortum habuit. Quo in pago, in desertis et montanis locis recondito scholisque carente, Thomas ab infantia usque ad decimum septimum aetatis annum apud propinquos vixit, fidem, vicissitudines et laborem participans.

Capuccinorum Ordinem ingressus apud Provinciae Venetae fratres, Veronae seraphicum induit habitum in conventu Sanctae Cruci dicato, ubi, die 12 mensis Septembris anno 1580, sibi proposuit ex illo vivere spiritu.

Eius religiosa formatio concredita fuit fratribus Francisco a Messana, guardiano, et Bonifatio ab Utino, noviciorum moderatore, magna splendentibus virtute. A tantis magistris rectus et gratia Dei suffultus, Thomas novicius brevi tempore mirum perfectionis gradum attigit.

Religioso expleto tirocinio, anno 1581 professionem fecit; nihilomi-

nus triennio formationis in eodem conventu usque ad annum 1584 morari perrexit, qua periodo rudimenta didicit litterarum.

Exacto religiosae formationis triennio, Servus Dei ministrans domi Veronensi officium sibi assumpsit stipis quaeritandae ; quod implevit et urbem et agros finítimos percurrens usque ad annum 1605.

Eodem functus est officio Vicetiae et Roboreti usque ad annum 1617 ; quod intermisit Patavium se conferens, ubi domesticus fuit ianitor. Dum per 34 annos per totam Venetam regionem eleemosynam quaeritavit, apud familias tamquam apostolum se gessit, vir contemplationi deditus, divino amore inflammatus, quo omnes, et humiles et nobiles, perfundebat. Evangelium testificabatur, loquebatur de Deo omnesque suadens ad amorem.

Assiduis piisque puellas prosequebatur colloquiis, ut Deo, sive in mundo sive in vita consecrata largiore servirent spiritu. Vicetiae annis 1612-1613 monasterium exstruendum curavit, ut animabus contemplationem cupientibus subveniret. Pariter, Roboreti puellas viam religiosae consecrationis appetentes moderatus est. Pro quibus Curatores Roboretanos sollicitavit ut monasterium aedificandum contenderent.

De tanto fratris Thomae apostolatu certior factus, Archidux Tirolensis, Leopoldus V, anno 1619 ab illius superioribus precatus est ut illum in principatum transferrent, ad fidem catholicorum Tirolensium sustentandam necnon ad Evangelium nuntiandum iis qui iam doctrinis Lutheranis circumfundebantur. Hoc quidem tempore virtus zelusque missionalis huius humilis fratris insigniter fulsit. De Ecclesia, de Deo ac de veritatibus dogmaticis tanto desserebat fervore, ut in regione Tirolensi « contionator quam qui maxime popularis » putaretur et ab ipso populo ((frater Tirolis » appellaretur. De exspectationibus in codicem a Concilio Tridentino redactis intuitu Catholicae reformationis simplici tractabat sermone.

Etiam Oeniponte, per ***12*** annorum spatium, nempe ab anno 1619 usque ad mortem, stipem emendicans, simul Christum, Evangelium et Ecclesiam nuntiabat. Licet ad sacerdotium non evectus, ut animarum moderator, amicus ac consiliarius principum et episcoporum quaerebatur. Ad proprios filios spirituales in fide et caritate sustentandos, meditationes scripsit de Vita, Passione et Morte Iesu, de opere Beatae Mariae Virginis; item mysticos tractatus de amore puro ac de contemplatione confecit.

Fides vitale fuit fulcimentum eius vitae, simulque incitamentum apostolatus eius, quo, per peccatorum conversionem maioremque iusto-

rum profectum in via perfectionis, gloriae Dei et animarum saluti maxime prospiciebat. Cum Deo coram omnibus visibiliter communicabat. Eius fìedes ardenti pietatis, praesertim eucharisticae, spiritu fulciebatur et nutriebatur.

Spes eius est existimanda maximi ponderis vis, unde in adversitatibus, in aerumnis, in tentationibus, in apostolatu pro orthodoxia animi fortitudo fluebat.

Caritas, uti Dei amor amor intellecta, potissima erat ratio vitae et actionis eius. Amorem Dei testificabatur non tantum absque ulla condicione ad sanctam voluntatem se conformans, verum etiam exquirens ea quae divino arbitrio perplacerent.

Totam insumpsit vitam in servitium proximi, tam fratrum conventus ubi morabatur ac pro quibus stipem ostiatim quaerebat, quam eorum qui occurrebat illi peregrinanti.

Praeter virtutes théologales, vitam constituit super funadamentum virtutum perfectionis moralis, scilicet prudentiae, iustitiae, fortitudinis et temperantiae, quae praecipua fuerunt illi fulcimina ad agendam vitam propriam fratris laici conversi, qui crebro commorationem mutare cogebatur, qua de causa in constanti animi contentione versabatur ad sensus vitalemque vigorem moderandos.

Die 3 mensis Maii anno 1631 animam Domino reddidit eiusque corpus, postquam ingens fidelium concursus ad illud venerandum convenerat, in crypta Sacelli Deiparae Virgini dicati apud ecclesiam Oenipontanam Fratrum Capuccinorum est tumulatum.

Ab anno 1580 quo religiosum facerat tirocinium usque ad suum supremum transitum, Servus Dei tam a propriis confratribus quam a saecularibus ductus et aestimatus est uti vir praeclara ornatus virtute. Tum intra O. F. M. Capuccinorum saepta, tum apud nationes, nempe Italiam, Austriam et Germaniam, ubi vixerat et operatus erat, etiam post mortem sanctitatis eius fama perstitit.

Debita habita antea licentia, apud Curiam Dioecesanam Bergomensem ab anno 1967 ad annum 1968 institutus est Processus Ordinarius Informativus pro causa beatificationis eiusdem Famuli Dei. Eodem tempore Processus Bogatorialis apud Curiam dioecesanam Oenipontanam constructus est.

Porro, die ***12*** mensis Ianuarii anno 1974 editum est ab Apostolica Sede Decretum super scriptis; et die 4 mensis Decembris anno 1981 exiit Decretum super introductione Causae. Die autem 28 men-

sis Maii anno 1982 approbata est validitas processuum, et die 4 mensis Iunii eiusdem anni Congregatio pro Causis Sanctorum confirmavit sententiam duorum Tribunalium Dioecesium Bergomensis et Oenipontanae super cultu eidem Servo Dei non praestito.

Positio super virtutibus, ab Officio Historico-Hagiographia eiusdem Congregationis apparata, die 7 mensis martii anno 1979 excussa eset et dilaudata a Consultoribus Historicis.

Die 2 Decembris anno 1986 Consultores Theologi Congregationis pro Causis Sanctorum, in Congressu Peculiari, moderatore Rev.mo D.no Antonio Petti, Fidei Promotore Generali, agnoverunt Servum Dei Thomam ab Olera heroum in modum exercuisse omnes virtutes. Idem confessi sunt Em.mi Cardinales et Exc.mi Episcopi eiusdem Dicasterii, die 30 mensis Septembris anno 1987, in Congregatione Ordinaria, ponente Cardinali Opilio Rossi.

De hisce omnibus certior factus per subscriptum Cardinalem Praefectum, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, vota Congregationis libenter excipiens, mandavit ut Decretum super heroicis Servi Dei virtutibus rite conscriberetur.

Quod cum factum esset, accitis ad se hodierna die Cardinalibus infrascripto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit : *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis in gradu heroico Servi Dei Thomae ab Olera, laici professi O. F. M. cap., in casu et ad effectum de quo agitur.*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc Decretum in vulgus ederetur et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 23 Octobris A. D. 1987.

PETRUS Card. PALAZZINI, *Praefectus*

L. © S.

ffi Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

II

CADURCEN.

Canonizationis Servi Dei Petri Bonhomme, Sacerdotis Fundatoris Congregationis Sororum Dominae Nostrae a Calvario.

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

Gallia, ferax sanctorum terra, superiore saeculo nobilitata est agmine virorum ac mulierum, qui apostolico ardore infiammati vitaeque sanctitate, Ecclesiam Christi, tot tantisque et tempestate impetitam acerbitatibus et difficultatibus, pietate operumque fulgore illustrarunt. Quos inter iure meritoque recensendus est Servus Dei Petrus Bonhomme cui, spiritualibus ruinis ex Gallica Revolutione obortis occurrenti, illud Syracidae aptari potest : « qui in vita suffulsit domum ... et in diebus peccatorum corroboravit pietatem » *(Eccl* 50, 1 ; 49, 4).

Is, Iosephi Bonhomme et Antoniae Darnis, humilium ac honestissimorum coniugum filium, die 4 mensis Iulii anno 1803 in oppido cui nomen *Gramat,* in finibus Cadurcensis dioeceseos, natus est eodemque nativitatis die Baptismi unda renatus. Piissimae matris disciplina educatus, tenera iam aetate amorem Dei et Deiparae Virginis et erga proximum caritatem ostendere coepit.

Decimum aetatis annum cum aegeret, ad S. Synaxim nocte Nativitatis Domini primum accessit. Ab anno 1815 ad annum usque 1818 scholam presbyteralem loci *Reilhac* frequentavit. Deinde annos natus quindecim seminarium de *Montfaucon* et anno 1823 regium Collegium Cadurcense est ingressus; die autem 2 mensis Novembris a. 1824 ad seminarium maius Cadurcense transiit ubi, post biennium, ordinibus minoribus est insignitus. Iam tunc Servus Dei animo proposuit qualis futurus esset suus apostolatus, sese videlicet natalis loci spirituali regenerationi, in primis iuvenum, dicare. Quem in finem parvam scholam in patrio oppido, superiorum obtenta venia, tum aperuit. Die tandem 23 Decembris anno 1827 ad optatum sacerdotium evectus est.

Sacerdotio inauguratio, ardens Dei Famuli animus ad apostolatum in educandis et instituendis iuvenibus trahitur. Multiplicem et variam explicavit sacerdotalem activitatem. In schola quam aperuit, ipse ferventi animo docebat. Mox ab episcopo Oadurcensi parochus nominatus loci *Gramat,* hospitium infirmis senibusque recipiendis erexit et, crescentibus necessitatibus, ardor et amor incrementum operibus dederunt. Ut autem corporum simul cum animarum progrederetur cura, mulieres pias in societatem vitae convocavit, quibus postea nomen dedit Sororum Dominae Nostrae a Calvario. Interdum plures peregrinationes ad Mariale Sanctuarium de *Rocamadour* suscitat et ducit ; missiones populo incessanter tradit; domos condit Sororum, quas sapienter moderatur ; omnia omnibus est factus. Beata Maria Virgo refugium est eius in angustiis et difficultatibus, spes in operibus perficiendis, et in necessitatibus mediatrix.

Licet pluribus distentus operibus, Servus Dei vitam spiritualem fere monasticam sibi imposuit eamque fideliter servavit, orando et laborando, ut Dei gloriam animarumque salutem melius procuraret. Ad maiorem perfectionem ut perveniret, vitam in statu religioso amplecti cupivit, sed oboedientia ei imposuit, ut quod inceperat perficeret, scilicet Instituti Sororum a se conditi stabilitatem et incrementum, quod quidem Deus palam benedixit.

Anno 1842 canonicus ecclesiae cathedralis Cadurcensis iam erat nominatus.

Arduum et constans spiritualis vitae iter perficiendo, apostolicis laboribus asperaque paenitentia fractus, Servus Dei, virtutibus magis quam annis dives, obdormivit in Domino die 9 mensis Septembris anno 1861 claram sanctitatis famam post se relinquens.

Quae fama percrebrescens supernis signis a Deo confirmari visa est. Honc factum est ut Causa de Beatorum Caelitum honoribus eidem decernendis ageretur. Itaque, cum demum licuit, processus episcopali potestate apud Curiam Cadurcensem anno 1952 instructi sunt, Sacraeque tum Rituum Congregationi exhibiti. Attenta autem historica indole Causae, eadem Sectioni Historicae eiusdem Congregationis est commissa. Quae, documentis et scriptis testimoniis undique collectis eorumque valore et authenticitate in tuto positis, amplam Positionem digessit, quam Consultores historici huius Congregationis pro Causis Sanctorum die 2 mensis Februarii a. 1977 laudaverunt. Super Servi Dei scriptis editum iam erat Decretum die 21 Octobris a. 1965. Hinc,

instante Rev. P. Marcello Martin, Congregationis Sancti Spiritus sodali, huius Causae legitime constituto Postulatore, servatis servandis, Causa Servi Dei penes Apostolicam Sedem, probante Ioanne Paulo II, die 15 Martii anni 1980 introducta est.

Gressus itaque factus est ad virtutes Famuli Dei disceptandas. Celebratus est primum, die 5 Novembris a. 1986, Congressus Peculiaris Consultorum theologorum, moderatore Rev.mo D.no Antonio Petti, Fidei Promotore Generali ; postea, die 6 Octobris anni huius 1987, habita est Congregatio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, ponente Exc.mo ac Rev.mo D.no Paulino Limongi, Archiepiscopo titulari Nicaeensi in Haemimonto. Et utroque in Coetu, posito dubio an Servus Dei virtutes heroum in modum exercuisset, cuncti adfirmando responderunt.

Facta deinde de hisce omnibus rebus per subscriptum Cardinalem Praefectum fideli relatione in Audientia ipsi concessa, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, vota Congregationis pro Causis Sanctorum excipiens, ut Decretum super heroicis Servi Dei virtutibus rite conscriberetur mandavit.

Quod cum factum esset, accitis hodierna die subscripto Cardinali Praefecto atque Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit : *Constare de virtutibus theologalibut Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de Cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Petri Bonhomme, sacerdotis, fundatoris Congregationis Sororum Dominae Nostrae a Calvario, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc Decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 23 mensis Octobris, Anno Mariali 1987.

PETRUS Card. PALAZZINI, *Praefectus*

L. © S.

83 Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

CONGREGATIO PRO INSTITUTIONE CATHOLICA

KINSHASANA

DECRETUM

quo Facultas Philosophica penes Facultatem Theologiae Catholicae in urbe Kinshasana erigitur.

« Evangelizzandi munus, quod proprium est Ecclesiae, non solum postulat ut Evangelium praedicetur intra latiores semper locorum fines atque hominum multitudines usque maiores, sed ut etiam Evangelii virtute informentur rationes cogitandi, criteria iudicandi, normae agendi; ut paucis dicamus, oportet ut tota hominis cultura Evangelio perfundatur » (Ioannes Paulus II, Const. Apost. *Sapientia Christiana,* Prooemium I).

Apostolicis his moti sollicitudinibus Gentis Zairensis Praesules non semel cogitaverunt de condenda Facultate Philosophica in qua candidati ad sacrum sacerdotium, religiosi et laici « innixi patrimonio philosophico perenniter valido, ratione quoque habita philosophicarum investigationum progredientis aetatis » (Conc. Vat. II, *Optatam totius,* n. 15) et genuinis valoribus culturalibus africanis adiuti, apti fierent ad grave hoc munus facilius implendum.

His nunc postremis annis Conferentiae Episcopalis Zairensis Praeses, nomine omnium Episcoporum, ab Apostolica Sede petivit ut Facultatem Philosophicam ex homonyma sectione studiorum in Facultate Theologiae Catholicae vigenti constitueret.

Qua re considerate perpensa, haec Congregatio pro Institutione Catholica, auctoritate a Summo Pontifice Ioanne Paulo div. Prov. Pp. II sibi collata, petitionem sibi delatam pro munere excipiens *Facultatem Philosophicam* penes Facultatem Theologiae Catholicae in urbe Kinshasana in Republica Zairensi hoc Decreto in perpetuum canonice erigit erectamque declarat, facta eidem potestate omnes Philosophiae gradus iis studentibus conferendi, qui, praescriptum studiorum curriculum legitime emensi, praescripta examina feliciter superaverint omniaque adamussim servaverint quae peculiaria Statuta servanda iusserint.

Haec praeterea Congregatio idem Athenaeum Catholicum Kinshasanum, ex Facultatibus Theologiae Catholicae ac Philosophiae necnon ex Centro studiorum religionum africanarum constitutum, nomine *Facultates Catholicae Kinshasanae* designat, eidemque omnia agnoscit iura, privilegia, honores atque officia quibus Ecclesiasticae Facultates in universo Orbe Catholico vigentes merito fruuntur; Academicis earundem Auctoritatibus mandans ut aspectum academicum — scientificum et integram activitatem fide catholica permeandam strenuo promoveant, constanter prae oculis habentes canonicam erectionem peculiarem nexum cum Sede Apostolica secumferre ac proinde firmam Ecclesiae Magisterio adhaesionem ab omnibus expostulare. Quapropter arctam cum Magisterio Ecclesiae consuetudinem foventes, Facultates Kinshasanae, pro sua quaeque parte, coperare tenentur ut Evangelium Christi in africanae culturae provincia praesens efficiatur ac provehatur.

Haec Congregatio insuper Facultates Catholicas Kinshasanas tutandas ac gubernandas Conferentiae Episcopali Zairensi committit atque eiusdem pro tempore Praesidem *Magnum Cancellarium* constituit ac declarat, omnibus ei concessis iuribus atque officiis, quibus munus ex Ecclesiae legibus praxique cumulatur.

Congregatio denique praecipit ut omnia compleantur quae in Codice Iuris Canonici, in Constitutione Apostolica « Sapientia Christiana » atque adnexis « Ordinationibus » ceterisque Apostolicae Sedis documentis de Studiorum Universitatibus et Facultatibus Ecclesiasticis necnon in adimplenda praescribuntur; ceteris servatis de iure servandis; contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Eomae, ex aedibus eiusdem Congregationis, die xxv mensis Novembris a. D. MCMLXXXVII.

VILLELMUS Card. BAUM, *Praefectus*

& Antonius M. Javierre Ortas, Archiep. tit. Metensis, *a Secretis*

L. © S.

In Congr. pro Inst. Cath. tab., n. 98/82/50.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre ha ricevuto in Visita Ufficiale:

Venerdì, 11 Dicembre 1987, S. E. il Signor RAÚL RICARDO ALFONSÍN, Presidente della Nazione Argentina.

Ha, altresì, ricevuto in Udienza Ufficiale per la presentazione delle Lettere Credenziali :

Sabato, 12 Dicembre 1987, S. E. il Signor ALEXANDER CACHIA ZAMMIT, Ambasciatore di Malta presso la Santa Sede.

Lunedì, 14 Dicembre 1987, S. E. il Signor RONI HENDRAWAN •KURNIADI, Ambasciatore di Indonesia presso la Santa Sede.

Venerdì, 11 Dicembre 1987, si è riunita nel Palazzo Apostolico Vaticano, alla presenza del Santo Padre, la Congregazione per le Cause dei Santi.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato :

24 novembre .1987. Il sac. ing. Kenato Dardozzi, Direttore della Cancelleria della Pontificia Accademia delle Scienze, *Membro del Comitato esecutivo del Pontificio Consiglio per la cultura.*

» » » I signori : avv. Amin Fahim ; prof. Issiaka Prosper Laleye; prof. Anthony Maddala; prof. Christian Norberg-Schulz; dr. Walker Percy; prof. Charles Pietri; Et. Hon. Norman A. F. St. John-Stevas,Lord Saint John of Fawlsey, *Membri del Consiglio Internazionale del Pontificio Consiglio per la cultura.*

» » » I signori: prof. Adriano Bausola; prof. Nikolaus Lohkowicz; prof. Julián Marías; prof. Jacek Wozniakowski, *Membri del Consiglio Internazionale del Pontificio Consiglio per la cultura « in aliud quinquennium ».*

3 dicembre » P. Adriano Garuti, O. F. M., *Capo Ufficio nella Congregazione per la Dottrina della Fede.*
7 » » P. Franc Rodé, 0. M., *Segretario del Segretariato per i non credenti.*
9 » » Mons. Pio Abresch, *Capo Ufficio nella Congregazione per i Vescovi.*
10 » » S. E. mons. Pier Luigi Celata, Arcivescovo tit. di Doclea, Nunzio Apostolico in Malta, *Consultore del Consiglio per gli Affari Pubblici della Chiesa.*

NECROLOGIO

19 novembre 1987. Mons. Eduardo Martínez y Dalmau, Vescovo tit. di Teuzi.
30 » » Mons. Josef Vrana, Vescovo tit. di Ottabia.
1 dicembre » Mons. Guido Matteo Sperandeo, Vescovo emerito di Teano-Calvi *(Italia).*
» » » Mons. Martino Giusti, Arciv. tit. di Are di Numidia.
3 » » Mons. Salvador Martínez Aguirre, Vescovo tit. di Arca di Armenia.
7 » » Mons. Francis Thomson, Vescovo emerito di Motherwell *(Gran Bretagna).*
9 » » Mons. Thomas McDonnell, Vescovo emerito di Killala *(Irlanda).*
13 » » Mons. Leo D'Mello, Vescovo emerito di Ajmer e Jaipur *(India).*
» » » Mons. Harold J. Dimmerling, Vescovo di Rapid City *(Stati Uniti d'America).*

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

I

INDEX GENERALIS ACTORUM

(AN. ET VOL. LXXIX)

I - ACTA SUMMI PONTIFICIS

II - ACTA CONGREGATIONUM

III - ACTA COMMISSIONUM

IV - DIARIUM ROMANAE CURIAE

* Ad inquirentium commodum haec ponitur distincta recensio.

II

INDEX DOCUMENTORUM CHRONOLOGICO ORDINE DIGESTUS

I - ACTA IOANNIS PAULI PP. II

I - LITTERAE ENCYCLICAE

II - EPISTULAE APOSTOLICAE

III - SACRA CONSISTORIA

IV - LITTERAE DECRETALES

V - LITTERAE APOSTOLICAE MOTU PROPRIO DATAE

VI - CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

VII - LITTERAE APOSTOLICAE

VIII - EPISTULAE

IX - HOMILIAE

X - ALLOCUTIONES

XI - NUNTII GRATULATORII

XII - NUNTIUS TELEGRAPHICUS

XIII - NUNTII TELEVISIFICI

XIV - NUNTII SCRIPTO DATI

XV - ITINERA APOSTOLICA

EX HABITIS DUM SUMMUS PONTIFEX COLUMBIAM PERAGRAT DELECTAE ALLOCUTIONES

EX HABITIS DUM SUMMUS PONTIFEX GALLIAM PERAGRAT DELECTAE ALLOCUTIONES

EX HABITIS DUM SUMMUS PONTIFEX ASIAM, OCEANIAM ET INSULAS SEISELLENSES PERAGRAT DELECTAE ALLOCUTIONES

H - ACTA CONGREGATIONUM

I - CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI

II - CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

III - CONGREGATIO PRO CULTU DIVINO

IV - CONGREGATIO PRO CLERICIS

V - CONGREGATIO PRO GENTIUM EVANGELIZATIONE
SEU DE PROPAGANDA FIDE

VI - CONGREGATIO PRO CAUSIS SANCTORUM

ffl - ACTA COMMISSIONUM

PONTIFICIA COMMISSIO CODICI IURIS CANONICI
AUTHENTICE INTERPRETANDO

III

INDICES NOMINUM

I - INDEX NOMINUM PERSONARUM

(OMITTUNTUR NOMINA ACTIBUS SUBSCRIPTA)
(CUM PARVA CRUX t ADEST, DE NUNTIO MORTIS AGITUR)

A

B

C

D

E

F

G

L

M

Q

R

T

U

V

W

Y

Z

II - INDEX NOMINUM DIOECESIUM, VICARIATUUM, ETC.

A

B

C

K

L

M

N

O

IV

INDEX RERUM MAIORIS MOMENTI

A

B

C

D

E

F

G

H

I

X

M

N

O

P

R

S

T

U

APPENDIX

DOCUMENTUM PER COMMENTARIUM OFFICIALE NON PROMULGATUM, QUAE IN APPENDICE, IN LECTORUM COMMODUM, PONITUR.

CONSTITUTIO APOSTOLICA

ROMANA

Pontificio Instituto studiorum Matrimonii ac Familiae, apud Pontificiam Universitatem Lateranensem iam condito atque operanti, iuridica forma tribuitur.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

1? Magnum matrimonii sacramentum (cfr. *Eph* 5, 32) Ecclesia peculiari semper pastorali sollicitudine prosecuta est, cum sit « sibi conscia matrimonium et familiam unum e bonis pretiosissimis generis hominum esse » *(Familiaris Consortio,* 1).

Etenim <(salus personae et societatis humanae ac christianae arcte cum fausta condicione communitatis coniugalis et familiaris conectitur » *(Gaudium et Spes,* 47).

Cuius quidem peculiaris pastoralis sollicitudinis testimonium est perampla tractatio, quam Concilium Vaticanum II eidem tribuit argumento.

Summi autem Pontifices necnon totius orbis Episcopi numquam cessaverunt perfectissimam matrimonii ac familiae imaginem iterum iterumque fidelibus proponere atque urgere, simul respondentes huius nostrae aetatis quaestionibus, quemadmodum contigit cum Decessor Noster Paulus VI Litteras Encyclicas « Humanae Vitae » promulgavit.

Inter multiplicia huius studiosae curae signa recentioribus temporibus reddita, eminent profecto Episcoporum Synodus Romae a die XXVI Septembris ad xxv Octobris anno MCMLXXX celebrata necnon Pontificii Consilii pro Familia constitutio.

2. Inter praecipua munera missioni Ecclesiae concredita ad Matrimonium et Familiam quod attinet, habendum sane est officium ((om-

iiibus consilium Dei de matrimonio ac familia declarandi, cuius plenum vigorem et promotionem humanam et christianam in tuto collocet» *(Familiaris Consortio,* 3).

Haec est ratio cur Ecclesia, praesertim post Concilium Vaticanum II, operam dederit tum theologicae investigationi de Matrimonio ac Familia promovendae, tum excitandis institutis, quae sibi proponunt pastoralem eorum formationem, qui peculiari modo in hac pastoralis eius operositatis provincia versantur. Necesse tamen visum est iam quoddam conderetur primarium studiorum Institutum ad theologicam pastoralemque de Matrimonio ac Familia investigationem provehendam, in commodum universae Ecclesiae.

3. Omnibus igitur mature perpensis, statuimus ac decernimus ut Pontificio Instituto studiorum Matrimonii ac Familiae, apud Pontificiam Universitatem Lateranensem iam condito atque operanti, iuridica forma tribuatur, eo fine ut veritas Matrimonii et Familiae magis magisque methodo scientifica exploretur, atque laici, religiosi et sacerdotes scientificam formationem sive philosophicam-theologicam sive in scientiis humanis hac in re recipere possint, ita quidem ut eorum pastorale et ecclesiale ministerium in bonum Populi Dei aptius atque efficacius absolvatur.

Integrum ideo huic Instituto est uno quidem iure academicos hos, qui sequuntur, gradus conferre :

— Doctoratum in S. Theologia cum specializatione in theologicis scientiis de Matrimonio et Familia;

— Licentiam in Theologia de Matrimonio et Familia;

— Diploma in scientia de Matrimonio et Familia.

4. Hos autem praestitutos sibi fines Institutum consequetur :

A) cursum instituendo ad Doctoratum in S. Theologia cum specializatione in scientiis theologicis de Matrimonio ac Familia pro iis qui iam habent licentiam in S. Theologia;

B) cursum instituendo ad Licentiam in Theologia de Matrimonio et Familia pro iis qui Baccalaureatum in S. Theologia adepti sunt;

C) cursum instituendo ad Diploma in Theologia de Matrimonio et Familia pro iis, qui in propria Natione iure fruuntur studiorum Universitatem adeundi;

D) studiorum seminaria constituendo ad quae comprobatae doctrinae viri invitantur ac gravioribus et instantioribus quaestionibus ad Matrimonium et Familiam attinentibus, secundum sententiam Auc-

toritatum Academicarum Instituti vel rogatum Dicasteriorum Curiae Romanae aut singularum Episcoporum Conferentiarum.

5. Instituti ipsius Auctoritates Academicae sunt: Magnus Cancellarius et Rector Pontificiae Universitatis Lateranensis, Praeses atque Consilium Instituti. A Summo Pontifice nominatur Praeses qui ex officio ad Senatum Academicum pertinet Pontificiae Universitatis Lateranensis.

6. Providebitur ut quaecumque hac statuuntur Apostolica Constitutione ad effectum opportune deducantur propriis Statutis a legitima Sanctae Sedis Auctoritate approbandis, audito Senatu Academico Pontificiae Universitatis Lateranensis.

7. Institutum peculiari nexu cohaerebit cum Pontificio Consilio pro Familia, secundum ea quae in Litteris Apostolicis motu proprio datis « Familia a Deo Instituta)> describuntur sub n. V, f.

8. Institutum committitur peculiari patrocinio Beatissimae Mariae Virginis a Fatima.

9. Constitutio haec, quae, praeter consuetudinem, per diarium, cui « L'Osservatore Romano » est index, promulgatur, vigere incipiet a die XIV Octobris MCMLXXXII.

Volumus demum ut haec Constitutio Nostra firma, valida et efficax sit et ab omnibus, ad quos res pertinet, religiose servetur, contrariis quibusvis nil obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die septimo mensis Octobris, in memoria Beatae Mariae Virginis a Rosario, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo secundo, Pontificatus Nostri quarto.

IOANNES PAULUS PP. II

CORRIGENDA ET DELENDA

In Vol. LXXIX (1987) Commentarii ACTA APOSTOLICAE SEDIS

pag. 123, linea 9 a fine: loco *Mbinganae,* legatur *Mbingaënsis.*

pag. 129, linea 8 : post verba *Benard Sokoni,* addatur *Lusenge.*

pag. 232 ultima et paenultima lineae deleantur.

pag. 241, lineae 14 et 12 a fine; pag. 242, linea 5; loco *Mbingensis,* legatur *Mbingaënsis.*

pag. 360, linea 12 *(20* » » *Mons. Cassar ...)* deleatur.

» » linea 5 a fine : loco *28* legatur *22 ...*

pag. 498, linea 26 *(19 ottobre ...)* deleatur.

» » linea paenultima: loco *Lino,* legatur *Pasqualino.*

pag. 499, linea 3 : post nomen *Bernard,* addatur *A.*

» » linea 16 : loco *Salzburg,* legatur *Innsbruck.*

» » linea 18: ante nomen *Francis,* ponatur *John.*

» » linea 25: post nomen *José,* ponatur *Francisco.*

» linea 35 : loco *Massa Marittima-Piombino,* legatur *Massa.*

pag. 500, linea 4 » deleatur.

» » linea 8: loco *John Kink,* legatur *Hans Fink.*

» linea 21: cognomini *Q-uzmán,* addatur *Juárez.*

» linea 3 a fine : nomini *Janusz,* addatur *Marian.*

pag. 504, linea 15 a fine (70 *febbraio ...)* deleatur.

pag. 624, linea 3 a fine *(1 maggio ...)* deleatur.

pag. 832, lineae 8 et 9 a fine *(7 aprile ...)* deleantur.

pag. 994, linea 17 : loco *Dhansis,* legatur *Dhahensis.*

pag. 1029, linea 1 ita legatur : ... Mons. *José* Pablo *L' rizar* Barrios.

» » linea 28 ita legatur: ... Mons. *Ignacij Cretnick (Maribor).*

» linea 29 ita legatur: ...Mons. Jonas *Petrosius (TeUiai).*

linea 30 ita legatur: ...Mons. *Julius Gasparik (Banska* Bystrica).

» linea 31: loco *Zdravko Ostojic (Paris),* legatur *Zdravko Ostojic (Hvar).*

» » linea 33: loco *Johann,* legatur *Hans.*

» » linea 34 : loco *Ottawa,* legatur *Valleyfield.*

» linea 39 sic legatur: *...Mons. John Sam-Kyou Cheong (Masan).*

» linea 40 sic legatur : ... Mons. Aloysius *Dou-Ho Kim (Masan).*

linea 41: loco *Florianus Chunz Ha-Kwen (Masan-Korea),* legatur: *Florian Ha-Kwen Cheong (Masan).*

pag. 1030, linea 17: nomini *Clement* addatur *Joseph.*
» » linea 18 : nomini *Peter* addatur *Campion.*
)) » linea 20 : loco *Luluabourg,* legatur *Remanga.*
)) » lineae 25 et 26 *(18 dicembre ...)* deleantur,
pag. 1031, linea 16 : cognomini *Rolleri* addatur *Negri.*
» » linea 34 : loco *Bassa,* legatur *Manca.*
pag. 1250, linea 21 : loco *Guillermo,* legatur *Gilberto.*
)) » linea 3 a fine sic legatur: ... Mons. José *Gálvez Díaz.*
pag. 1251, linea 27 sic legatur: ... Il sac. *Joseph Maria Rohringer.*
» » linea 6 a fine : loco *Wroclaw,* legatur *Münster.*
pag. 1252, linea 4 : loco *Wroclaw,* legatur *Sandomierz-Radom.*
pag. 1273, linea 8 : loco *III,* legatur *Epistula Apostolica.*
pag. 1352, lineae 19 et 20 *(10* »)> *Monst. Ernest ...)* deleantur.
pag. 1365, lineae 1 et 2, loco *Litterae Apostolicae, I,* legatur *Epistula Apostolica.*
pag. 1376, linea 1 : loco *II,* legatur *Litterae Apostolicae, I.*
pag. 1536, linea 11 *(19 novembre ...)* deleatur.

MENDA TYPOGRAPHICA

pag. 83 linea 4 a fine : loco *Sodanum,* legatur *Sodano.*
pag. 120, linea 4 a fine : loco *Battista,* legatur *Batista.*
pag. 129, linea 6: loco *Johann,* legatur *Johannes.*
» » linea 10 : loco *Johann* Albert *Borsch,* legatur *Johannes* Albert *Borsch.*
» linea 17 : loco *Iosej,* legatur *Josef.*
» linea 18 : loco *Bertol,* legatur *Berthold.*
pag. 130, linea 4: loco *Schuttermayr,* legatur *Schmuttermayr.*
» linea 20: loco *Iulio,* legatur *Julio.*
linea 28: loco *Johann,* legatur *Johannes.*
» » linea 37 : loco *Werminki,* legatur *Werminski.*
pag. 349, lineae 4-5 : verba *R. D. Petrum Mesarfeltensi* deleantur.
pag. 498, linea 29 : loco *Fragapane,* legatur *Fregapane.*
» » linea 33 : loco *McCullough,* legatur *McCoullough.*
» linea 37: loco *Richar,* legatur *Richard.*
linea 39 : loco *Higgenbottom,* legatur *Higgimbottam.*
» linea 40 : loco *Salvator,* legatur *Salvatore.*
pag. 499, linea 4 : loco *Plafenbincher,* legatur *Plaffenbichler.*
» » linea 8: loco *Ioseph Oowing Bataona,* legatur *Josef Oowing Bataone.*
» linea 21 : loco *Correy,* legatur *Coorey.*
linea 23 : loco *Nikol,* legatur *Nikolaus.*
» linea 27 : loco *Telesphorus,* legatur *Télesphore.*
» linea 30 : loco *Tomas Mac Aoidh,* legatur *Tomas MacAoidh.*
» linea 42 : loco *Agnano,* legatur *Aguanno.*
pag. 500, linea 3: loco *Newrezella,* legatur *Newrzella.*
» linea 12 : loco *Waldaff,* legatur *Waldraff.*
» linea 24 : loco *Beneditic* legatur *Benedetic.*
pag. 501, linea 2 : loco *Boscarino,* legatur *Boscaino.*
» » linea 10 : loco *Qarfi,* legatur *Qarfi.*
pag. 504, linea ultima : loco *Cudba,* legatur *Cubda.*
pag. 624, linea 31 : loco *Ona,* legatur *Oña.*
» » linea 5 a fine : loco *Kootta Lakil,* legatur *Koottaplakil.*
pag. 829, linea 16 : loco *Quernavacensem,* legatur *Quernavacensem.*
pag. 907, linea 6 a fine : loco *XIC,* legatur *XIV.*
pag. 992, linea ultima : loco *Medilensis,* legatur *Midilensis.*

pag. 1028, paenultima linea : loco *Vinikul,* legatur *Vinitkul.*
» » ultima linea : loco *Bassiano,* legatur *Bassano.*
pag. 1029, linea 2 : loco *Noger,* legatur *Roger.*
» » linea 6 : loco *Galab,* legatur *Golab.*
» » linea 26 : loco *Urban,* legatur *Urbano.*
» » linea 27 : loco *Raymund,* legatur *Raymond.*
» » linea 32 : loco *Wyrwol,* legatur *Wyrwoll.*
» » linea 36: loco *J. Arnold,* legatur *Joseph Arnold.*
» » linea 42 : loco *Castillo,* legatur *Castilla.*
pag. 1030, linea 6 : loco *Marda,* legatur *Maida.*
» » linea 32 : loco *Mucciarella,* legatur *Mucciarelli.*
» » linea 33: loco *Joannes,* legatur *Johannes.*
» » linea 34 : loco *Olukayode Parióla,* legatur *Olukayo Parióla.*
» » ultima linea: loco *M aironi (Pescara),* legatur *Maiorini (Pescara-Penne).*
pag. 1031, linea 1 : loco *Pescara,* legatur *Pescara-Penne.*
» » linea 5 : loco *Filadelfo,* legatur *Filadelfio.*
» » linea 12 : loco *Araja,* legatur *Araya.*
» » linea 14: loco *Kaianabayo,* legatur *Kaijanabyo.*
» » linea 20 : loco *Rapala,* legatur *Rqpala.*
» » linea 5 a fine : loco *Gamielli,* legatur *Gamelli.*
» » linea 3 a fine : loco *Petr,* legatur *Petro.*
pag. 1032, linea 9 : loco *Di Quattro,* legatur *Diquattro.*
» » linea 12 : loco *Drqzék,* legatur *Drazek.*
» » linea 5 a fine : loco *Garoka,* legatur *Goroka.*
pag. 1107, linea 6 loco *vestustum* legatur *vetustum.*
pag. 1139, linea 11 : ... *per Apostolicas sum* legatur *per Apostolicas sub.*
pag. 1239, linea 12: post verba *eiusdemque vicerectorem* addatur *quem deputavit Auxiliarem Archiepiscopi Rangunensis.*
» » linea 23: loco *...Administratore Apostolicum* legatur *Administratorem Apostolicum.*
pag. 1250, linea 20: loco *Mattias,* legatur *Matthias.*
»)) linea 23 : loco *Tarpin,* legatur *Trpin.*
pag. 1251, linea 2: loco *Johannes,* legatur *Johann.*
»)) linea 3: loco *Gonzales,* legatur *Gonzalez.*
» » linea 4 ita legatur: ... Mons. *José Maria Almoguera Diaz-Prieto.*
)) » linea 18 : loco *Tinto,* legatur *Tinti.*
» » linea 22: loco *Josef,* legatur *Joseph.*

pag. 1251, linea 23 : loco *Irich,* legatur *Erich.*
» » linea 28 : loco *Iosef,* legatur *Josef.*
» » linea 35: loco *Josef,* legatur *Joseph.*
» » linea 36 : loco *Eilhrer,* legatur *Führer.*
)) » linea 37 : loco *Fridericus,* legatur *Friedrich.*
» » linea 42 : loco *Eléazar,* legatur *Eleázar.*
pag. 1252, linea 16 : loco *Bykowski,* legatur *Bykowski.*
» » linea 19 : loco *Onorio,* legatur *Onerio.*
» » linea 21 : loco *Hofmann,* legatur *Hohmann.*
» » linea 22: loco *Josef,* legatur *Joseph.*
» » linea 24: loco *Karle H.J.,* legatur *Carl Hermann Josef.*
)))) linea 27 : loco *Di Gianbernardino,* legatur *Di Oianberardino.*
» » linea 35 : loco *Andrej,* legatur *Andrzej.*
» » linea 37 : loco *Jzydor,* legatur *Izydor.*
pag. 1253, linea 3 : loco *Tadeusz,* legatur *Tadeusz F.*
pag. 1301, linea 23 : loco *Centumcellae,* legatur *Centumcellis.*
pag. 1337, linea 8 : loco *Gallo,* legatur *Callo.*
pag. 1445, linea 16, loco *et archidioecesi*, legatur *in archidioecesi.*

SEPTUAGESIMUM NONUM "VOLUMEN
COMMENTARII OFFICIALIS « ACTA APOSTOLICAE SEDIS »
ABSOLVITUR DIE XXXI DECEMBRIS MCMLXXXVII
TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

Anno LVIII Città del Vaticano, sabato 29 agosto 1987 Num. 6

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

SUPPLEMENTO PER LE LEGGI E DISPOSIZIONI

DELLO STATO

DELLA CITTA DEL VATICANO

Pontificato di S. S. Giovanni Paolo II - Anno IX

ÏT. OXIII - ORDINANZA DELLA PONTIFICIA COMMISSIONE PER lo STATO DELLA CITTÀ DEL VATICANO CON LA QUALE è AUTORIZZATA L'EMISSIONE DÌ UNA SERIE DI FRANCOBOLLI CELEBRATIVI DELL'ESPOSIZIONE MONDIALE DI FILATELIA OLIMPICA " OLYMPHILEX '87 ".

29 agosto 1987

LA PONTIFICIA COMMISSIONE
PER LO STATO DELLA CITTA DEL VATICANO

Vista la legge 24 giugno 1969, n. LI ;

Visti gli art. 2 e 20 lett. c n. 5 della legge sulle fonti del diritto, 7 giugno 1929, n. II ;

ORDINA

Art. 1. - È autorizzata l'emissione di una serie di quattro francobolli celebrativi dell'Esposizione Mondiale di Filatelia Olimpica ((Olymphilex '87 », da valere per il pagamento delle tasse relative alle corrispondenze in partenza dalla Città del Vaticano.

Art. 2. - I francobolli di cui all'articolo precedente, realizzati su carta bianca patinata a stampa pluricolore in offset e calcografia, e riuniti in fogli da venti esemplari ciascuno ed in foglietti del formato di cm. 15 x 10, hanno le seguenti caratteristiche :

valori : L. 400, L. 500, L. 600, L. 2.000 ;

dimensioni : mm. 24 x 40, dentellatura 14 x 14, formato verticale ;

i quattro soggetti riproducono un giudice e tre figure di atleti, tratti dal mosaico pavimentale della esedra orientale delle Terme di Caracalla, conservato nei Musei Vaticani.

I quattro francobolli recano, in alto, l'indicazione del valore, e, sui lati, la scritta « OLYMPHILEX '87 » e la dicitura « POSTE VATICANE » .

II foglietto raccoglie, oltre i quattro francobolli, quattro chiudilettera, che raffigurano, rispettivamente : le chiavi decussate sormontate dal Triregno, i premi vinti nelle gare : una coppa e una corona con palma, e il logotipo di « Olymphilex ».

Sul lato destro del foglietto, la statua romana di una atleta, replica di un originale greco ; in basso, la scritta, tratta dalla prima lettera di San Paolo ai Corinti: «NON SAPETE CHE NELLE CORSE ALLO STADIO TUTTI CORRONO, MA UNO SOLO CONQUISTA IL PREMIO? CORRETE ANCHE VOI IN MODO DA CONQUISTARLO ! PERÒ OGNI ATLETA È TEMPERANTE IN TUTTO ; ESSI LO FANNO PER OTTENERE UNA CORONA CORRUTTIBILE, NOI INVECE UNA INCORRUTTIBILE, IO DUNQUE CORRO, MA NON COME CHI È SENZA METÀ » *(1 Cor.* 9, 24-26).

Art. 3. - I francobolli di cui agli articoli precedenti hanno validità illimitata agli effetti postali, dalla data di entrata in vigore della presente ordinanza.

La tiratura è di 500.000 serie complete e di 450.000 foglietti.

Art. 4. - La presente ordinanza sarà pubblicata, oltre che nei modi ordinari, mediante affissione nel Cortile di San Damaso, alla porta degli Uffici del Governatorato e negli Uffici postali dello Stato, ed entrerà in vigore nel giorno stesso della sua pubblicazione.

Città del Vaticano, ventinove agosto millenovecentoottantasette.

SEBASTIANO Card. BAGGIO, *Presidente*

LUIGI Card. DADAGLIO

ANTONIO Card. INNOCENTI

GIUSEPPE Card. TOMKO

ANDREA MARIA Card. DESKUR

BOSALIO GIUSEPPE Card. CASTILLO LARA

PAOLO MARCINKUS, *Pro-Presidente*

Anno LVIII Città del Vaticano, martedì 29 settembre 1987 Num. 7

TA APOSTOLICAE SEDIS

SUPPLEMENTO PER LE LEGGI E DISPOSIZIONI

DELLO STATO

DELLA CITTA DEL VATICANO

Pontificato di S. S. Giovanni Paolo II - Anno IX

IsT. CXIV — Ordinanza della Pontificia Commissione per **lo** Stato della Città del Vaticano con la quale è autorizzata l'emissione di una serie di francobolli celebrativi dell'inaugurazione del Museo Filatelico e Numismatico della Città del Vaticano.

29 settembre 1987

LA PONTIFICIA COMMISSIONE
PER LO STATO DELLA CITTA DEL VATICANO

Vista la legge 24 giugno 1969, n. LI ;

Visti gli art. 2 e 20 lett. c n. 5 della legge sulle fonti del diritto, 7 giugno 1929, n. II ;

ORDINA

